PALMIER

TRACTATUS
DE
MATRIMONIO
CHRISTIANO

BV835
P3

008342

EX LIBRIS

HEMETHERII VALVERDE TELLEZ

Episcopi Leonensis

1080015242

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

TRACTATUS

DE

MATRIMONIO CHRISTIANO

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

TRACTATUS

DE

MATRIMONIO CHRISTIANO

AUCTORE

DOMINICO PALMIERI

SOCIETATIS IESU

THEOLOGIAE PROFESSORE

IN COLLEGIO ROMANO

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCLXXX.

Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Tellez

44993

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Auctor sibi vindicat ius proprietatis.

CAPILLA ALFONSINA
FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

FRANCISCUS VANNUTELLI

PRAEPOSITUS PROVINCIAE ROMANAE S. I.

Cum librum, cui titulus: TRACTATUS DE MATRIMONIO CHRISTIANO a P. DOMINICO PALMIERI nostrae societatis Sacerdote conscriptum aliqui eiusdem societatis Theologi, quibus id commisimus, recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem damus ut typis mandetur, si iis ad quos pertinet, ita videbitur.

In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas et sigillo societatis nostrae munitas dedimus.

Romae die 20 Novembris 1880.

L. S.

IMPRIMATUR
Fr. Raphael Arch. Salini O. P. S. P. A. Mag. Soc.

IMPRIMATUR
Iulius Lenti Archiep. Siden. Vicesg.

008342

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

BV 835
P3

PRAEFATIO

Tractatum edentes de Matrimonio iam secundis curis expolitum conscii profecto sumus illud nos caput doctrinae catholicae tractare, quod maximi momenti sit nostraque praesertim aetate accuratissimum studium diligentiamque exquisitissimam flagitet. Res enim agitur, quae cum ad Ecclesiam proprie pertineat societatem quoque civilem attingit familiamque pervadit: ex quo fit ut civiles potestates ius sibi asserere non dubitaverint in illud quod sibi soli commissum a Deo testatur Ecclesia, atque exinde pugna exarserit auctoritatis humanae contra divinam auctoritatem Ecclesiae. At praeter huiusmodi dissidium quod partim quidem ignorantiae sed potissimum malitiae debetur qua laborant omnes qui hisce temporibus rebus publicis malo nostro praesunt; si huius ipsius malitiae causam et radicem scrutari velimus, alia profundior ac universalior mali labes apparebit, quae divinum ius Ecclesiae divinamque institutionem matrimonii subvertere studet. Ea est effrenis omnisque obligationis impatiens licentia, quae vaga primum et effusa discurrens, nunc in ordinem quemdam et systema redacta fundamenta impetit civilis ac religiosae societatis et cum sus de-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

que omnia vertat divino munere rationis abutens, matrimonii quoque sanctitatem labefactare conatur virique et feminae castam unionem impotenti libidini prostituere. Non enim tantum volunt homines hac nostra aetate cupiditatibus indulgere, sed praeterea ius ad easdem explendas sibi vindicant rationemque cogunt, si fieri possit, vitiis suis patrocinari speciosisque luminibus quod turpe et nefandum est illustrare. Iam placitum est pervulgatum libris ac resonans quoque in scholis id quod olim tenebris mysteriorum ac lupanarium velabatur. Doctrina est quippe libertinorum, cui athea societas, nihil habens quod opponat, morem gerit vel invita, finem congressionis viri cum femina esse solam voluptatem, eam congressionem ex amore alterius ad alteram determinari: qui se diligunt sponsos esse; nulla obligatione vinciri virum et mulierem; hanc viro non subordinari; communes esse quaslibet mulieres cuique viro, et vicissim viros mulieri; nullam esse familiam; prolem quae gignitur, a societate, ad quam unice spectat, alendam et educandam esse: unde a potestate civili iam principiis huius doctrinae imbuta, instituenda esse contubernia pro lactatione infantium, pro eorum animis informandis vix ac rationis usum attigerint, tum scholas publicas, ad quas omnes obligentur, detracta genitoribus quavis cura aut potestate circa prolis institutionem. Ita moderni socialistae et communistae, Fourrieriani, Sansimoniani, aliique eiusdem furfuris; de quibus vide opus egregium Avogadri de la Motta *Teorica dell' Istituzione del Matrimonio* etc. P. II. cc. 19. 20. Nihil quidem est novi in hac pugna contra matrimonii divinam institutionem praeter excessum impudentiae voluptuosaeque scientiae velamen.

Nam primis Ecclesiae seculis Gnostici eadem principia tradiderunt et deduxerunt in praxim. Etenim teste Clemente Alexandrino Strom. L. III, impii homines extiterunt, qui matrimonii illius nempe societatis viri et feminae, quae sit conserta cum obligatione perpetua, inventionem diabolo aperte tribuerent; inter quos idem scriptor Tatianum Syrum recenset. Et ibidem refert Epiphanem, a quo fluxit haeresis Carpocratianorum, inter alia hoc quoque docuisse quod cum Deus communiter omnia fecisset homini, et feminam cum masculo communiter coniunxisset, et omnia similiter animantia conglutinasset, pronunciavit, *iustitiam esse communionem cum aequalitate;* ideoque unum hominem posse omnibus feminis commisceri, sicut reliqua animantia. Unde et esse testatur eos qui publicam venerem pronuncient mysticam communionem, eamque exerceant, idque se facere dicant ut creatori prohibenti fornicationem adversentur. Eandem doctrinam tribuit Marcionistis, de quorum Principe Marcione testatur Tertullianus adv. Marc. L. I. c. 1. quod nuptias abstulerit. Eadem placuerunt Manichaeis, qui, teste Augustino De haeres. n. 46, si utebantur coniugibus, conceptum tamen generationemque devitabant; nec divina substantia, quae in eos per alimenta ingreditur, vinculis carneis ligaretur in prole; unde adv. Faustum L. XXX. ait eos praecipue eum concubitum detestari, qui solus honestus et coniugalis est. Haec pestis in eorum heredes derivata est nempe Albigenses, aetate media, qui in omnem libidinem effusi a nuptiis abhorrebant. Cf. Natalem Alex. Sec. XIII. p. I. c. 3. Modernae autem sectae continua serie cum veteribus nectuntur.

Piget quidem haec turpissima commenta refellere.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Finis unicus hominis in voluptate animali constituitur; humanum genus ad multitudinem porcorum de grege Epicuri revocatur: fundamenta omnium iurium quibus rationales creaturae mutuo vinciuntur labefactantur: familia, specie eius tantum retenta, prorsus aboletur: totiusque socialis convictus compages dissolvitur et legi morali iustitiae qua humana mens regenda est, vis physica et materialis tanquam suprema ratio substituitur. Propagatores horum errorum haud rationis argumentis possunt refelli quippe qui sola perversa voluntate ducuntur quae veritatis lumen aspicere detrectat. Eorum ergo confutatio, potius quam ad Theologos, spectat ad eos, quibus societatis cura est a Deo commissa, qui nullum peccatum maius peccare possunt, quam si huiusmodi homines impune abire patiantur.

His proinde sepositis erit nobis cum illis potius confligendum, qui reverentes divinam institutionem matrimonii, in pluribus tamen ab Ecclesiae doctrina dissident. Cui quidem doctrinae lux splendida accessit hac postrema aetate, facem praeferente Apostolica Sede ut tenebrae ab hostibus immissae dissiparentur. Extant sane praeclara de hoc fidei articulo documenta, quae nobis dederunt postremi Romani Pontifices, praesertim tres Pii VI, VII, IX ac novissime Sanctissimus Dominus Noster Leo XIII quibus incrementum accepit notitia veritatis ut nobis nunc explorata sint et certa non pauca, quae non admodum dissitis ab hac aetate Theologis dubia erant et obscura. Hunc fructum peperit nobis, ut solet, impugnatio adversariorum, qui dum Ecclesiae lumen extinguere nituntur, vim eiusdem potius acuunt ut ipsius fulgore obruantur.

In hac materia de Matrimonio Christiano tum scriptores dogmatici tum morales et canonistae versantur. Nobis vero tractanda non erunt nisi quae contenta Verbo Dei sive scripto sive tradito sibi vindicat Theologia: haec enim et non alia postulabant a nobis auditores nostri. Quaestiones quidem non multae sunt, sed plerumque difficiles, quaedam etiam (De verbis Christi Matth. XIX. 3. seqq.) nondum plenam lucem assecuta videtur. Quod in nobis situm erat, id in utilitatem auditorum praestavimus, typisque nunc edimus tractatum: quo enim iure ceteri prodierunt, eodem et ipse consociari iisdem potest.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

TRACTATUS

DE MATRIMONIO CHRISTIANO

CAPUT I.

DE ESSENTIA MATRIMONII PER SE SPECTATA

THESIS I.

Sepositа paulisper ratione sacramenti, matrimonii per se notio eo redit ut sit unio viri et feminae sita in morali potestate mutua in corpus alterius ad carnalem copulam vitaeque individuam societatem.

I. Matrimonium (γάμος, σύζευξις, γαμικὴ ὁμιλία חֲתֻנָּה) a matre nomen accepit; quia « magis pertinet ad rationem matrimonii mater quam pater: nam circa prolem, quae finis est matrimonii, magis officiosa mater est quam pater » (s. Thomas. Suppl. q. XLIV. a. 2 ad 1ᵐ): seu, ut ait Catechismus Romanus (De Matrimonio n. 2): « quia prolem concipere, parere, educare matris munus est ». Paulo aliter Augustinus contr. Faustum L. XIX. c. 25. etymologiam nominis explicat, inquiens: « sic dicitur matrimonium ex hoc, quod mulier non debeat ob aliud nubere, nisi ut mater fiat ». Appellatur quoque *coniugium*, eo quod duo in unum coniungat. Item *connubium* dicitur a nubendo, quia sponsae apud veteres, cum viro tradebantur, nubere idest velare capita solebant: est ergo connubium coniunctio nuptae cum viro suo. Ex eadem origine vocantur etiam *nuptiae*, quae dici quoque solent de ceremoniis iisque solemnitatibus festivisque pompis et conviviis, quae uxori ductae adhiberi solent: imo haec altera est primitiva et propria *nuptiarum* significatio.

Matrimonii definitionem daturi et explicaturi, eam probare non possumus nisi ex communi hominum sensu, quemadmodum scilicet definitiones probari solent, h. e. accurate inspecta ea re, cui ab omnibus generatim hominibus sive ecclesiasticis sive profanis nomen matrimonii tribuitur, qua re exsistente, matrimonium esse dicitur, qua desinente, desinere illud censetur (cf. Institutiones nostras phi-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

losophicas, Log. C. IV. a. 4). Itaque huc redibit processus inveniendae definitionis. Accipimus ab universo humano genere id quod matrimonium ab eo appellatur: consideramus in illo ipso id quod vel eorundem hominum consensus vel manifesta ratio ex communi conceptu deducta docet esse essentiale et inter essentialia id quod est primum et veluti radix ceterorum consideramus, ut eo scilicet vel solo posito sit matrimonium, eo detracto, vel ceteris manentibus, non sit matrimonium, atque id arripientes dicimus hoc esse eam rem, eam essentiam, quam generatim homines matrimonium hactenus vocaverunt. Nec sollicitos esse oportebit de quorumdam vitiosorum hominum dissensu: nam ii ipsi, qui matrimonii iuribus adversantur, cum matrimonium abolere tentant, testes sunt quod sub ea ratione (quae ipsis tamen non probatur) communiter intellectum est et intelligitur matrimonium.

Solet quidem matrimonium dupliciter definiri, nempe et prout est res permanens et prout est actus transiens originem praebens illi rei permanenti. Sub priore respectu communiter definitur: *maritalis coniunctio viri et feminae inter legitimas personas, individuam vitae consuetudinem retinens* (Magister in IV. D. 17. s. Thomas ibi. Sanchez De Matrimonio L. II. Disp. 1ª ex §. 1. Inst. De Pat. Potest. et l. 1ª ff. De ritu nuptiarum, atque ex c. illud quoque, De Praesumptionibus. Cf. et Modestinum ff. De ritu nuptiarum l. 1ª). Atque talis penes veteres generatim occurrit matrimonii definitio; quae inferius quidem magis declarabitur. Sub alio respectu definitur cum Hugone Victorino (De Sacram. Lib. II. p. II. c. 4.) *matrimonium est duarum idonearum personarum legitimus de coniunctione consensus,* vel cum Toleto (in Summa L. VII. c. 1ª): *Contractus viri et feminae legitimus, quo mutua corporum traditur potestas, gratiae spiritualis collativus,* ubi et sacramenti ratio additur, quam modo parumper volumus seponere.

II. Haec non reiicienda profecto sed explicanda sunt. Ut ergo primum definitionem declaremus et probemus matrimonii, *prout est res permanens,* ea methodo adhibita, quam diximus: advertendum est plura esse elementa, ex quibus id, quod ab omnibus dicitur matrimonium, integre coalescit, quae ad haec quinque revocari possunt, nempe *causam eius, essentiam eius, quod essentiam consequitur, actum eius et finem qui in ipso obtinetur.* Sane in matrimonio 1) est *contractus* quidam consensum interiorem praesentem utriusque, viri scilicet et feminae, in maritalem coniunctionem, continens et manifestans: 2) est *potestas mutua in corpus alterius,* quae consequitur contractum; sive est mutua obligatio unius ad alterum respectu caralis copulae, quae obligatio ex contractu immediate oritur, et po-

testati mutuae respondet. 3) Est *vinculum,* quo ambo formaliter coniuncti sunt, et formaliter constituuntur in actu primo unum completum principium mutuae copulae et per eam generationis; quod quidem vinculum re non differt a supradicta potestate: hoc autem vinculum est id quod appellatur *coniunctio maritalis.* 4) Est obligatio ad suscipiendam, si eam Deus coeuntibus dederit, prolem atque educandam. 5) Est potestas et obligatio ad individuam vitam. 6) Est *ius ex eo vinculo ortum* exercendi actus coniugales, vitamque simul agendi: 7) est expedita potestas physica ad generationem prolis per copulam carnalem: 8) est *usus,* h. e. copula, procreatio et educatio prolis et societas domestica mutuumque auxilium. 9) Est praeterea matrimonium Christianum *Sacramentum:* quam tamen considerationem modo paulisper seponimus.

III. Iam vero ex illis octo ultimum h. e. usus non spectat ad essentiam matrimonii, licet ad eius integritatem pertineat: quia actus supponit iam essentiam rei agentis constitutam, idque omnes concedunt. Item expedita potestas ad generationem prolis per copulam carnalem, non est essentialis matrimonio, si, ut omnes fatentur, matrimonium potest esse et inter steriles et senes aptos quidem ad coeundum, sed ineptos ad generandum. Rursus ius proximum utendi non spectat ad essentiam; nam illud, omnibus consentientibus legibus civilibus et sacris, amitti potest, manente matrimonio; est scilicet aliquid consequens ad essentiam. Porro contractus et consensus interior, qui per eum manifestatur, sunt quidem essentiales ut matrimonium sit, dicique possunt ipsum matrimonium *in fieri;* at non sunt essentia ipsa matrimonii; nam matrimonium est aliquid perseverans, dicitur enim simpliciter et proprie matrimonium esse quousque vir et uxor vivere pergunt: consensus vero per verba de praesenti expressus dicitur (Eugenius IV. Instr. pro Armenis) causa efficiens matrimonii, non ipsum matrimonium. Imo consensus non tantum est actus transiens, sed ipse vel habitualiter desinere potest, ut si formalis dissensus et aversio in utroque erga alterum succedat: nihilominus matrimonium, non secus ac prius, manet et durat. In his ergo quatuor ex enumeratis, quae sunt primum, sextum, septimum et octavum, non consistit essentia matrimonii. Videamus reliqua.

Porro obligatio ad suscipiendam, si eam Deus dederit, prolem eamque educandam, nectitur necessario cum mutua potestate ad carnalem copulam, ut haec sine illa admitti nequeat. Hic est enim finis, quem natura copulae maritali praestituit, ut per illam humanum genus propagetur. Quamvis vero opus non sit ut copula habeatur, nec copulam semper proles sequatur, liceatque habere copulam sine spe prolis, quia alii sunt fines honesti usus matrimonii praeter pro-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

lem: quia tamen proles finis est, quem natura in copula maritali intendit, ad eamque copula haec, nisi per accidens defectu aliquo physico impediatur, est naturaliter ordinata, nefas est coniugibus aliquid directe agere in usu coniugii contra susceptionem prolis: hoc est eo ipso quod ius habent se commiscendi, obligationem quoque habent, si utentibus coniugio Deus prolem dederit, eam suscipiendi. Idem vero finis a natura praestitutus postulat ut proles suscepta rite educetur: sed de finibus matrimonii in seq. Th. Ista igitur obligatio est essentialis matrimonio: quaestio proinde reliqua erit tantum: utrum haec sit quaedam nota prima essentialis, fundamentum aliarum, ideoque ipsam essentiam constituens, an sit tantum aliquid necessario consequens essentiam.

Obligatio vero ad individuam vitam dupliciter accipi potest. Nam vel accipitur prout respondet iuri illi, quod diximus oriri ex vinculo, et est obligatio mutua ad praestanda alteri obsequia et officia propria matrimonii: vel accipitur prout praevertit naturâ illud ius, et est idem ac ipsum vinculum seu mutua potestas, quae est mutua potestas ideoque et obligatio sicut ad carnalem copulam ita ad vitam individuam. Quae quidem vita individua est aliqua viri et feminae societas permanens, sed societas specialis propter specialem sui rationem seu fundamentum; fundatur enim super illa mutua potestate in corpus alterius. Si primo modo haec obligatio ad individuam vitam accipitur, illud idem de ea dicendum est quod diximus paulo ante de iure proximo utendi, cui respondet ea obligatio; mutuo enim se invicem ponunt et tollunt. Si altero modo accipitur dicta obligatio ad individuam vitam, patet quod talis vita individua spectata in suo principio est ipsa unitas utriusque seu vinculum illudque permanens; tale enim ab omnibus vinculum matrimoniale concipitur, ad quod vinculum sequitur ius proximum et proxima obligatio exigendi et praestandi mutuo ea omnia officia, quae propria sunt coniugalis vitae. Et licet usus horum actu deesse possit, ut iam monuimus, potestas tamen et obligatio ad haec simul cum suo principio manent. Idem ergo de hac obligatione ad individuam vitam dicendum est quod de ipso vinculo dicitur.

Vinculum autem istud affirmavimus contineri reapse ea potestate mutua in corpus alterius in ordine ad carnalem copulam, mutuaque obligatione unius ad alterum, ad individuam vitam. Aliqua quidem potestas mutua ad carnalem copulam necessaria est ex omnium consensu ad essentiam matrimonii, qua remota habebitur quaelibet alia societas quam coniugalis. Quoniam vero mutua potestate plures vinciuntur, dicimus vinculum coniugale constitui hac ipsa mutua potestate in ordine ad carnalem copulam mutuaque obligatione unius ad

alterum ad individuam vitam, quae obligatio simul necessario suscipitur cum eadem potestate. Sane vinculum est id, quod ex contractu necessario et immediate oritur; consentiunt enim ambo in coniunctionem, vir quidem in coniunctionem sui ad mulierem, et mulier in coniunctionem sui ad virum (s. Thomas q. XLV. a. 1 ad 3); at ex contractu oritur immediate et necessario obligatio mutua, ideoque mutua potestas ad id quod per contractum traditur (ibid. a. 5 ad 2): ergo. Et sane ea exsistente mutua potestate et obligatione, vir est mulieris et mulier viri; ideoque ambo uniuntur. Et ex hac unitione constituitur unum principium completum (non quidem in actu secundo, quod in commixtione corporum est situm, sed in actu primo sive potestate) carnalis copulae et per eam secundum ordinationem primariam naturae principium generationis, quod incomplete in utroque seorsim reperitur. Sunt ergo duo qui uniuntur, sed unum est ad quod uniuntur, h. e. principium generationis. Hinc relatio coniunctionis multiplex est et una. Multiplex ex parte subiecti, quia duo sunt subiecta, vir et femina: una ex parte causae, scilicet finalis, quia ad eandem numero carnalem copulam et generationem ordinatur. Et secundum quod est multiplex ex parte subiecti significatur haec unio his nominibus, *uxor* et *maritus:* secundum autem quod est una ex parte causae, significatur hoc nomine *matrimonii* (ibid. a. 1 ad 3).

IV. Iam vero in tali vinculo positam esse dicimus essentiam matrimonii. Etenim non solum ipsum est permanens sed eo vel solo exsistente matrimonium vere esse dicitur, atque utrumque, nempe vinculum ac matrimonium, mutuo se ponunt ac mutuo se perimunt. Ita ab utroque iure romano et canonico, consentiente proinde societate civili et ecclesiastica, matrimonium accipitur atque huc spectat definitio superius allata ex iure. Quamvis haec omnia (inquit Catechismus Rom. l. c. n. 3.) in perfecto matrimonio insint, consensus videlicet interior, pactio externa verbis expressa, obligatio et vinculum, quod ex ea pactione efficitur, et coniugum copulatio, qua matrimonium consummatur, nihil horum tamen matrimonii vim et rationem proprie habet, nisi obligatio illa et nexus, qui coniunctionis vocabulo significatus est. Ita s. Thomas q. XLIV. a. 1. in corp. et ad 1. ubi dicit: quod «matrimonium est vinculum, quo ligantur (coniuges) formaliter, non effective, et ideo non oportet quod sit aliud a coniunctione», q. autem seq. art. 1 ad 2: «Matrimonium ait, non est ipse consensus, sed quaedam unio ordinatorum ad unum, quam consensus facit» et q. XLII. a. 3 ad 2. « Actus exteriores et verba exprimentia consensum directe faciunt nexum quemdam, qui est Sacramentum matrimonii. »

Porro si comparas hoc vinculum seu hanc mutuam potestatem seu hanc mutuam obligationem ad individuam vitam, quae in radice, ut monuimus, est ipsa unitas per potestatem eam effecta, si comparas, inquam, haec cum obligatione suscipiendae prolis, si Deus eam dederit, facile liquebit quod haec obligatio supponit essentiam matrimonii; obligantur enim coniuges: illa vero constituunt essentiam eiusdem; sine illis enim nec dicitur nec concipi potest matrimonium. Illa ergo obligatio est essentialis proprietas consequens essentiam. His itaque declaratis facile est colligere definitionem Matrimonii prout est res permanens. Est quippe *unio viri et feminae sita in morali obligatione et potestate alterius in alterum ad carnalem copulam vitaeque individuam societatem.*

V. Ne qua vero difficultas ex dictis supersit, e re erit quaedam amplius declarare. Et primo quidem non est heic postulanda distincta declaratio et demonstratio eorum, quae diximus reperiri in matrimonio: nam id modo non agimus, sed ea tanquam data accepimus et solum invicem comparavimus pro definitione invenienda. Perperam proinde quis nunc quaereret cuiusmodi sit ea individua vita, de qua locuti sumus: nam primo sub quodam sensu confuso eam omnes admittunt, quod modo satis est; deinde si matrimonium ut ex communi consensu supponimus, est res permanens, quaedam obligatio mutua ad individuam vitam cum ipsa potestate et obligatione ad carnalem copulam reciprocatur.

Quoad cetera constat dixisse nos consensum mutuum extrinsecus expressum seu contractum esse causam efficientem matrimonii. Id vero cum dicimus, nolumus affirmare quod adaequata causa vinculi perennis coniugum sit ille consensus, quam quaestionem alio loco expediemus, nec quod matrimonium sit simpliciter aliquis contractus; pluribus enim differt a contractu, ut rursus postea videbimus. Sed quia praeter actionem Dei unientis coniuges, requiritur certe aliqua ratio ex parte viri et feminae determinans unionem utriusque et haec ratio est consensus utriusque in unionem, qui ad modum contractus ponitur: hoc sensu dicimus contractum esse causam efficientem seu determinantem matrimonii. Matrimonium enim est quaedam mutua obligatio inter virum et mulierem, quae non exsistit naturaliter nec a Deo immediate efficitur aut ab alia auctoritate, sed libere ab homine suscipitur; causa vero efficiens obligationis libere susceptae sunt ii ipsi, qui eam suscipiunt, quatenus consensu suo eam volunt et admittunt. Consensus proinde contrahentium matrimonium est id, *quo* determinatur ea obligatio seu matrimonium. Si autem principium *quod* quaeris, sunt ipsae personae contrahentes. Quia vero matrimonium est quaedam unio, et haec unio fit per

mutuum consensum, et hic mutuus consensus iam est quaedam unio actualis, qua incipit unio permanens; hinc ipse consensus dicitur *matrimonium* sed *in fieri.* Quare si consideras matrimonium *in fieri* et *in facto esse,* consensus est intrinsecus ipsi, est enim ipsum matrimonium *in fieri;* si autem solum consideras matrimonium *in facto esse,* nempe nexum permanentem viri et mulieris, consensus est extrinsecus ipsi; est enim de ratione causae efficientis esse extrinsecam suo effectui h. e. distinctam ab illo.

Dicentes ergo cum Eugenio IV causam efficientem matrimonii esse consensum contrahentium, non adversamur verbis Christi docentis Deum esse, qui coniungit virum et mulierem (Matth. XIX); Deus enim coniungit quatenus et legem statuit, ad cuius normam vir et mulier pro generatione prolis coniungi debent, statuitque indissolubilitatem nexus, qui libere olim susceptus sit, vultque proinde, suaque voluntate efficit ut nexus ille sit et perpetuus sit. Praeterea coniungere Deus dicitur coniuges, quatenus gratia sua eos sanctificat et unit in Christo. Itaque consensus utriusque est quaedam causa proxima cur exsistat obligatio utriusque ad invicem: quod autem sit talis obligatio, id tum ex naturae lege, tum ex lege positiva Dei pendet, ut deinceps declarabitur.

VI. Iam nexus seu coniunctio seu vinculum istud, quod consensus facit, dicitur et est *vinculum animorum*: « Duo sunt in coniugio (ait Innocentius III, c. debitum De Digamis), consensus animorum, et commixtio corporum. » Cum hoc alterum ad actum spectet, illud prius essentiam exhibet, quae in vinculo est posita, unde consensus ibi est idem ac vinculum. Vinculum ergo est vinculum animorum. « Una contrahitur corporis et animae societas ut et affectus affectibus commisceantur et caro carni quodammodo colligetur » ait s. Asterius Amasenus Episcopus hom. in Matt. XIX. 3. Et sane ante consummationem matrimonii nulla est actualis commixtio corporum, matrimonium vero est; « nuptias enim non concubitus, sed consensus facit. » c. 30 ff. de R. I. Uniuntur ergo vir et femina ante et citra commixtionem propter potestatem mutuo traditam et obligationem mutuo acceptatam; atqui subiectum potestatis et obligationis est anima, sive homo per animam: igitur secundum animam duo vinciuntur: est proinde vinculum animorum. Quocirca non ideo dicitur consensus animorum, quia terminus in quem fertur consensus sit aliquid spirituale tantum; nam fertur in mutuam traditam potestatem corporum, quae per se ordinatur ad mutuam commixtionem, sed quia ipsa potestas est per se aliquid spirituale et subiective inest animo. Quare essentia matrimonii in *vinculo morali* consistit. Est ergo matrimonium vinculum animorum, quia consensu efficitur, quia obligatione continetur,

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quae animos vincit. Hoc autem vinculum manet, etsi vitio alterutrius aut utriusque affectus mutuus desinat. Qua in re tamen distinguendus est affectus quidam sensibilis ab affectu maritali, qui est ea seria voluntas, qua alter alteram vult ut suam habere et vicissim, eique obligatum esse fidemque praestare.

VII. Definitio Hugonis et Toleti superius allata (n. 1) directe significat causam matrimonii, et indirecte essentiam eius; eaque definitio potissimum adhibetur cum *Matrimonium Sacramentum* definiendum est; etsi enim matrimonium christianum maneat semper sacramentum, ut inferius explicabitur; ritus tamen sacramentalis, quo sacramentum fit et gratia confertur, habetur cum fit matrimonium seu cum ponitur causa eius: quod in sequentibus declarabitur.

VIII. Ex dictis habes 1) consummationem matrimonii ad eius essentiam non spectare.

2) Consensum, qui matrimonium facit, non esse consensum explicitum in carnalem copulam, sed esse consensum *explicitum* in potestatem eiusdem, sive in vinculum, *implicitum* autem in copulam. Qui tamen implicitus consensus, qui per se consequitur consensum in potestatem, potest per mutuum consensum in castitatem servandam, manente nihilominus ea potestate, suspendi vel impediri, quod demonstrabimus Th. III.

Habes 3) matrimonium prorsus differre tum a coniunctione ceterorum animalium; nullum enim vinculum morale exsistit inter ea: tum a fornicariis et vagis concubitis, in quibus nulla est obligatio viri ad mulierem determinatam, quae obligatio matrimonium facit (q. XLI. a. 1).

Habes 4) in ipsa definitione adsignificatas proprietates coniugii: unitatem scilicet, cum dicitur *viri et feminae,* atque perpetuitatem vinculi, cum potestas et obligatio dicitur *ad individuam vitam*. Has tamen proprietates explicare et tueri potior est pars huius tractationis, idque infra exsequemur.

IX. Nota: Matrimonium dividitur in *legitimum, ratum, consummatum.* Legitimum est quod legitimo consensu ideoque valido contrahitur: cuiusmodi est etiam apud infideles. Ratum est, quod, legitimum cum sit, sacramento baptismi sanctificatur, cuiusmodi est matrimonium fidelium. Atque haec appellatio cum simpliciter fit, solet habere significationem exclusivam h. e. non consummatum. Matrimonium consummatum tum apud fideles tum apud infideles exsistit, et est matrimonium copula carnali perfectum.

THESIS II.

Plura sunt bona Matrimonii eidemque intrinseca, quarum singula quoque seorsim fines esse possunt cur idem contrahatur, licet aliquis inter eos sit finis primarius.

I. Cum matrimonii definitionem acceperimus ex communi hominum conceptu, licuit nobis eam statuere sine praevertente notitia finis eiusdem: haec tamen notitia necessaria est ut τὸ τί ἦν εἶναι Matrimonii plenius et evidentius perspiciatur. Quocirca heic de matrimonii finibus disseremus.

II. Finem matrimonii intelligimus *finem operis,* ad quem per se illud est ordinatum et quem sua ipsius constitutione parere potest; qui si intendatur a ponente opus, erit quoque *finis operantis;* sed hic latius patet. Cum autem id tantummodo, quod bonum est, habeat rationem finis; Matrimonii finis erit bonum quoddam, quod ipsum natum est per se gignere et comparare ineuntibus illud. Iam vero bonum illud, quod primo omnium oculos percellit, est proles, qua obtinetur continuatio et propagatio humanae familiae, eiusdemque prolis idonea educatio. Qua in re illud est advertendum quod prolis susceptio immediate finis est usus matrimonii seu copulae maritalis; ad hoc enim ipsa per se est instituta: nam ut proles habeatur, necessaria est copula viri et feminae, hicque est eius fructus naturalis; ut vero proles rite suscipiatur et praeterea educetur, debet esse copula inter personas mutuo obligatas h. e. coniuges, quod modo liceat supponere, postea (Th. VI.) demonstraturi. Dicimus prolem esse immediate finem usus matrimonii; nam hoc bonum non ex solo matrimonio, sed ex eius usu, qui semper liber est utrisque, oritur. Proles, ait Augustinus De Bono Coniugali c. 1. « unus honestus fructus est non coniunctionis maris et feminae, sed concubitus. Poterat enim esse in utroque sexu, etiam sine tali commixtione, alterius regentis alterius obsequentis amicalis quaedam et germana coniunctio. »

Et sane praeter bonum prolis reperitur aliud bonum in ipso vinculo maritali eiusque proprium. Istud est ipsa unio duorum, viri et feminae, amicitia scilicet et communicatio operum mutuumque obsequium et auxilium. Quae amicitia non est ea, quae inter ceteros quoque haberi potest, sed propria matrimonii; etenim fundatur in mutua potestate in corpus alterius, quo fit proinde ut sit etiam arctior et perennior. « Cur sit bonum coniugium quaeritur », inquit

quae animos vincit. Hoc autem vinculum manet, etsi vitio alterutrius aut utriusque affectus mutuus desinat. Qua in re tamen distinguendus est affectus quidam sensibilis ab affectu maritali, qui est ea seria voluntas, qua alter alteram vult ut suam habere et vicissim, eique obligatum esse fidemque praestare.

VII. Definitio Hugonis et Toleti superius allata (n. 1) directe significat causam matrimonii, et indirecte essentiam eius; eaque definitio potissimum adhibetur cum *Matrimonium Sacramentum* definiendum est; etsi enim matrimonium christianum maneat semper sacramentum, ut inferius explicabitur; ritus tamen sacramentalis, quo sacramentum fit et gratia confertur, habetur cum fit matrimonium seu cum ponitur causa eius: quod in sequentibus declarabitur.

VIII. Ex dictis habes 1) consummationem matrimonii ad eius essentiam non spectare.

2) Consensum, qui matrimonium facit, non esse consensum explicitum in carnalem copulam, sed esse consensum *explicitum* in potestatem eiusdem, sive in vinculum, *implicitum* autem in copulam. Qui tamen implicitus consensus, qui per se consequitur consensum in potestatem, potest per mutuum consensum in castitatem servandam, manente nihilominus ea potestate, suspendi vel impediri, quod demonstrabimus Th. III.

Habes 3) matrimonium prorsus differre tum a coniunctione ceterorum animalium; nullum enim vinculum morale exsistit inter ea: tum a fornicariis et vagis concubitis, in quibus nulla est obligatio viri ad mulierem determinatam, quae obligatio matrimonium facit (q. XLI. a. 1).

Habes 4) in ipsa definitione adsignificatas proprietates coniugii: unitatem scilicet, cum dicitur *viri et feminae,* atque perpetuitatem vinculi, cum potestas et obligatio dicitur *ad individuam vitam*. Has tamen proprietates explicare et tueri potior est pars huius tractationis, idque infra exsequemur.

IX. Nota: Matrimonium dividitur in *legitimum, ratum, consummatum.* Legitimum est quod legitimo consensu ideoque valido contrahitur: cuiusmodi est etiam apud infideles. Ratum est, quod, legitimum cum sit, sacramento baptismi sanctificatur, cuiusmodi est matrimonium fidelium. Atque haec appellatio cum simpliciter fit, solet habere significationem exclusivam h. e. non consummatum. Matrimonium consummatum tum apud fideles tum apud infideles exsistit, et est matrimonium copula carnali perfectum.

THESIS II.

Plura sunt bona Matrimonii eidemque intrinseca, quarum singula quoque seorsim fines esse possunt cur idem contrahatur, licet aliquis inter eos sit finis primarius.

I. Cum matrimonii definitionem acceperimus ex communi hominum conceptu, licuit nobis eam statuere sine praevertente notitia finis eiusdem: haec tamen notitia necessaria est ut τὸ τί ἦν εἶναι Matrimonii plenius et evidentius perspiciatur. Quocirca heic de matrimonii finibus disseremus.

II. Finem matrimonii intelligimus *finem operis,* ad quem per se illud est ordinatum et quem sua ipsius constitutione parere potest; qui si intendatur a ponente opus, erit quoque *finis operantis;* sed hic latius patet. Cum autem id tantummodo, quod bonum est, habeat rationem finis; Matrimonii finis erit bonum quoddam, quod ipsum natum est per se gignere et comparare ineuntibus illud. Iam vero bonum illud, quod primo omnium oculos percellit, est proles, qua obtinetur continuatio et propagatio humanae familiae, eiusdemque prolis idonea educatio. Qua in re illud est advertendum quod prolis susceptio immediate finis est usus matrimonii seu copulae maritalis; ad hoc enim ipsa per se est instituta: nam ut proles habeatur, necessaria est copula viri et feminae, hicque est eius fructus naturalis; ut vero proles rite suscipiatur et praeterea educetur, debet esse copula inter personas mutuo obligatas h. e. coniuges, quod modo liceat supponere, postea (Th. VI.) demonstraturi. Dicimus prolem esse immediate finem usus matrimonii; nam hoc bonum non ex solo matrimonio, sed ex eius usu, qui semper liber est utrisque, oritur. Proles, ait Augustinus De Bono Coniugali c. 1. « unus honestus fructus est non coniunctionis maris et feminae, sed concubitus. Poterat enim esse in utroque sexu, etiam sine tali commixtione, alterius regentis alterius obsequentis amicalis quaedam et germana coniunctio. »

Et sane praeter bonum prolis reperitur aliud bonum in ipso vinculo maritali eiusque proprium. Istud est ipsa unio duorum, viri et feminae, amicitia scilicet et communicatio operum mutuumque obsequium et auxilium. Quae amicitia non est ea, quae inter ceteros quoque haberi potest, sed propria matrimonii; etenim fundatur in mutua potestate in corpus alterius, quo fit proinde ut sit etiam arctior et perennior. « Cur sit bonum coniugium quaeritur », inquit

ibidem Augustinus, c. 3. respondet autem: « quod mihi non videtur propter solam filiorum procreationem, sed propter ipsam etiam naturalem in diverso sexu societatem. Alioquin non iam diceretur coniugium in senibus, praesertim si vel filios amisissent, vel minime genuissent ». Ex quibus, ut id modo moneamus, intelligis quod cum Augustinus dicit sola procreandorum causa coniugia ineunda esse, ut contr. Faustum L. XV. c. 7., prae oculis directe habet usum coniugii et coniugium, quod ineatur cum intentione copulae carnalis, excluditque finem situm in libidine explenda, qui quidem finis alius est a remedio concupiscentiae, de quo mox, cuius intentio componitur saltem implicite cum intentione prolis. Et re quidem vera haec amicitia seu, ut ait s. Thomas, indivisibilis coniunctio animorum inter coniuges sibi ex obligatione servantes fidem, est illud bonum, quod praecipue commendat, eius tantum explicitam mentionem faciens, definitio coniugii tradita in iure. Quocirca idem Augustinus ibid. c. 9. distinguit tum bona quaedam per se expetenda, ut sunt sapientia, salus, amicitia, tum bona expetenda propter aliud, ut est doctrina propter sapientiam, cibus et potus propter salutem, coniugium et concubitus propter amicitiam: etsi, ut idem monet, amicitia ad alios obtineatur etiam alio pacto, imo possit quoque sine Matrimonio esse perfectior.

Haec duo bona coniugii non tantum in statu praesenti naturae lapsae sed et in statu naturae integrae habuissent locum; absoluta enim sunt, solam essentiam matrimonii eiusque legitimum usum supponentia. At supposita infirmitate vitiatae naturae per concupiscentiam, vel supposito statu purae naturae, oritur contrahentibus aliud bonum ex ea mutua obligatione et potestate in corpus alterius. Oritur scilicet bonum morale, quod est refraenatio concupiscentiae intra limites honestatis. Quae refraenatio in eo est sita ut concupiscentiae quidem indulgeatur sed solum cum ea persona, quae potestatem habet in corpus alterius, cui fides in coniugio debetur; ut proinde actus sit legitimus ac etiam debitus; ex quo fit ut sedato ardore concupiscentiae, animus ad illicita non excurrat, peccatumque vitetur. « Habent etiam, ait ibid. Augustinus, c. 3. 5. id bonum coniugia, quod carnalis vel iuvenilis incontinentia, etiamsi vitiosa sit (cf. Tract. de Deo Creante etc. Th. XLIV), ad propagandae prolis redigitur honestatem, ut ex malo libidinis aliquid boni faciat copulatio coniugalis.... Ad hoc nuptiae sunt ut illa concupiscentia redacta ad legitimum vinculum non difformis et dissoluta finitaret, habens de se ipsa irrefraenabilem carnis infirmitatem, de nuptiis autem indissolubilem fidei societatem ». Bonum hoc esse coniugii docet Apostolus I. Cor. VIII. 2. Qui se non continent (h. e. nequeunt continere) nu-

bant. Propter fornicationem (scilicet vitandam) unusquisque uxorem suam habeat et unaquaeque suum virum.

Hos fines complexus est Isidorus inquiens L. IX. Etymol. c. 7. « Tres ob causas ducitur uxor: prima est causa prolis, de qua in Genesi I. 28.: secunda causa adiutorii, de qua ibi. II. 18.: tertia causa incontinentiae; unde dicit Apostolus ut qui se non continet, nubat ».

Praeter haec aliud bonum Augustinus enumerat, quod est Sacramentum: sub quo nomine duplex res intelligitur, causa nimirum et effectus. Causa est ipsa sacramenti ratio sita in significatione cuiusdam mysterii ac efficientia gratiae, ut suo loco demonstrabitur: effectus est indissolubilitas vinculi. « Quem non facit intentum, inquit Augustinus, quid sibi velit tanta firmitas vinculi coniugalis? quod nequaquam puto tantum valere potuisse, nisi alicuius rei maioris ex hac infirma mortalitate hominum quoddam sacramentum adhiberetur, quod deserentibus hominibus atque id dissolvere cupientibus inconcussum illis maneret ad poenam.... Nec tamen nisi in civitate Dei nostri, in monte sancto eius talis est causa cum uxore ». ibid. c. 7. Distinguere Augustinum effectum, h. e. indissolubilitatem a causa sacramenti tum ex his ipsis verbis liquet tum ex eo quod cum sacramentum dixerit non esse nisi in Ecclesia Christi, ubi tamen indissolubilitatem vinculi reperit etiam ante legem Christi, sacramentum ibi ponat, quemadmodum in coniugio b. Virginis et s. Iosephi. « Omne enim nuptiarum bonum in illis parentibus Christi impletum est. Prolem cognoscimus I. C., fidem, quia nullum adulterium, sacramentum, quia nullum divortium ». De Nupt. et Concup. L. I. c. 11. Ipsa scilicet indissolubilitas vinculi sacramentum appellatur ab Augustino: quam quidem bonum esse, perfectionem nempe vinculi coniugalis evidens est.

III. Omnia hactenus enumerata matrimonii bona revocare licet ad ea tria, quae frequenter praedicat Augustinus et cum eo universa schola: proles, fides, sacramentum. De prole non est quod amplius dicamus. Fides alterum formaliter, tertium saltem causaliter complectitur: fides enim tum in habitu tum in actu ipsa est amicalis societas coniugum operumque communicatio, obsequium et auxilium mutuum. Fides autem in reddendo debito sita remedium praestat concupiscentiae utriusque vel alterutrius, ut hoc ipso quod fides praestatur, remedium adhibeatur. Sacramentum unitatem duorum indissolubilem dicit, praeter gratiam sanctificantem.

IV. Cum haec sint Matrimonii bona, erunt quoque fines, propter quos coniugium iniri potest. Circa quae bona, sepositā nunc sacramentali sanctificatione, adverte quod singula seorsim expetuntur secundum ordinationem naturae. Et quidem quoad prolem nulla est dif-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ficultas, cum ea sit bonum, ipsa autem naturalis discretio et coniunctio sexuum sit ordinata ad procreationem prolis. Sed et ipsa familiaris amicitia seu societas viri et feminae per coniugium, praecisione etiam facta a consecutione prolis, bonum est, quod expetitur secundum ordinationem naturae. Illud enim dicendum est expeti secundum ordinationem naturae, cuius sunt omnia principia in ipsa natura, et quorum principiorum usus finem habet, quem ipsa lex naturalis maxime probat. Atqui mutuae obligationis et potestatis viri et feminae in corpus alterius, quibus coniugium constituitur, principia certe sunt in ipsa natura: capacitas certorum munerum et officiorum, quae utilia aut etiam necessaria sunt ad humanum convictum, alia et alia est in utroque sexu ex ipsa institutione naturae: usus horum principiorum h. e. mutua obligatio et potestas in corpus alterius contracta a viro et femina, operumque communicatio huic obligationi et potestati innixa gignit specialem amicitiam stabilem mutuique obsequii et auxilii securitatem, quem finem lex naturalis maxime probat, quae cum probet generatim amicitiam inter homines, ad amicitiam fovendam inter virum et feminam diversa singulis officia utrisque utilia distribuit. His vero positis matrimonii essentia habetur, cuius essentia consistit « in quadam indivisibili coniunctione animorum, per quam unus coniugum indivisibiliter alteri fidem servare tenetur » (3. p. q. XXIX. a. 2.).

Tertium quoque bonum h. e. concupiscentiae remedium in coniugio expetitur seorsim ab aliis secundum ordinationem naturae. Nam lex naturalis certe probat concupiscentiae refraenationem: lex quoque naturalis probat ut fidem obligatam serves: porro natura idoneos facit virum et feminam ut se mutuo obligent: ergo secundum ordinationem naturae agit qui ad id, quod ipsa lex naturalis probat assequendum, utitur eo quod ipsa natura instituit.

Dices utrumque argumentum supponere quod natura, idoneos faciens virum et feminam ad unionem maritalem, non ordinaverit eandem necessario ad procreationem prolis, seu non iusserit ut hac intentione coniugium ineatur: quod tamen suppositum demonstrandum esset, ut probetur posse alterutrum ex his duobus postremis finibus expeti, praecisione facta a primo.

Respondeo suppositum hoc haud aegre demonstrari. Et quod ad tertium finem attinet quod est remedium concupiscentiae, certum est quod cum aliqua res seu aliquod opus ad plures fines honestos conducere potest, ut illud honeste adhibeas non est necesse ut omnes fines intendas vel primarium, si quis est talis inter illos, sed satis est ut aliquem ex his finibus intendas, contra alios autem nihil facias; sic enim actio tua ex obiecto et fine erit bona. Ita e. g. ie-

iunii finis multiplex esse potest, honor Dei, expiatio tuorum peccatorum, impetratio alicuius beneficii spiritualis vel temporalis pro te vel pro aliis; quocumque ex his finibus agas, recte agis, aliis, si fines intrinseci sunt, per se consequentibus. Eodem pacto Matrimonium contrahis propter remedium concupiscentiae ac in usu eius id intendis, non impedis tamen generationem, prolemque suscipis, quam Deus dederit. Et adverte quod commixtio sexuum per se non est mala, cum sit ex ipsa institutione naturae: sed mala est vaga commixtio inter solutos, ac multo magis cum iis personis, quae sint alteri obligatae. Ut ergo hoc malum, in quod ferretur homo propter concupiscentiam, evitetur, eligitur ille status, in quo commixtio carnis licita est et honesta.

Quoad secundum, quem diximus finem, praeter principium modo allatum quod et heic valet, certum est praeterea, quod cum ab ipsa natura vel lege ius habes ad aliquem actum, sine quo ius exsistere potest, licet tibi, retento iure, omittere semper actum, imo et acquisito eo iure, te obligare ad omissionem actus, si praesertim maiorem perfectionem moralem haec omissio inducat, ac tandem ipsam potes obligationem omissionis actus suscipere cum ius acquiris, si ius illud etiam cum omissione eius actus, ad alios usus et fines utile esse potest. Tunc enim ea obligatio non ius sed solum exercitium aliquod eiusdem excludit. Ita porro agunt qui matrimonium ineunt tantum ob domesticam societatem, nolentes commisceri, ut proinde sicut licet post initum matrimonium coniugibus pacisci continentiam perpetuam, ita quoque liceat ante, quin haec pactio officiat veritati potestatis traditae; cum haec alia quoque iura et obligationes gignat, quorum expeditus erit usus. Haec vero potestas mutuo tradita sive hoc vinculum coniugale cum sit unum quid indivisibile, quamvis ex eo plura iura et officia progerminent, si manere potest pro aliquo effectu producendo, integrum maneat oportet? Sed de hac re, in qua difficultas non minima est, agemus data opera in seq. Th.

Dices: si non esset procreatio prolis, matrimonium non fuisset institutum. Respondeo. Si tantum non haberetur actu procreatio prolis, *neg.*: si ea non esset possibilis, *subd.* si non esset possibilis ex aliqua tantum positiva Dei lege nolentis formare organismum prolis in utero feminae vel creare animas, rursus *neg.* si non esset possibilis procreatio prolis eo quod esset impossibile per se ex commixtione carnis prolem generari, *subd.* si tamen per se possibilis maneret commixtio carnis, *neg.* si ea quoque esset impossibilis, *conc. consequens.* Sed adverto duo. 1° Cum haec hypothesis sit absurda, posita natura tali hominis: nihil mirum quod ex absurdo aliud absurdum sequatur. 2. Etiam dato quod nisi fuisset procreatio prolis,

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Tellez

adhuc possibili exsistente commixtione carnis, non fuisset matrimonium institutum, non recte colligitur quod propter solam filiorum procreationem ineundum sit; nam non raro contingit ut id, quod nisi exsistente aliquo certo fine non fuisset institutum, cum tamen postquam institutum est ad alios quoque fines conducere potest seu alia bona parere, propter ea possit adhiberi, iis solis directe intentis, dummodo contra finem illum, qui esset primarius, non agatur: qua de re confer theologos morales.

Ratio vero cur negaverimus quod non fuisset matrimonium institutum dummodo possibilis maneret commixtio carnis, ex supradictis petenda est. Nam possibilis adhuc foret specialis unio utriusque sexus, specialisque amicitia ac communicatio operum stabilis in obsequium et subsidium utriusque ac praeterea remedio concupiscentiae esset locus coarctatae intra limites debiti erga alterum, cui fides fuerit perpetuo obligata. Prius ex his in statu quoque innocentiae potuisset haberi, alterum certe in statu purae naturae vel lapsae.

V. Heic tamen quaestio se offert an inter fines enumeratos sit quidam primarius, et an is sit procreatio prolis. Ante responsionem utrique quaestioni, primarii finis (loquimur de fine operis) notio est tenenda. Non enim dicimus primarium finem illum, praeter cuius intentionem nequeat medium adhiberi: hic non est reapse finis primarius, sed unicus: primarius vero finis alios fines secum patitur. Primarium operis finem dicimus, qui naturâ prius consequitur ex opere et pro quo prae ceteris necessarium est opus. Hoc posito distinguimus inter matrimonium universim spectatum et matrimonii usum h. e. concubitum coniugalem. Huius finis primarius est proles, secundarius est remedium concupiscentiae ac mutui amoris exhibitio et testificatio. Patet, quia prius naturâ sequitur ex concubitu proles, quam alia bona, quae praeterea etiam aliis viis per se obtineri possent. Quoad ipsum matrimonium universim spectatum, certum est quod remedium concupiscentiae non est eius finis primarius, cum matrimonium perfectum esse possit sine necessitate huius remedii, ut in statu innocentiae. Quoad alia duo bona, societatem nempe domesticam cum ceteris utilitatibus eam consequentibus et procreationem prolis, dicendum est potestatem habendae prolis esse eius primarium finem. Nam cum ipsum situm sit in mutua potestate alterius in corpus alterius ad carnalem copulam: ex hac potestate immediate sequitur et naturâ prius potestas habendae prolis, imo per se ex ordinatione naturae, etsi identidem per accidens deficiat, eadem est potestas ad copulam et potestas habendae prolis. Praeterea ad hoc prae ceteris bonis necessaria est potestas alterius in alterum ad carnalem copulam. E contrario societas utriusque supponit hanc

potestatem saltem radicaliter. At si comparetur cum societate domestica susceptio sola prolis, non apparet cur haec prae illa dicatur finis primarius. Nam et proles abesse potest: ea autem societas et amicitia prius naturâ exsistit posito vinculo quam proles. Et de hac re satis.

Restat igitur ut bona enumerata tum fines sint propter quos inire licet coniugium, tum singuli seorsim gaudeant hac praerogativa finis. Cf. Sanchez De Matr. L. II. D. XXIX.

VI. Quaeres an bonum sacramenti valeat esse causa finalis contrahendi matrimonii. Non video cur negandum id sit, cum illud sit aliquod per se bonum, cuiusmodi sunt omnia sacramenta ac sit praestantius bonum in matrimonio; omne autem per se bonum possit esse finis. Nihilominus dubitare licet an prudenter ageret, qui ex solo amore sacramenti ductus vellet inire coniugium. Si enim nec indiget remedio concupiscentiae nec domestica amicitia ac subsidio alterius sexus, nec prolem curat habere, non liquet cur non potius caelibatum statumque virginitatis eligat: nam etsi bonum gratiae sacramentalis non lucretur, lucrabitur abundantiorem gratiam ex opere operantis magisque Deo placebit.

VII. Ex dictis satis fit manifestum bona huiusmodi, de quibus hactenus loculi sumus, esse bona matrimonio intrinseca vel ex rei natura, ut tria priora et sacramentum quoque prout unitatem indissolubilem dicit, vel ex institutione Dei, ut sacramentum proprie dictum, cuius ratio in Cap. seq. declarabitur. Quod illa priora sint intrinseca matrimonio evidens est: nam vel eius essentiam constituunt, vel sunt naturalis finis eiusdem, vel proprietas naturae eiusdem apprime conveniens.

Ex quo duo consequuntur. 1. Cum omnia elementa constitutiva matrimonii bona sint, ultimum autem, quod est sacramentum, causa sit quoque sanctitatis supernaturalis, evidens est matrimonium esse statum honestum et sanctum, honesteque et sancte per se agere, qui illum statum suscipiunt.

2. Bonis supradictis matrimonium honestatur non extrinsece, veluti honestate extrinsecus accedente, ac si ipsum in se vel malum esset vel indifferens; cum e contrario, quoniam iis bonis intrinsece constituitur, intrinsece bonum et sanctum est.

Dici quoque solet Matrimonium excusari per eadem bona: quod quidem non de ipso Matrimonio, sed de actu eius, qui est carnalis commixtio, intelligendum est. Nimirum in coniugali actu accidit boni alicuius iactura, amissio scilicet virginitatis et quaedam obnubilatio rationis propter vehementiam passionis, qua quodammodo absorbetur ratio, tum tribulatio carnis, quam oportet coniuges sustinere. Nullus

autem sapiens et prudens iacturam boni alicuius faceret nisi cum aliqua compensatione alterius boni, quod bonum idque multiplex, licet in alio ordine, obtinet in matrimonio. Excusatur vero actus commixtionis rursus non per aliquid extrinsecum, sed intrinsecum; intrinsecum est enim illi actui quod debitus sit ex fide alteri data ideoque actus iustitiae, quod remedium concupiscentiae afferat prolemque suscipiat. Quocirca his bonis « non indiget matrimonium quasi exterioribus quibusdam ad honestandum, sed quasi causantibus in ipso honestatem, quae ei secundum se competit » (in 4^m D. XXXI. q. 1. a. 1° ad 2^m).

VIII. Quaerit s. Thomas (ibid. a. 3. gl. 1.) quodnam ex tribus bonis, quae sunt fides, proles, sacramentum, sit principalius. Iam vero monet s. Doctor quod aliquid principalius dicitur duobus modis, aut quia est *essentialius*, aut quia est *dignius*. Si dignius quaeritur, sic omnibus modis Sacramentum est principalius, quia pertinet ad matrimonium in quantum hoc spectat ad ordinem gratiae; alia vero spectant ad ipsum prout est quoddam naturae officium. Si autem quaeritur essentialius, tunc distinguendum est, quia fides et proles possunt dupliciter considerari: uno modo in se ipsis (h. e. in actu) et sic pertinent ad usum matrimonii, per quem et proles producitur, et pactio coniugalis servatur. Sed indivisibilitas, quam Sacramentum importat, pertinet ad ipsum matrimonium secundum se, quia ex hoc ipso quod per pactionem coniugalem sui potestatem sibi invicem coniuges in perpetuum tradunt, sequitur quod separari non possunt; et inde est quod matrimonium numquam invenitur sine inseparabilitate, invenitur autem sine fide et prole, quia esse rei non pendet ab usu eius. Et secundum hoc Sacramentum (h. e. vinculi indissolubilitas) est essentialius matrimonio quam fides et proles. Alio modo possunt considerari fides et proles secundum quod sunt in suis principiis, ut pro prole accipiatur intentio (vel potestas) prolis et pro fide debitum servandi fidem; sine quibus etiam matrimonium esse non potest, quia haec in matrimonio ex ipsa pactione coniugali causantur, ita quod si quid contrarium his exprimeretur in consensu, non esset verum matrimonium. Et sic accipiendo fidem et prolem constat quod proles est essentialissimum in matrimonio (quia est finis primarius), secundo fides et tertio Sacramentum: sicut etiam homini est essentialius esse naturae quam gratiae, quamvis esse gratiae sit dignius.

THESIS III.

Haud repugnat essentiae contractus matrimonialis pactum additum eidem servandae perpetuae continentiae: fierique potest ut hoc modo beatissima Deipara et s. Iosephus coniugium iniverint.

I. In c. *Si Conditiones, de Conditionibus appositis,* dicitur: « Si conditiones contra substantiam coniugii inserantur, puta si alter dicat alteri, contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem, aut si pro quaestu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu: licet aliae conditiones appositae in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant, propter eius favorem, pro non adiectis haberi ». Quoad ultimam partem huius Capitis cf. Sanchez L. V. D. 3^a; ad nostram enim quaestionem ea non spectat. Quod in prima parte statuitur videtur adversari iis, quae docuimus in praecedente Th. et heic rursus plenius defendimus. Qui enim matrimonialem contractum inirent cum pacto expresso servandae virginitatis seu abstinendi a commixtione carnali, iidem contractui hanc tandem conditionem apponerent: contraho tecum si prolis generationem evites, quae nullum efficit contractum. Et sane cum proles sit finis matrimonii, ut propter illam solam sit contrahendum, si Augustino credimus (cf. praeced. Th. n. II), quae tamen proles mediante copula obtinetur, nonne conditio abstinendi a copula adversatur fini contractus? voluntas autem expressa non consequendi finis nonne est hoc ipso voluntas quoque non adhibendi medii, quod pro solo eo fine est institutum? Imo contradictoria sibi invicem apparent et idcirco se mutuo destruere contractus matrimonialis et pactum servandae virginitatis. Illo enim fit mutua obligatio et potestas ad carnalem copulam, hoc fit obligatio abstinendi ab ea et impotentia eiusdem, moralis quidem sicut etiam moralis est potestas in coniugio. Quocirca irrisorius videtur hic contractus: do tibi potestatem ad hoc, dummodo te obliges ad non utendum ea, h. e. dummodo non obtineas hanc potestatem. Etsi igitur pactum virginitatis servandae sit de re sancta imo sanctiore, quia tamen componi nequit cum matrimoniali consensu, dicendum est matrimonium per illud pactum irritari. Ita quidem non pauci. Benedictus XIV (De Syn. Dioeces. XIII. 22. cf. et de festis B. M. de Desponsatione) dubius, ut solet, haeret propter oppositas sententias Doctorum; ut autem verum matrimonium, quale reapse fuisse censet, inter b. Virginem et s. Io-

autem sapiens et prudens iacturam boni alicuius faceret nisi cum aliqua compensatione alterius boni, quod bonum idque multiplex, licet in alio ordine, obtinet in matrimonio. Excusatur vero actus commixtionis rursus non per aliquid extrinsecum, sed intrinsecum; intrinsecum est enim illi actui quod debitus sit ex fide alteri data ideoque actus iustitiae, quod remedium concupiscentiae afferat prolemque suscipiat. Quocirca his bonis « non indiget matrimonium quasi exterioribus quibusdam ad honestandum, sed quasi causantibus in ipso honestatem, quae ei secundum se competit » (in 4^m D. XXXI. q. 1. a. 1° ad 2^m).

VIII. Quaerit s. Thomas (ibid. a. 3. gl. 1.) quodnam ex tribus bonis, quae sunt fides, proles, sacramentum, sit principalius. Iam vero monet s. Doctor quod aliquid principalius dicitur duobus modis, aut quia est *essentialius*, aut quia est *dignius*. Si dignius quaeritur, sic omnibus modis Sacramentum est principalius, quia pertinet ad matrimonium in quantum hoc spectat ad ordinem gratiae; alia vero spectant ad ipsum prout est quoddam naturae officium. Si autem quaeritur essentialius, tunc distinguendum est, quia fides et proles possunt dupliciter considerari: uno modo in se ipsis (h. e. in actu) et sic pertinent ad usum matrimonii, per quem et proles producitur, et pactio coniugalis servatur. Sed indivisibilitas, quam Sacramentum importat, pertinet ad ipsum matrimonium secundum se, quia ex hoc ipso quod per pactionem coniugalem sui potestatem sibi invicem coniuges in perpetuum tradunt, sequitur quod separari non possunt; et inde est quod matrimonium numquam invenitur sine inseparabilitate, invenitur autem sine fide et prole, quia esse rei non pendet ab usu eius. Et secundum hoc Sacramentum (h. e. vinculi indissolubilitas) est essentialius matrimonio quam fides et proles. Alio modo possunt considerari fides et proles secundum quod sunt in suis principiis, ut pro prole accipiatur intentio (vel potestas) prolis et pro fide debitum servandi fidem; sine quibus etiam matrimonium esse non potest, quia haec in matrimonio ex ipsa pactione coniugali causantur, ita quod si quid contrarium his exprimeretur in consensu, non esset verum matrimonium. Et sic accipiendo fidem et prolem constat quod proles est essentialissimum in matrimonio (quia est finis primarius), secundo fides et tertio Sacramentum: sicut etiam homini est essentialius esse naturae quam gratiae, quamvis esse gratiae sit dignius.

THESIS III.

Haud repugnat essentiae contractus matrimonialis pactum additum eidem servandae perpetuae continentiae: fierique potest ut hoc modo beatissima Deipara et s. Iosephus coniugium iniverint.

I. In c. *Si Conditiones, de Conditionibus appositis,* dicitur: « Si conditiones contra substantiam coniugii inserantur, puta si alter dicat alteri, contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem, aut si pro quaestu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu: licet aliae conditiones appositae in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant, propter eius favorem, pro non adiectis haberi ». Quoad ultimam partem huius Capitis cf. Sanchez L. V. D. 3^a; ad nostram enim quaestionem ea non spectat. Quod in prima parte statuitur videtur adversari iis, quae docuimus in praecedente Th. et heic rursus plenius defendimus. Qui enim matrimonialem contractum inirent cum pacto expresso servandae virginitatis seu abstinendi a commixtione carnali, iidem contractui hanc tandem conditionem apponerent: contraho tecum si prolis generationem evites, quae nullum efficit contractum. Et sane cum proles sit finis matrimonii, ut propter illam solam sit contrahendum, si Augustino credimus (cf. praeced. Th. n. II), quae tamen proles mediante copula obtinetur, nonne conditio abstinendi a copula adversatur fini contractus? voluntas autem expressa non consequendi finis nonne est hoc ipso voluntas quoque non adhibendi medii, quod pro solo eo fine est institutum? Imo contradictoria sibi invicem apparent et idcirco se mutuo destruere contractus matrimonialis et pactum servandae virginitatis. Illo enim fit mutua obligatio et potestas ad carnalem copulam, hoc fit obligatio abstinendi ab ea et impotentia eiusdem, moralis quidem sicut etiam moralis est potestas in coniugio. Quocirca irrisorius videtur hic contractus: do tibi potestatem ad hoc, dummodo te obliges ad non utendum ea, h. e. dummodo non obtineas hanc potestatem. Etsi igitur pactum virginitatis servandae sit de re sancta imo sanctiore, quia tamen componi nequit cum matrimoniali consensu, dicendum est matrimonium per illud pactum irritari. Ita quidem non pauci. Benedictus XIV (De Syn. Dioeces. XIII. 22. cf. et de festis B. M. de Desponsatione) dubius, ut solet, haeret propter oppositas sententias Doctorum; ut autem verum matrimonium, quale reapse fuisse censet, inter b. Virginem et s. Io-

sephum, tueatur, eam viam init, quae excludit pactum expressum servandae virginitatis appositum ipsi contractui. Quamvis vero haec ratio explicandi coniugii illius non improbetur nobis, censemus tamen verum potuisse esse illud coniugium etsi pactum virginitatis servandae praecesserit, h. e. generatim pactum istud mutuo susceptum non vitiare contractum matrimonialem.

II. Verum quidem fuisse matrimonium, non sola sponsalia inter B. V. et s. Iosephum, adeo pro certo habet Suarez in 3. p. Q. XXIX. a. 2. Sect. 1. ut asserat esse veritatem Fidei, quod non probat Sanchez L. II. D. XXVIII. Si veritatem fidei intelligis eam, quae non solum revelata a Deo sed et ab Ecclesia est definita, iure Sanchez improbat opinionem Suarez: si autem veritatem fidei dicis eam, quae revelata est, quaeque definiri ab Ecclesia potest, verum Suarez dixisse censemus propter argumenta theologica, quae id nobis persuadent. Legenda est de hac re Dissertatio erudita cl. P. Patrizi de prima Angeli legatione ad s. Iosephum, seorsim edita. Nos breviter rem conficimus hoc pacto. 1. In describenda genealogia Christi hic est Matthaei scopus (I. 1 seq.) ostendere nimirum Christum ex Abrahamo et Davide originem ducere. Cum vero Christus, ipso teste Matthaeo (ibid. 18 seq.), ex sola Virgine absque ope viri ortus sit, oportuit Christum per ipsam b. Virginem originem ducere a Davide: ideoque oportuit quod ipsa b. Virgo esset a Davide; idque necesse erat Evangelistae demonstrare, si volebat ostendere Christi originem a Davide. Iam vero Matthaeus seriem generationum a Davide deducit ad Iosephum, subdens deinde hunc esse virum Mariae, ex qua natus est Iesus. Atqui haec ratio describendi genealogiam Christi nihil concluderet, nisi Matthaeus supponeret notum iis, quibus scribebat, istud, nempe Mariam esse adgnatam Iosephi, h. e. ex eadem familia. Istud, inquam, supponit notum Matthaeus; nam haec est reapse minor eius ratiocinii, quam tamen reticuit: nimirum ita arguit nec aliter eius conclusio valere potest, scilicet: isti, quos enumeravi, sunt progenitores Iosephi, atqui Maria est adgnata Iosephi, ergo iidem vel omnes vel fere omnes, ultimo forte dempto, sunt quoque progenitores Mariae, ideoque et Christi. Hanc ergo praemissam necessariam suae conclusioni cur reticuerit Matthaeus ratio alia non fuit, nisi quia eam cognitam supponebat iis, quibus scribebat. Porro hoc ostendit iisdem quoque notum fuisse quod Maria fuerit vera uxor Iosephi. Nam quomodo poterat generatim constare Mariam esse adgnatam Iosephi? Factum aliquod publicum requirebatur. Huiusmodi autem aliud esse non poterat quam hoc, quod Maria filia, carens fratribus, coacta fuerit nubere vi legis de filiabus heredibus (Num. XXXVI. 1 seqq.) quae quidem lex iubebat filias heredes nubere adgnato. Cf. Patrizi de Evangel. Diss. VI. et Diss. IX. c. 2. p. 1.). Id ergo communiter constabat, Mariam fecisse satis huic legi. Lex vero iubebat filiam heredem non sponsalia quaedam tantum sed verum coniugium inire cum adgnato. Ergo tandem ipse Matthaeus vocans Iosephum virum Mariae, τὸ *virum* presse accipit, eum scilicet qui veri coniugii vinculo coniunctus erat uxori Mariae, quae vi illius legis ei nupserat.

2. Desponsata dicitur Maria Iosepho (Matth. I. 18. Luc. I. 27.); porro vel ita accipitur desponsatio Virginis, de qua Evangelistae loquuntur, ut absolutae fuerint nuptiae, vel ut adhuc superesset celebritas nuptiarum (cf. Parergon in fine huius cap.). Si primum, habes perfectum coniugium. Si alterum: 1° vel sola desponsatio efficiebat verum matrimonium apud Hebraeos: acceptio vero seu deductio sponsae in domum viri h. e. celebratio nuptiarum id praestabat (aetate saltem seriore) ut legitime et honeste coniuges uterentur potestate iam tradita et acceptata (cf. Dissert. Patrizi citatam). Ergo si in traditione potestatis consistit coniugium, iam vera uxor Iosephi erat b. Virgo. At 2° dubitare non licet quod si adhuc aliquid superfuisset agendum h. e. celebratio nuptiarum, id suo tempore peractum non fuerit. Nam secus debuisset Iosephus ex iure mosaico dimittere sponsam dato libello repudii, quod Iosephus certe non fecit: ergo.

3. Praeterea qui fieri potuisset ut Iesus crederetur communiter filius Iosephi fabri (Luc. III. 23; Ioan. VI. 42. coll. Marc. VI. 3.), nisi constitisset omnibus verum coniugium fuisse inter eum et Matrem Domini? Peractum ergo fuerat ab utroque, et quidem publice, quidquid ad verum matrimonium ineundum requirebatur, ideoque verum matrimonium contractum fuit.

4. Quid autem Patres? Patres generatim rationes investigant et reddunt cur b. Virgo coniuncta fuerit viro, ut nimirum (cf. Hieron. in Matth. c. 1.) subsidium et solatium haberet: ut ne adultera reputaretur, ut partum eius diabolus celaretur: iam vero haec, praesertim duo postrema, postulant talem concipi unionem b. Virginis cum s. Iosepho ut vi illius unionis censendus esset Ioseph ius habere in b. Virginem ad actus coniugales: atqui hoc est vinculum proprium matrimonii. Cum vero negant Iosephum fuisse aut dici *maritum virginis* (cf. Hieronym. ibid. c. II), maritum intelligunt eum, qui non solum vir est sed qui praeterea copula utitur coniugali: quae est ratio cogitandi frequens Hieronymo, qui proinde maritos, sicut et uxores, opponit virginibus hoc quidem pacto ut virginibus his connumeret et eos, qui matrimonii foedere copulati abstinent a coitu (cf. quae disputat contra Helvidium, quaeque ex eo afferemus Cap. II. Th. VII). Et merito quidem; virginitati enim

ac perfectissimae castitati non vinculum coniugale, sed usus copulae adversatur. Tenendum est igitur b. Virginem vinculo veri coniugii copulatam fuisse s. Iosepho.

III. Sed et hoc quoque tenendum est b. Virginem voto virginitatis, antequam annuntiaretur ab Angelo, se obligasse Deo. Id enim credere cogunt verba ipsius ad Angelum: *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.* Istud enim praesens: *non cognosco,* hoc in loco, non actum quemdam transeuntem, sed voluntatem, potentiam actus significat, ut frequenter solet forma verbi praesens: secus inepta esset et ridicula responsio. Sensus ergo est: quoniam nolo aut non possum cognoscere virum h. e. illi misceri. An putabimus cum interprete Protestanti Wilh. Meyer in h. l. Mariam ex errore ita accepisse Angeli verba praecedentia ut putaverit se statim tunc debere non cum suo viro, qui aberat forte, sed cum alio commisceri, ideoque significasse voluntatem suam servandae castitatis coniugalis. Haec irreverentiae plena interpretatio, praeterquam quod Patribus ignota et ab iisdem abhorrens est, ipsis Mariae Virginis verbis excluditur: quae non respondit se non cognoscere alium virum, sed simpliciter se non cognoscere virum: cuius responsionis, si verba per se spectentur, alter ex his duobus tantum potest esse sensus: vel nullum virum se cognoscere, vel se non cognoscere virum suum. Quia vero absurdum est putare quod b. Virgo suspicata sit Angelum proponere ipsi illicitam naturaeque iure vetitam commixtionem, ea verba hoc in loco alterum tantum sensum fundere possunt, hucque proinde redeunt: *quoniam non cognosco virum meum.* Praeterea quid erat in verbis Angeli, qui futuris solis est usus: *concipies, paries,* ex quo liceret Mariae suspicari quod de conceptu mox habendo ille loqueretur? Quod vero ait iste Dr. interpretationem nostram excludi ab ipsa conditione Mariae, quippe quae erat matrimonio iuncta Iosepho, id prorsus ineptum est: quasi vero saltem post initas nuptias non liceat coniugibus ex consensu vovere virginitatem: quod contigisse nos non divinamus, sed ex verbis Mariae docemur. Cf. Petavium De Incar. L. XIV. c. 4.

IV. Verum quaestio fieri potest utrum post initas tantum nuptias, an ante easdem, et si hoc alterum, an absolute an solum conditionate, nisi nempe Deus aliud sibi probari eidem forte significaverit, votum virginitatis emiserit b. Maria.

Priori quaestioni solvendae certa non suppetunt scripturarum testimonia. Sensus tamen Ecclesiae satis clare se prodit penes veteres recentesque concors pro sententia affirmante votum seu propositum virginitatis elicitum ante nuptias. Id testatur vetustissimus auctor libri apocryphi Evangelii Nativitatis. Id Epiphanius censuisse vide-

tur in haer. LVIII. n. 7. inquiens « b. Mariam Iosepho quidem (quem tamen senem fuisse putat) traditam fuisse, at nequaquam ei ad copulationem fuisse concessam ». Ita Augustinus censuit qui in Lib. de Virginit. c. 4. ait. « Desponsata est viro iusto, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro quod illa iam voverat ». Ita Sophronius hierosol. in orat. in Deiparae Annunt. (Sylloge Ballerini p. 2. p. 93.) postquam quoad eius fieri potuit puritatem et virginitatem b. Mariae oblatae in templo ac deinceps, commendasset, ita Angelum loquentem inducit ad b. Virginem: « Novi quod Iosephus merum nomen (coniugis) sine re sortitus sit, neque enim adiunctus fuit tibi tanquam prolis sator, sed ut fidelis et Deo carus filii tui minister ». Ioannes Geometra vero sec. medio XI non recentior (Sylloge Ballerini. cf. eius praefat. p. 2.) aiebat in orat. in Deiparae Annunt. (ibid. pag. 166.) « traditionem a Patribus ad nos derivatam: Virginem non modo nuptiarum usum sed ne desiderium quidem earumdem novisse. Nullum, inquit, viri desiderium novi, nulla mihi carnis voluntas est. Quod quidem vel ex omni femineo sexu singulare illi fuit, quoniam et prae omnibus et ex proposito voluntatis hisce inquinamentis inaccessa castitas in ea fuit ». Hinc sec. XII Hugo Victorinus miratus est exstitisse aliquem, qui votum virginitatis ante nuptias editum a b. Virgine in dubium vocare ausus sit ea ratione motus quod id cum consensu necessario ad coniugium nequeat componi. Quod quidem ipse egregie et subtiliter refellit in opusc. de perpetua virginitate b. Mariae. Tandem post eum Thomas votum virginitatis praecessisse nuptias docuit in 4° D. XXX. et cum eo generatim scholastici.

V. At quaestio est reliqua an hoc votum ante nuptias fuerit absolutum an tantum conditionatum. Conditionatum votum intelligitur hoc pacto, quod b. Virgo firmiter proposuerit Deoque spoponderit suam perpetuam virginitatem, cum voluntate eam, quantum in suo arbitrio situm erat, servandi, adiecta nihilominus huic promissioni aliqua conditione, non tantum hac implicita: si Deo placeat, quae omnia vota comitatur, ait s. Bonaventura (in 4° D. XXVIII. a. 1. q. 6.), sed explicita et determinata magis, orta ex dubio quo sollicitari adhuc poterat virgo: nempe *nisi ex aliquo debito servandae legis divinae, qua obliger, intelligam aliam esse Dei voluntatem.* Cogitandum est enim b. Virginem, quae filia heres erat, cognovisse legem mosaicam, quae iubebat huiusmodi filias nubere adgnatis, ut bona in familia manerent, ius proinde fuisse alicui ex adgnatis ipsius eam sibi ducere in uxorem. Est porro obligatio uxoris, nisi vir consentiat in continentiam, reddendi debitum. In his constituta Virgo potuit ne votum absolutum virginitatis emittere? Distinguenda est duplex hypothesis.

Si supponamus iam pridem revelatione divina certiorem factam b. Virginem quod, quidquid eventurum esset, quamvis ei nubendum foret, nulli tamen periculo sua virginitas foret obnoxia, potuit ante matrimonium spondere Deo absolute virginitatem. At si hanc notitiam Virginis ex divina revelatione non supponimus, non potuit ipsa concipere nisi votum conditionatum: secus enim minus se conformem exhibuisset legi, quod profecto cavendum erat magis. Porro si nulla revelatio praecessit, dicendum erit vel coniugium initum fuisse a b. Virgine cum eo voto solum conditionato, si Iosephus consentiat; accedente autem consensu Iosephi post contractum matrimonium, evasisse votum absolutum, antequam ab Angelo salutaretur: vel ante ipsum contractum matrimonialem, pactum mutuum cum Iosepho intercessisse servandae in coniugio virginitatis, eamque, consentiente futuro viro, iam tum absolute vovisse virginem, si hoc quidem pactum non obest consensui matrimoniali. Si vero revelatio ea praecessit, quam diximus, b. Virgo etiam ante quam de coniugio cogitaret, ante acceptum futuri viri consensum, potuit absolute vovere virginitatem Deo, quam certo sciebat nulla extrinseca causa violandam fore, se invita. Quid vero probabilius est accidisse? Si sensum Ecclesiae expressum testimoniis citatis perpendas, aegre tibi persuadebis de solo voto conditionato ante nuptias sermonem esse. Loquuntur enim vel simpliciter de voto, vel etiam de voto absoluto. Hoc est quod Victorinus defendit, quod Thomas affirmat, qui proinde ad id explicandum ponit revelationem antea factam virgini, qua certior fieret nunquam suam virginitatem periclitaturam. Haec sententia, praecessisse votum absolutum virginitatis matrimonium, cohaeret magis cum eminenti conceptu purissimae Virginis ac cum ea communi sententia, quod b. Virgo prior fuerit quae virginitatem voverit: secus enim una cum ipsa simul et b. Iosephus pariter vovisset. Quaestio itaque restat, an licuerit utrique addere consensui matrimoniali pactum de servanda virginitate liceatque nobis ita concipere initas nuptias a b. Virgine cum s. Iosepho. Id profecto pronius est excogitare factum, si nulla praecessit revelatio Virgini; sed et in hac hypothesi fieri quoque id potuit, nisi essentia contractus matrimonialis reiiciat huiusmodi pactum. Liquet quaestionem generalem proponi posse, an scilicet huiusmodi pactum reddat nullum contractum matrimonialem.

VI. Etsi non pauci Doctores, quos magis probare videtur Benedictus XIV (De Festo Desponsationis b. Mariae), id censeant videanturque inniti auctoritati s. Thomae, nihilominus certa nobis est sententia negans, quam Hugo Victorinus (opusc. citato) aliique, quos sequitur Ballerini (in opere morali De Matrim. n. 752 in not.) de-

fendunt. Sane 1° argumenta, quae pro opposita sententia afferuntur, rem non conficiunt. Etenim α) male provocatur ad canonem Decretalium (n. I.). Nam conditio ea, quae dicitur esse contra substantiam matrimonii: *Si generationem prolis evites,* absque ulla ratione confunditur cum ista: *Si continentiam servare velis,* licet ex hac sequatur defectus prolis. Conditio enim, quae est contra substantiam matrimonii, est ea quae non tantum negative, sed positive opponitur alicui bono matrimonii, cuiusmodi certe sunt duae sequentes enumeratae a Pontifice: atqui conditio evitandi prolem, quae positive adversetur matrimonio, est voluntas impediendi prolis generationem in usu coniugii. Sensus scilicet conditionis est: contraho tecum, si in commixtione carnali impedire velis ne proles exsistat. Sane exempla huius conditionis allata a canonistis huc spectant, nimirum vel suffocando prolem, vel poculum sterilitatis bibendo, ut docetur in cap. *aliquando* 32. q. 5. ait Gonzalez in 4. Decretal. h. l. quae exempla supponunt copulam carnalem, indicantque voluntatem impediendi ne ex copula maritali oriatur proles; quod profecto est directe contra finem eiusdem. Iam vero id est prorsus aliud quam statuere abstinentiam a copula: ergo non bene ad hoc decretum provocatur in hac quaestione. Sane ipsa conditio apposita impediendae prolis est contra substantiam matrimonii, quia eadem impeditio prolis in commixtione carnali est contra finem copulae coniugalis: atqui quis dixerit solam abstinentiam a copula esse *contra* finem matrimonii? Perperam igitur haec duo confunduntur.

Verum aiunt β) id reapse adversatur fini matrimonii, cuius finis est proles. Respondemus ergo secundum ea, quae ex Augustino docuimus in praeced. Th.: proles est finis copulae matrimonialis *conc.* vel *trans.* (nam et heic aliqua distinctio rursus facienda esset, at modo non refert), est finis ipsius vinculi matrimonialis, *subd.* immediatus, *neg.* mediatus, *subd.* est finis unicus vel essentialis essentiae matrimonii, *neg.* est aliquis finis, *conc.* Iam vero contractum aliquem inire cum pacto non quidem agendi contra aliquem ex eius finibus, sed solum non faciendi id, ex quo aliquis eius finis seu aliquod eius bonum consequitur, manentibus aliis finibus et bonis, nonne licet? Sane interrogo: est ne verus contractus matrimonialis, quando fiat inter eos, quibus possibilis est quidem copula, sed non possibilis proles? Quis id unquam sanus negavit? An in istis contrahentibus potest esse intentio prolis? non puto. Ergo valet contractus matrimonialis etiam sine ulla positiva intentione cuiusdam boni seu finis eiusdem, sine ulla, inquam, intentione prolis. Ex eo ergo quod propter pactum continentiae appositum contractui desit intentio prolis, nequit ex defectu intentionis huius finis, improbari illud pactum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

At instant acrius γ). Eo pacto apposito non solum deest intentio finis, sed et intentio copulae, imo obligatio inducitur abstinendi ab ea: atqui id repugnat ipsi consensui matrimoniali, quo potestas confertur ad copulam: nam potestas moralis ad copulam et obligatio moralis abstinendi ab ea, contraria sunt, quae simul esse non possunt. Hoc est praecipuum argumentum adversariorum (Sanchez L. V. D. 10.). Nihilominus habemus quid reponamus: tria scilicet affirmamus. 1° Intentio non utendi copula latens in animo non officit valori contractus, quo quidem secuto, si alter petat, reddere debitum oportebit, illique intentioni valedicere. 2° Haec intentio manifestata, quoniam si serio fiat, significat voluntatem obligandi alium ad continentiam, si hic in idem non consentiat, vitiat contractum. 3° Obligatio mutua ipso contractu suscepta continentiae non ipsi contractui matrimonii, sed usui cuidam libero eiusdem adversatur, et idcirco non irritat contractum. Primum patet; quia per se voluntas non utendi aliqua re non excludit voluntatem eam habendi. Sane si quis susciperet ordinem presbyteratus sine intentione unquam eius actus exercendi, an haec voluntas excluderet intentionem suscipiendi ordinis? nequaquam, sed vere presbyter esset, qui tamen obligari posset ab Episcopo ad actus ordinis, non obstante ea intentione. Ita in matrimonio. Distinguenda est enim cum s. Thoma (in 4ª D. XXX. q. 2. a. 2. ad 3ª), ut monet Sanchez (L. II. Disp. XXVIII. n. 4.), duplex ratio consensus impliciti. Alter enim est consensus implicitus ex parte obiecti seu contractus: hoc autem modo verum est in consensu in matrimonium contineri implicitum consensum in copulam, ad quam illud intrinsece ordinatur. Alter est consensus implicitus ex parte subiecti seu contrahentis, hoc autem modo non est necessarius consensus implicitus in copulam, imo licet contrahens habeat intentionem non consentiendi in copulam, est verum matrimonium: quod clare, ait Sanchez, videtur significare s. Thomas l. c. his verbis: « Virgo implicite consensit in copulam,... copula nunquam fuit in proposito; erat enim a Deo certificata quod actus nunquam subsequi deberet ». Ecce qualiter ex parte contractus ponit consensum implicitum in copulam, non vero ex parte contrahentis, sed oppositum animum. Ita Sanchez.

Alterum quoque patet: si enim alter non consentit in continentiam, quam alter velit, cum ille matrimonium velit propter eius intrinseca bona, quae cum hac persona non est consecuturus, neque censetur velle cum hac persona contrahere.

Quoad tertium adverte cum cl. Ballerini (De Matrim. n. 752 in not.) quod qui pactum hoc praemittunt contractui matrimonii, potius quam cedere iuri, dicendi sunt promittere cessionem iuris, nam

cessio iuris supponit acquisitam potestatem, quae contractu ipso matrimoniali acquiritur. Si vero hoc pactum simul cum ipso contractu concipiatur veluti modus eius, dicendi sunt ita contrahentes tradere sibi mutuo potestatem ut simul mutuo renuntient iuri ad copulam quod ex ea potestate oritur. Quemadmodum si quis emens domum utique in ipso contrahendi actu usum eiusdem venditori cederet.

Itaque istud tertium caput sic probamus. Distinguendum est tum inter potestatem transeuntem et permanentem, tum inter potestatem ad actum, quae nonnisi hunc ipsum actum nullumque alium effectum producere potest, et potestatem ad aliquem actum quidem, sed quae, permanens cum sit, aliud quoque consequens hanc ipsam potestatem ad actum efficere vel comparare valet. Iam vero concedimus quod si sermo sit de potestate transeunti et ea ex qua unus tantum ille actus natus est procedere, nequeat simul componi acquisitio potestatis et obligatio non utendi ea: at si sermo sit de alia potestate permanente, quae praeter actum ad quem est ordinata et propter hanc ipsam ordinationem, aliquod aliud bonum producere potest, negamus non posse ea duo simul componi. Exemplum primo habes in potestate ordinis sacerdotalis. Ea quidem per se est ordinata ad actus sacros et sane non est nisi potestas sacrificandi ac sacramenta ministrandi aliosque actus hierarchicos peragendi. Verum, cum sit potestas permanens, quis non videt quod praeter hos omnes actus, comparat homini quamdam perfectionem et dignitatem per se ipsam, ita ut bonum sit et appetibile vel sine omni actu ipsam habere? Quocirca non repugnat intrinsece eandem conferri cum obligatione ea non utendi, cuius exemplum quoddam habes in Episcopis titularibus in partibus infidelium, qui tamen prohibentur quemlibet actum suae potestatis in suis titulis exercere, possentque prohiberi eos quovis in loco exercere. Idem dic de Matrimonio: potestas est mutua in corpus alterius in ordine ad copulam, sed ex hac ipsa potestate permanente oritur unio et amicitia specialis, oritur ius ad auxilium et solamen alterius bonorumque stabilem communicationem: haec bona sunt, quae producit haec potestas, praecisa quoque copula. Quocirca et ipsa est per se expetibilis etiam seposita copula, nec frustra datur et obtinetur cum usus copulae negatur. Iam vero si ita est, evidens fit quod pactum illud continentiae additum contractui non opponitur potestati, sed tantum actui cuidam eiusdem: quia potestas per contractum datur et acceptatur, nec eam perimit ea obligatio, quia cum ea obligatione potestas haec adhuc bonos effectus producere potest et in se ipsa adhuc est aliquod bonum appetibile. Lege Hugonem Victorinum l. c. Igitur quoniam cum potestas habetur permanens ad aliquem actum, cuius positio non est neces-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

saria, distinguitur ipsa potestas et ius quoddam proximum utendi, quod amitti potest, ea manente, et ita est in Matrimonio, ac praeterea potestas haec, etiam renunciato libere hoc iure, aliquid facit, hinc consequitur componi haec duo posse, acquisitionem nempe potestatis in corpus alterius eique respondentem obligationem ac liberam abdicationem iuris utendi ea potestate quoad hoc, nempe ad copulam.

Quocirca illud ipsum per consensum matrimonialem hoc pacto affectum traditur et acceptatur, quod manet in coniugibus, qui post contractum se obligant mutuo consensu ad continentiam: Non ergo verum est quod ait Sanchez (l. c.) hoc pactum mutuum repugnare intrinsecis et necessariis ad matrimonium. Non enim repugnat necessariis: quia nec proles nec copula est necessaria: potestas vero in corpus alterius, quae necessaria est matrimonio, manet. Non repugnat intrinsecis, quia quod intrinsecum est matrimonio, id scilicet sine quo essentia eius esse nequit, est potestas mutua, non ius proximum utendi, cui renuntiant contrahentes. Quocirca si deinceps pactum hoc violarent, non fornicatores essent, sed rei violatae promissionis aut voti, si voto pactum hoc sanxissent. Haec si teneas, habes non solum solutionem difficultatum, sed demonstrationem Thesis. Ceterum neque ut certam sententiam oppositam tradit Sanchez, sed tantum ut probabiliorem.

Est autem celebre in Historia ecclesiastica (cf. Acta Sanctorum ad D. X. Sept. de s. Pulcheria §. 11.) matrimonium s. Pulcheriae Virginis cum Marciano celebratum, hac prius ab ea postulata promissione ex Marciano ab eodemque praestita servandae in coniugio virginitatis ipsius. Censemus proinde eodem modo potuisse b. Virginem et s. Iosephum coniugium inire.

THESIS IV.

Etsi matrimonii usus bonus sit, illi tamen praestat status virginitatis et caelibatus.

I. Canon est 10. Conc. Trid. Sess. XXIV. Si quis dixerit statum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis vel caelibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut caelibatu, quam iungi matrimonio: A. S. Haec est doctrina defendenda. Supponimus non solum matrimonium, sed matrimonii usum per carnalem copulam bonum esse, h. e. actum honestum et sanctum per se. Comparatio enim non instituitur proprie inter virginitatem ac caelibatum ex una parte et ex alia matrimonium simpliciter, quoniam cum hoc

potest consistere virginitas perfectioque caelibatus, sed matrimonium se exercens per commixtionem carnis, seu copulam coniugalem. Opus non est ut praeter dicta in Th. II. alia afferamus ad probandum usum hunc matrimonii esse actum bonum. Ex ibi enim dictis constat actum hunc esse institutum a natura ad optimum finem, qui est proles, actum praeterea esse iustitiae in reddendo debito; quem ipse Deus probavit, cum protoparentibus dixit: crescite et multiplicamini. Hoc ergo supposito, comparatio instituitur inter Matrimonium se exercens per carnalem commixtionem et virginitatem aut caelibatum. Porro advertendum rursus est a Patribus tridentinis comparationem fieri inter *status,* h. e. non inter personas, quae in his statibus versentur, sive inter perfectiones, quibus eae personae ex propria virtute praeditae esse possunt; sed inter *status,* h. e. inter ea, quae ex propria natura statui utrique competunt. Status autem est conditio per se immobilis et perpetua hominum ad certa opera vel munera obligatorum; quoniam vero comparatio fit inter status, hinc rursus non fit inter ea quae status rationi accidere possunt, cuiusmodi esset consecratio quaedam. Praeterea advertendum quod caelibatus, de quo sermo est, non est caelibatus, ut ita dicam, negativus, sola nempe carentia vinculi coniugalis, quacum componi potest vita immorigera et flagitiosa, sed caelibatus positivus, in quo scilicet quis alienus a nuptiis vitam ex animo ducere instituit exemptam a voluptatibus carnis. Tandem considerandum est quod comparatio fit ratione non cuiuslibet bonitatis, sed perfectionis moralis, quam homo obtineat propter hunc vel illum statum: quae moralis perfectio est supremum bonum, quod homo in hac vita assequi possit, cui proinde cetera subordinari debent, et propter quod fieri nequit ut alios iuvare impediatur, imo per se necesse est ut habilis magis exsistat ad verum bonum aliis procurandum. Haec vero perfectio moralis est ea beatitudo, quam homo in hac vita possit assequi, initium et pignus futurae beatitudinis.

II. Itaque Patribus Tridentinis quaestio erat de perfectione et beatitudine, utri statui utraque conveniat magis: docent autem Patres, secundum Ecclesiae perpetuam traditionem, ratione habita perfectionis et beatitudinis verae utique secundum Deum, anteponendum esse statum virginitatis et caelibatus, statui matrimonii. Id autem verum esse facile demonstratur. Constat id enim 1) ex doctrina Apostoli 1. Cor. VII. Apostolus scilicet affirmat bonum καλὸν esse quod quis mulierem non tangat (v. 1.), καλὸν esse innuptis et viduis, si in eo statu permaneant h. e. sine nuptiis, sicut ipse Apostolus permansit (v. 8.): subdit tamen quod si se non continent, h. e. si nequeunt continere, nubant, rationem reddens eo quod melius est nubere quam

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

saria, distinguitur ipsa potestas et ius quoddam proximum utendi, quod amitti potest, ea manente, et ita est in Matrimonio, ac praeterea potestas haec, etiam renunciato libere hoc iure, aliquid facit, hinc consequitur componi haec duo posse, acquisitionem nempe potestatis in corpus alterius eique respondentem obligationem ac liberam abdicationem iuris utendi ea potestate quoad hoc, nempe ad copulam.

Quocirca illud ipsum per consensum matrimonialem hoc pacto affectum traditur et acceptatur, quod manet in coniugibus, qui post contractum se obligant mutuo consensu ad continentiam: Non ergo verum est quod ait Sanchez (l. c.) hoc pactum mutuum repugnare intrinsecis et necessariis ad matrimonium. Non enim repugnat necessariis: quia nec proles nec copula est necessaria: potestas vero in corpus alterius, quae necessaria est matrimonio, manet. Non repugnat intrinsecis, quia quod intrinsecum est matrimonio, id scilicet sine quo essentia eius esse nequit, est potestas mutua, non ius proximum utendi, cui renuntiant contrahentes. Quocirca si deinceps pactum hoc violarent, non fornicatores essent, sed rei violatae promissionis aut voti, si voto pactum hoc sanxissent. Haec si teneas, habes non solum solutionem difficultatum, sed demonstrationem Thesis. Ceterum neque ut certam sententiam oppositam tradit Sanchez, sed tantum ut probabiliorem.

Est autem celebre in Historia ecclesiastica (cf. Acta Sanctorum ad D. X. Sept. de s. Pulcheria §. 11.) matrimonium s. Pulcheriae Virginis cum Marciano celebratum, hac prius ab ea postulata promissione ex Marciano ab eodemque praestita servandae in coniugio virginitatis ipsius. Censemus proinde eodem modo potuisse b. Virginem et s. Iosephum coniugium inire.

THESIS IV.

Etsi matrimonii usus bonus sit, illi tamen praestat status virginitatis et caelibatus.

I. Canon est 10. Conc. Trid. Sess. XXIV. Si quis dixerit statum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis vel caelibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut caelibatu, quam iungi matrimonio: A. S. Haec est doctrina defendenda. Supponimus non solum matrimonium, sed matrimonii usum per carnalem copulam bonum esse, h. e. actum honestum et sanctum per se. Comparatio enim non instituitur proprie inter virginitatem ac caelibatum ex una parte et ex alia matrimonium simpliciter, quoniam cum hoc

potest consistere virginitas perfectioque caelibatus, sed matrimonium se exercens per commixtionem carnis, seu copulam coniugalem. Opus non est ut praeter dicta in Th. II. alia afferamus ad probandum usum hunc matrimonii esse actum bonum. Ex ibi enim dictis constat actum hunc esse institutum a natura ad optimum finem, qui est proles, actum praeterea esse iustitiae in reddendo debito; quem ipse Deus probavit, cum protoparentibus dixit: crescite et multiplicamini. Hoc ergo supposito, comparatio instituitur inter Matrimonium se exercens per carnalem commixtionem et virginitatem aut caelibatum. Porro advertendum rursus est a Patribus tridentinis comparationem fieri inter *status,* h. e. non inter personas, quae in his statibus versentur, sive inter perfectiones, quibus eae personae ex propria virtute praeditae esse possunt; sed inter *status,* h. e. inter ea, quae ex propria natura statui utrique competunt. Status autem est conditio per se immobilis et perpetua hominum ad certa opera vel munera obligatorum; quoniam vero comparatio fit inter status, hinc rursus non fit inter ea quae status rationi accidere possunt, cuiusmodi esset consecratio quaedam. Praeterea advertendum quod caelibatus, de quo sermo est, non est caelibatus, ut ita dicam, negativus, sola nempe carentia vinculi coniugalis, quacum componi potest vita immorigera et flagitiosa, sed caelibatus positivus, in quo scilicet quis alienus a nuptiis vitam ex animo ducere instituit exemptam a voluptatibus carnis. Tandem considerandum est quod comparatio fit ratione non cuiuslibet bonitatis, sed perfectionis moralis, quam homo obtineat propter hunc vel illum statum: quae moralis perfectio est supremum bonum, quod homo in hac vita assequi possit, cui proinde cetera subordinari debent, et propter quod fieri nequit ut alios iuvare impediatur, imo per se necesse est ut habilis magis exsistat ad verum bonum aliis procurandum. Haec vero perfectio moralis est ea beatitudo, quam homo in hac vita possit assequi, initium et pignus futurae beatitudinis.

II. Itaque Patribus Tridentinis quaestio erat de perfectione et beatitudine, utri statui utraque conveniat magis: docent autem Patres, secundum Ecclesiae perpetuam traditionem, ratione habita perfectionis et beatitudinis verae utique secundum Deum, anteponendum esse statum virginitatis et caelibatus, statui matrimonii. Id autem verum esse facile demonstratur. Constat id enim 1) ex doctrina Apostoli 1. Cor. VII. Apostolus scilicet affirmat bonum καλὸν esse quod quis mulierem non tangat (v. 1.), καλὸν esse innuptis et viduis, si in eo statu permaneant h. e. sine nuptiis, sicut ipse Apostolus permansit (v. 8.): subdit tamen quod si se non continent, h. e. si nequeunt continere, nubant, rationem reddens eo quod melius est nubere quam

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

uri (v. 9.) h. e. a tentatione concupiscentiae superari, non tantum tentari; qui enim in igne tentationis positus manet castus, non uritur h. e. igne absumitur, sed purgatur. Sermo heic est de bonitate morali. Itaque status innupti dicitur simpliciter bonus, status nupti dicitur bonus propter incontinentiam scilicet vitandam h. e. ne peccetur, et cum haec sit minima bonitas moralis, status innupti bonus erit propter aliquid amplius: status prior est per se bonus et expetibilis, alter est bonus propter quamdam nativam animi infirmitatem ne peius contingat. Comparatio ergo ratione bonitatis instituitur inter utrumque statum et appellatio *boni* facta statui innuptarum vel innuptorum vim habet comparativam ut eadem sit ac *melior,* iuxta hebraeorum morem. Ne inferas vero ex iis, quae heic dicit Apostolus de statu nuptarum, quod is sit tantum bonus propter finem vitandae incontinentiae; constat enim ex ipso Apostolo propter alios fines bonum esse, puta ob filiorum procreationem (cf. I. Tim. V. 14): sed hoc ipsum quod heic solius illius finis meminit Apostolus, confirmat id quod dicimus Apostolum ratione habita bonitatis moralis seu perfectionis praeferre virginitatem matrimonio. Sane si Apostolus dicatur habuisse cum haec scriberet prae oculis perfectionem solum moralem eorum, quos alloquebatur et voluisse commendare illis utrumque statum ab hac perfectione morali, quam quisque in eo reperire potest, locutum proinde fuisse illis veluti respondentem quaestioni: quod attinet ad perfectionem moralem, quam quis in alterutro statu acquirere potest, quid praestat? virginitas ne an nuptiae? si rem, inquam, ita concipias, plane intelligis cur Apostolus huiusce solius boni ex pluribus, quae sunt in coniugio, mentionem faciat, quod est concupiscentiae refrenatio, ne in peccata erumpat, alia enim bona prorsus ἀδιάφορα erant huic quaestioni. Nam cum perfectio moralis in hoc sita sit ut secundum spiritum non secundum carnem vivamus (Rom. VIII. 12.), oportebat iuxta id comparare utrumque statum, si quaestio fiebat, uter sit perfectior moraliter. Ast hac seposita quaestione, non erat cur alia bona Matrimonii non solum physica sed et moralia silentio premerentur. Comparat ergo ratione boni moralis Apostolus virginitatem matrimonio ita ut eam huic praeferat. Quod quidem aperte edicitur in fine sermonis (v. 40.) *beatior erit, si sic permanserit* (h. e. innupta). Hinc est quod abstinentia ab actu coniugali vocatur ab eodem *sanctitas,* quae non asseritur iis, qui coniugio utuntur; innupta cogitat, quae Domini sunt ut sit sancta corpore et spiritu, quae autem nupta est cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat viro (v. 34). Et propter hanc excellentiam virginitatis, ea est obiectum consilii (v. 25): scilicet non ideo ea solum consulitur non praecipitur, quia est res indifferens, non necessaria, quod et in matrimonio

valet; sed quia eminentiorem continet perfectionem, quam quae generatim exigi ab omnibus potest; haec enim est ratio consiliorum evangelicorum. Id porro liquet collatis verbis Christi Matth. XIX. 10–12, quibus Christus excellentiam doni virginitatis commendans, asserit ipsum non omnibus dari, sed quibus Deus vult. Lege Chrysostomum in utrumque locum. Opus non est autem ut moneamus in discursu Apostoli Matrimonium spectari prout per copulam exercetur, sic enim confert ad concupiscentiae remedium et sic verum est quod mulier nupta cogitat quae sunt mundi.

III. Verum, aiunt, matrimonium dicitur ab Apostolo τίμιον ἐν πᾶσι (Heb. XIII. 4), nunquam autem virginitas. Praeterea ipsa virginitas ab eodem commendatur non per se, sed ratione alterius: puto autem, ait, hoc bonum esse propter instantem necessitatem (I. Cor. VIII. 26). Respondeo ad primum: ea verba Apostoli potius quam laudem continent exhortationem ut honor debitus nuptiis deferatur a coniugibus in omnibus actibus suis, nihilque fiat quod christianas nuptias dedeceat, quemadmodum solebat inter gentes. Ceterum etsi nuptiae honorabiles sint, haud sequitur virginitatem non esse honorabilem magis, quod, quamvis non totidem verbis, significavit tamen Apostolus, cum eam praetulit coniugio. Respondeo ad secundum: ea verba Apostoli non eo pertinent ut rationem reddat cur virginitas sit bona, sed ut rationem quamdam suasivam exhibeat consilii sui de virginitate servanda, seu ut animos propensiores faciat ad illud consilium amplectendum, arguens quoque ex instanti necessitate sive ex praesentibus incommodis coniugii, quemadmodum infra declarat. Est ergo commendatio virginitatis non ab obiecto petita, sed ex quadam conditione subiecti, quod extra eam homo obnoxius sit pluribus tribulationibus carnis. At id non perinde est ac dicere hanc solam esse causam cur virginitas sit bona.

IV. Constat id 2) ex doctrina Patrum contra Iovinianum: lege Hieronymum adversus eundem, lege et Ambrosium De Virginitate et Augustinum De sancta Virginitate. Quam doctrinam Ecclesia ab incunabulis professa est, quae maximo semper in honore habuit virgines easque reverentia quadam singulari prosecuta est, cuius profecto existimationis specialis fuisset ratio nulla, si virginitatem parem nuptiis aut inferiorem censuisset.

Constat 3) ex intrinseca ratione. Ille enim status, in quo spiritus carni praefertur, in quo bona propria hominis, prout rationalis est, procurantur, in quo virtutes propter concupiscentiae impedimentum difficillimae exercentur, in quo finis nobilissimus, qui est unio animae cum Deo, potest per se plenius obtineri, in quo idcirco generositas animi et magnitudo resplendet, est perfectior et beatior eo statu,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

in quo animalibus desideriis datur opera et procurantur ea quae communia quoque sunt brutis, in quo concupiscientiae, etsi intra debitos limites, fit satis, in quo uni Deo vacare speciali modo non licet: atqui; ergo. Huc redit argumentum Apostoli l. c. v. 32–35. Aliam rationem, cuius vim christianus homo nequit non sentire, affert Augustinus in lib. de sancta Virginitate c. 2. « Cum ipsa universa Ecclesia virgo sit desponsata cum viro Christo, sicut dicit Apostolus, quanto digna sunt honore membra eius, quae hoc custodiunt etiam in ipsa carne quod tota (Ecclesia) custodit in fide, quae imitatur matrem viri sui et Domini sui? Nam Ecclesia quoque et mater et virgo est. Cuius enim integritati consulimus, si virgo non est? aut cuius prolem alloquimur, si mater non est? Maria corporaliter caput huius corporis peperit, Ecclesia spiritualiter membra illius capitis parit. In utraque virginitas fecunditatem non impedit, in utraque fecunditas virginitatem non adimit. Proinde cum Ecclesia universa sit sancta et corpore et spiritu, nec tamen universa sit corpore virgo, sed spiritu; quanto sanctior est in his membris, ubi virgo est corpore et spiritu? »

V. Quod autem matrimonium sit sacramentum, facit id quidem ut gratia ex opere operato coniugibus conferatur, gratiaeque actuales necessariae dentur pro operationibus eorum status; sed non facit ut eorum operationes sint perfectiores eis, quae propriae sint alterius status, nec impedit quominus gratia sanctificans eademque uberior ex opere operantis virginibus acquiratur. Perfectio autem et beatitudo status in perfectione propriorum actuum et in ipsa possessione gratiae, non in modo, quo ea acquiritur, sita est.

VI. Quae vero Augustinus pie et subtiliter disputat de perfectione coniugatorum in T. V. etiam eorum, qui in plures uxores liberos spargebant, quibus non audet praeferre continentiam christianorum (De Bono coniugali c. XIX. seqq.), ea 1° non ad omnes indiscriminatim spectant, sed ad eos Patriarchas (eorumque similes, si qui fuerint), quorum sanctitas in scripturis nobis commendatur: illos enim aperte nominat atque ad eos semper mentem intendere Augustinum facile apparet. 2° Perfectio vero Patriarcharum coniugio utentium non tamen minor perfectione continentium in N. L. non est iuxta Augustinum perfectio propria status, sed perfectio personae (cf. c. XXIII), quam perfectionem in iis hominibus usus coniugii non impediebat; quia, ut supponit, illi non ex ulla libidine sed ex sola voluntate propagandi populum seu cultores Dei, voluntate proinde ex caritate acta, operam dabant liberis, ea quidem aetate, qua populus Dei carnali generatione, ita Deo disponente, propagandus erat. Qui proinde, iuxta eundem Augustinum, paratum gerebant animum ad

continentiam eamque actu amplexi essent, si credidissent ea aetate id magis ipsis expedire. Comparata ergo illorum continentia in praeparatione animi veroque eius desiderio cum continentia actuali christianorum, non audet Augustinus hos illis proferre. Sed 3) vides rationem excellentiae Patriarcharum collocari tandem ab Augustino in continentia, quam, ut supponit, illi in voto habebant; ideoque per se continentiam praestare usui coniugii ex hac ipsa disputatione Augustini.

THESIS V.

Quamvis secundum naturae ius sit coniugium et aliquibus identidem merito a Deo praeceptum fuerit, non est tamen ex naturae iure ulla obligatio proprie dicta singulis aut communitati facta procurandae prolis.

I. Quod primo loco statuimus negarunt veteres haeretici, quidam ex Gnosticis scilicet et Manichaei, qui, ut iam in praefatione monuimus, commixtionem quidem carnis probabant, at prolis generationem uniusque ad alterum perpetuam obligationem malam esse dicebant a Satana invectam. De his in VII Th. rursus erit disputandi locus. Iis accedunt ii recentiores pseudophilosophi, qui nullas alias nuptias legitimas agnoscunt nisi quas genialis amor conciliarit tamdiu duraturas quamdiu ille supervixerit; tollunt enim reapse nuptiarum foedera atque haec negant e iure esse naturae. Atqui nemo sanus non intelligit matrimonium esse secundum ius naturae. Illud certe est secundum ius naturae, cuius principia sunt in ipsa natura et quod pro certo fine, pro quo ipsa natura vires suppetit, consequendo vel suadetur vel exigitur ab ipsa natura. Iam vero principia unionis maritalis sunt in ipsa natura, h. e. diversi sexus ad invicem ordinati et in commixtione utriusque vis nativa producendae prolis: pro productione vero prolis et recta eius educatione, quam natura exigit, vel requiritur vel (ut minimum nunc dicamus, disputaturi de hoc deinceps) saltem conveniens est mutua obligatio viri et feminae ad stabilem unionem: in qua consistit Matrimonium. Praeterea ut de hoc ipso vinculo per se loquamur, illud secundum ius naturae dicendum est esse, si legis naturalis principiis conforme est: atqui talis est haec unio. Nam amicitia et societas fundata in mutua communicatione potestatis, cuius singulae partes sint capaces, ad mutuam communicationem bonorum mutuumque solamen et auxilium, eadem lege naturali probatur, qua probatur tum generatim amicitia et societas inter omnes tum speciatim ea amicitia et societas, cuius germen et prin-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

in quo animalibus desideriis datur opera et procurantur ea quae communia quoque sunt brutis, in quo concupiscientiae, etsi intra debitos limites, fit satis, in quo uni Deo vacare speciali modo non licet: atqui; ergo. Huc redit argumentum Apostoli l. c. v. 32–35. Aliam rationem, cuius vim christianus homo nequit non sentire, affert Augustinus in lib. de sancta Virginitate c. 2. « Cum ipsa universa Ecclesia virgo sit desponsata cum viro Christo, sicut dicit Apostolus, quanto digna sunt honore membra eius, quae hoc custodiunt etiam in ipsa carne quod tota (Ecclesia) custodit in fide, quae imitatur matrem viri sui et Domini sui? Nam Ecclesia quoque et mater et virgo est. Cuius enim integritati consulimus, si virgo non est? aut cuius prolem alloquimur, si mater non est? Maria corporaliter caput huius corporis peperit, Ecclesia spiritualiter membra illius capitis parit. In utraque virginitas fecunditatem non impedit, in utraque fecunditas virginitatem non adimit. Proinde cum Ecclesia universa sit sancta et corpore et spiritu, nec tamen universa sit corpore virgo, sed spiritu; quanto sanctior est in his membris, ubi virgo est corpore et spiritu? »

V. Quod autem matrimonium sit sacramentum, facit id quidem ut gratia ex opere operato coniugibus conferatur, gratiaeque actuales necessariae dentur pro operationibus eorum status; sed non facit ut eorum operationes sint perfectiores eis, quae propriae sint alterius status, nec impedit quominus gratia sanctificans eademque uberior ex opere operantis virginibus acquiratur. Perfectio autem et beatitudo status in perfectione propriorum actuum et in ipsa possessione gratiae, non in modo, quo ea acquiritur, sita est.

VI. Quae vero Augustinus pie et subtiliter disputat de perfectione coniugatorum in T. V. etiam eorum, qui in plures uxores liberos spargebant, quibus non audet praeferre continentiam christianorum (De Bono coniugali c. XIX. seqq.), ea 1° non ad omnes indiscriminatim spectant, sed ad eos Patriarchas (eorumque similes, si qui fuerint), quorum sanctitas in scripturis nobis commendatur: illos enim aperte nominat atque ad eos semper mentem intendere Augustinum facile apparet. 2° Perfectio vero Patriarcharum coniugio utentium non tamen minor perfectione continentium in N. L. non est iuxta Augustinum perfectio propria status, sed perfectio personae (cf. c. XXIII), quam perfectionem in iis hominibus usus coniugii non impediebat; quia, ut supponit, illi non ex ulla libidine sed ex sola voluntate propagandi populum seu cultores Dei, voluntate proinde ex caritate acta, operam dabant liberis, ea quidem aetate, qua populus Dei carnali generatione, ita Deo disponente, propagandus erat. Qui proinde, iuxta eundem Augustinum, paratum gerebant animum ad

continentiam eamque actu amplexi essent, si credidissent ea aetate id magis ipsis expedire. Comparata ergo illorum continentia in praeparatione animi veroque eius desiderio cum continentia actuali christianorum, non audet Augustinus hos illis proferre. Sed 3) vides rationem excellentiae Patriarcharum collocari tandem ab Augustino in continentia, quam, ut supponit, illi in voto habebant; ideoque per se continentiam praestare usui coniugii ex hac ipsa disputatione Augustini.

THESIS V.

Quamvis secundum naturae ius sit coniugium et aliquibus identidem merito a Deo praeceptum fuerit, non est tamen ex naturae iure ulla obligatio proprie dicta singulis aut communitati facta procurandae prolis.

I. Quod primo loco statuimus negarunt veteres haeretici, quidam ex Gnosticis scilicet et Manichaei, qui, ut iam in praefatione monuimus, commixtionem quidem carnis probabant, at prolis generationem uniusque ad alterum perpetuam obligationem malam esse dicebant a Satana invectam. De his in VII Th. rursus erit disputandi locus. Iis accedunt ii recentiores pseudophilosophi, qui nullas alias nuptias legitimas agnoscunt nisi quas genialis amor conciliarit tamdiu duraturas quamdiu ille supervixerit; tollunt enim reapse nuptiarum foedera atque haec negant e iure esse naturae. Atqui nemo sanus non intelligit matrimonium esse secundum ius naturae. Illud certe est secundum ius naturae, cuius principia sunt in ipsa natura et quod pro certo fine, pro quo ipsa natura vires suppetit, consequendo vel suadetur vel exigitur ab ipsa natura. Iam vero principia unionis maritalis sunt in ipsa natura, h. e. diversi sexus ad invicem ordinati et in commixtione utriusque vis nativa producendae prolis: pro productione vero prolis et recta eius educatione, quam natura exigit, vel requiritur vel (ut minimum nunc dicamus, disputaturi de hoc deinceps) saltem conveniens est mutua obligatio viri et feminae ad stabilem unionem: in qua consistit Matrimonium. Praeterea ut de hoc ipso vinculo per se loquamur, illud secundum ius naturae dicendum est esse, si legis naturalis principiis conforme est: atqui talis est haec unio. Nam amicitia et societas fundata in mutua communicatione potestatis, cuius singulae partes sint capaces, ad mutuam communicationem bonorum mutuumque solamen et auxilium, eadem lege naturali probatur, qua probatur tum generatim amicitia et societas inter omnes tum speciatim ea amicitia et societas, cuius germen et prin-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cipium satum est ab ipsa natura: stabilitas vero unionis est perfectio amicitiae secundum eandem legem: secundum ergo naturam est vinculum coniugale. Sane nequit non esse secundum naturae ius,quod pro opere naturali, quale est propagatio humanae familiae, auctor naturae instituit: atqui Deum instituisse matrimonium ab initio patet Gen. II. coll. Matth. XIX. quae testimonia postea enarraturi sumus. Cf. can. 1. Sess. XXIV. Conc. Trid. Sed ne in re per se apertissima nimium immoremur, ratio est quoque ad id probandum consensus humani generis, quod, etsi alind passiones suaderent, cum tamen leges tulit, eam unionem inter virum et feminam probavit, quae vel vere matrimonium esset, vel speciem quamdam matrimonii haberet.

II. Verum quia non quidquid est secundum ius naturae, id est praeceptum, quaestio succedit an matrimonium ususque matrimonii in procreatione prolis sit res praecepta. Praeceptum fuisse primis hominibus Adamo et Evae coniugium, certum est: Deus enim ipse illos coniunxit voluitque esse virum et uxorem. At quaestio est proprie de usu matrimonii ad procreationem prolis, seu de ipsa procuranda (modo utique honesto) propagatione prolis; an idcirco vero praecepto iussi sint homines eam procurare cum primi illi auctores totius generis tum ceteri subsequentes; an praeceptum sit singulos afficiens an saltem communitatem hominum; an si praeceptum positivum divinum non est, sit saltem naturale.

Provocatur itaque ad verba Domini (Gen. I.) *crescite et multiplicamini et replete terram* dicta protoparentibus. Haec praeceptum divinum videntur continere latum non solum ad eos primos homines, qui soli profecto non potuissent prole suscepta replere terram, sed et ad eorum posteros indefinite, qui in illo primo binario virtute continebantur. Quaestio est ergo de sensu horum verborum Domini.

Huic autem quaestioni censemus respondendum esse: significari eis verbis intentionem finis, quem Deus sibi praestituit in creatione primi maris primaeque feminae, quae manifestatio finis vim per se praecepti non habet, per accidens tamen vim quoque praecepti exerebat ergo primos illos homines, eorumque forte filios, quamdiu et quatenus illi in simili conditione versati essent ac primi parentes. Probatur 1ª quia ea verba *crescite et multiplicamini* eadem ratione dicta sunt ac immediate sequentia: *et subiicite eam (terram) et dominamini piscibus maris et volatilibus caeli et universis animantibus, quae moventur super terram*. Atqui haec non praeceptum exprimunt sed destinationem quamdam hominum secundum naturalem vel praeter naturae ordinem inditam ab initio dignitatem. Sane eadem verba *crescite et multiplicamini* dicta quoque sunt animantibus; tunc autem destinatio horum naturalis seu intentio Dei ea creantis distincta secundum genus suum, significata est. Ita et Cornelius a Lapide in h. l. Item Chrysostomus hom. X et XXVI ea non ut iussionem sed ut benedictionem Dei habet.

Probatur 2ª. Manifestatio finis alicuius intenti a Deo, qui non sit essentialis homini, qui sine obligatione imposita homini potest obtineri, non induit per se rationem praecepti, nisi aliunde constet obligationem gigni: patet, quia si ille finis potest sine obligatione imposita homini obtineri, nondum eo manifestato constat voluntas Dei obligandi: qua deficiente, praeceptum non habetur. Atqui in verbis Domini habemus manifestationem finis, qui 1° non est essentialis homini; proles enim non est necessaria homini ut sit vel ut sit perfectus et beatus: est quidem generatio necessaria futuris hominibus ut sint; sed hi per se ius nullum habent ut sint, nec modo de his quaestio esse potest, nam loquimur de illis, quibus praeceptum imponitur, cuiusmodi certe non sunt qui nondum exsistunt. Iam vero 2° ut hic finis obtineatur, necessaria est quidem cooperatio hominum, at necesse non est ut obligentur; satis enim ad id feruntur propensione naturae, ut moraliter impossibile sit in multitudine hominum non esse plures, qui id velint. Quibus positis quid opus est, quaeso, praecepto?

Probatur 3ª. Diximus manifestationem huiusmodi finis non induere per se rationem praecepti nisi aliunde constet obligationem gigni. Id porro habuit locum primo pro protoparentibus, qui erant unicum par, ex quo posset genus humanum prodire. Si illi porro noluissent operam dare generationi, actum fuisset de fine intento a Deo cum illos creavit masculum et feminam et in coniugium univit. Nec dici potest: etiamsi illi obligati non essent, timendum haud fuisset ne generatio succederet; nam quid mirum quod duo consentiant in continentiam? ad quam post peccatum provocari etiam protoparentes poterant, ne stirpem infelicem et peccato obnoxiam procrearent. An putas primos illos duos homines recte acturos fuisse, si id decrevissent? Haec obligatio deinde exstitit ne etiam pro aliis? Supponimus Adamum et Evam plures reliquisse liberos, quos tam longo vitae tempore edere valuerunt et ex illis plurimos alios filios ortos esse. Iam vero quando plurimi erant, vim suam exercente naturali propensione, erat, ut diximus, moraliter impossibile ut multi operam non darent generationi, ideoque praeceptum de hac re erat supervacaneum. Quod etsi pauci procreassent liberos, id unum fuisset consequens quod serius fuisset super universam terram propagatum genus humanum: hoc autem non fuisset inconveniens; nam Deus non significaverat intendere se ut genus humanum cito multiplicaretur. At cum ab initio pauci erant, vel etiam si postea id contigit, ita ut non foret moraliter impossibile omnes abstinere ex electione voluntatis a generatione,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

illi in eadem conditione versati fuissent ac primi parentes; idcirco ne genus humanum deficeret, obligatio eos urgebat operam dandi generationi: quae obligatio per se non omnes distributive sed disiunctive afficiebat; satis enim erat conservare genus humanum, cum multiplicatio plena non esset statim consequenda. Adiuncta vero diversa, in quibus illi homines versabantur, determinare poterant eos, qui huic obligationi fecissent satis. Extra hunc casum non video necessitatem alicuius praecepti; si enim plurimi sunt homines, fieri moraliter nequit, etiam absque ulla obligatione, ut omnes imo multi ex iis cessent a generatione. Ita ergo accipimus praeceptum de hac re a creatore latum, ut initium fieret humanae generationi, ac caveretur ne desineret humana familia. Cetera sub praecepto non cadebant.

IV. Et haec dicta sint de obligatione, quam quis velit fuisse ante secutum augmentum hominum, quod natura merito postulare potest. Consecuto autem semel illo augmento, aliquo etiam, si vis, spatio temporis, aderat ne aliqua lex Dei praecipiens conservationem seu continuationem humanae familiae? Profecto nescio an recte provocetur ad legem illam latam in creatione, quam modo expendimus. Nam certo tenemus aliquando desiturum totum genus hoc humanum super terram, ignoramus autem quando et quomodo Deus id statuerit. Si ergo tantum illius primitivae legis rationem habes, quo argumento efficies genus humanum occupans universam terram obligari praecepto divino ad successores suos procreandos? Iam finis obtentus est in multiplicatione: continuata sine fine procreatio non est intenta a Deo: utique si nemo generat, cessabit paulo post genus humanum: at per se potest unus hic esse ex iis modis, quibus tandem humanum hoc genus excessurum est e terra; etsi integrum sit Deo praeoccupanti alium imponere finem. Dices oportere humanam familiam, quamdiu vivit, observare illud: *crescite et multiplicamini*. At talem necessitatem vi eorum verborum Augustinus non sensit, qui proposita sibi quorumdam obiectione in hac ipsa quaestione: si omnes continentiam servare vellent, desineret humanum genus, respondet: « utinam id omnes vellent »; sic enim (ut ipse ait) citius compleretur numerus electorum (De Bono Coniug. c. X). Et sane dummodo actus malus in se non sit, cum illa voluntas divina de continuatione humani generis pro ea determinata aetate non sit certa, cur peccatum admitteretur cessando universim a generatione?

Verum, etsi non vi illius voluntatis divinae expressae verbis: *crescite et multiplicamini*, at vi saltem alterius voluntatis de futuro nempe adventu Redemptoris, nonne oportebat homines, donec veniret, operam dare generationi? Oportebat profecto, ast ad id opus non erat ullo praecepto. Primum quidem dicere licet promissionem Messiae factam esse supposita praevisione futurae, ex vi naturalis inclinationis, propagationis generis humani, quemadmodum promissio sacrificii crucis facta est supposita praevisione malae voluntatis eorum, qui Christum fuissent crucifixuri. Sane ut firma maneret veritas promissionis de Christo certa aetate venturo, haec duo elementa satis erant: ex parte quidem hominum quaedam inclinatio naturalis ad generationem, ex parte vero Dei quaedam suavis et efficax providentia, quae liberos hominum affectus moderaretur: haec vero per se praescindunt a praecepto: ergo non erat opus praecepto ullo. Nihilominus tunc propter ipsam exspectationem Messiae in carne venturi fiebat ut ii, ex quorum familia esset oriturus, propensiores forent ad sobolem procreandam. Ceteri vero ex populo iudaico ferebantur in nuptias amore non solum legitimo sed sancto; quia hic erat modus propagandi et conservandi populum Dei Deique veros cultores, quoniam tunc unus populus carnaliter ex Abrahamo procedens veram religionem a Deo institutam custodiebat. At falsum est ea aetate singulis fuisse praeceptas nuptias; nullibi enim hoc mandatum exstat: quod enim Augustinus (De Bono Coniug. c. 22) refert ex Deuteron. XXV,5–10 (ut videtur) maledictum fuisse in lege, qui non excitaret semen in Israel, id non hoc pacto expressum est in lege; neque est ulla lex facta singulis de nuptiis, sed est lex de ducenda uxore fratris relicta sine liberis, quae quidem lex fratrem defuncti invitum non obligabat, nisi si voluisset bona defuncti ex hereditatis iure possidere.

V. Atque haec hactenus dicta de praecepto divino, valent sive loquaris de praecepto facto singulis, sive saltem communitati. Quia vero locuti sumus de praecepto divino, prout positivum est et distinguitur a naturali, fieri certe potest quod quis advertat nos quodammodo lusisse aut operam perdidisse in demonstratione huius rei; nam verba Domini sunt expressio iuris naturalis, hoc autem vere praecipit procreationem prolis. Atqui e contrario reponimus duo. 1ª Verba Domini, si praeceptum exprimunt (de qua re iam locuti sumus) ea exprimunt praeceptum *formaliter* divinum, *fundamentaliter* tantum naturale. 2ª Nullum praeceptum proprie dictum naturale exstat sive pro singulis, sive pro communitate, propagationis prolis.

Primum ex his, ut vides, pendet a secundo. Si enim nullum est praeceptum ex ipsa natura, h. e. si natura per se id non exigit ut ab hominibus praestetur, consequens erit quod si praeceptum asseritur, illud immediate oriatur e libera voluntate Dei, supposita tan-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tum quadam naturali capacitate aut propensione: atqui hoc est praeceptum formaliter divinum, fundamentaliter tantum naturale. Probamus ergo alterum, cuius probationis consequens necessarium illud erit.

Quoad alterum itaque spectari possunt homines tum singuli seorsim tum in communitate. Affirmamus *a*) primo singulos non obligari, seu ab iis non exigere naturam ut attendant procreationi filiorum. Sane si qua esset in singulis iure naturae obligatio procreandi, ea esset repetenda ex fine, qui est procreatio filiorum; inde enim eam derivant, qui ipsam urgent: ceteri autem fines matrimonii aliis bonis manifeste compensari et superari possunt. Atqui ex isto fine nulla est iure naturae exigentia et obligatio procreandi in singulis. Nam activa capacitas eius non est ratio sufficiens moralis obligationis. Propensio, si qua est, potius est libera, quam naturalis, quocirca nec in omnibus reperitur ea propensio ad habendos filios: naturaliter autem inest dispositio, quae non est nisi activa capacitas, quam diximus. Bonum ipsum, quod est proles, si comparetur ad singulos, non est ipsis bonum praestantius, quod assequi valeant, sed e contrario impedit bona praestantiora tum singulis tum per ipsos communitati. Bonum enim praestantius homini est, in quo sua perfectio maxime est sita: huiusmodi est studium et contemplatio veritatis, exercitium caritatis erga Deum et proximum, ex quo maxima beneficia redundant in societatem, quorum tamen bonorum consecutio plena saltem et excellens impeditur a cura filiorum. Bonum vero prolis, h. e. eius procreatio, si comparetur cum ipsa, utique est eius ingens bonum et ceterorum principium; at antequam proles sit, cum ius nullum habeat, quaenam obligatio potest esse erga ipsam? Praeterea vidimus statum continentiae esse perfectiorem statu matrimonii, in quo generationi datur opera; idque foret quoque in statu purae naturae: nequit autem ius naturae obligare homines ad id quod est imperfectius cum amissione perfectioris.

b) Neque ex iure naturae ulla est obligatio procreandi filios hominum communitati imposita. Nam praeter iam dicta (n. V) quae heic quoque valent, adverte quod communitas nequit ad hunc actum esse obligata quatenus est communitas; etenim hic est actus, qui solum a singulis (binariis nempe ex mare et femina factis una carne) et prout tales sunt, poni potest; obligatio ergo naturalis, quae dicitur communitatis, eo redibit, ut aliqui disiunctive ex communitate aut hi aut illi sint obligati. Atqui cuiusmodi est haec obligatio, quae singillatim tantum homines afficere potest, a qua tamen singuli (*a*) sunt immunes? Nonne hac in re illud idem contingere videmus quod in aliis pluribus officiis societatis? Oportet enim esse in societate agricolas, medicos, magistros, artifices etc. Est ne opus ulla lege naturali moraliter obligante ut sint tales homines in societate? Ipsa naturalis habitudo diversa in singulis, varietas occasionum, commodum, lucrum, laus et honor, quae pro diversis in diversis tantum conditionibus se offerunt, satis superque sunt ut nunquam desint, qui illis officiis fungantur. Item si opus est communitati ut successores exsistant (quod quidem potius est bonum societatis futurae quam praesentis, secus ac alia enumerata officia), propensio ad nuptias quae in tot se explicat, in opportunis adiunctis, quorum ampla est copia, efficiet ut nunquam desit generatio hominum succedens generationi fatiscenti. Itaque in hac re non videmus nisi instinctum quemdam naturae, qui praeterea vehementior est ceteris, ut potius coercitione indigeat quam impulsione, quo suaviter natura naturaeque auctor obtinet quod intendit.

VI. Verum inquies: nonne natura exigit continuam sui propagationem conservationemque perpetuam societatis humanae, porro nonne ad id obligantur vera obligatione morali homines vel distributive vel disiunctive saltem sumpti quod natura ab iisdem exigit quodque ii nonnisi humano modo et libero praestare possunt? Concedimus hoc quidem, at negamus illud prius: naturam nempe exigere ab hominibus continuam propagationem. Natura enim exigit primo in singulis tum deinde in societate, sed ratione singulorum, quibus solis inest ipsa natura, id quod ipsis est necessarium ut sint et bene sint quantum opus est ad ultimum finem: atqui generatio non est necessaria iis, quibus natura inest, neque societati exsistenti, sed futurae, quae tamen nunc nullum ius exercere potest. Falsum est ergo quod natura eam exigat, sed ea potestatem confert et etiam propensionem: quod si naturae auctor velit seriem quamdam perennem generationum, novit quibus modis hac inclinatione hominumque affectibus utatur pro hoc fine consequendo absque ulla lege morali.

Instabis tamen: nemo reprehendet regem, qui certis in adiunctis ne minuatur societas, ne desint idonei ad quaedam munera, procreationem praecipiat, hanc autem legem ferret ipse ex iure naturae: ergo naturae ius procreationem praecipit societati.

Respondeo. Dato antecedente, de quo nolumus disputare, negamus consequentiam. Nimirum ut iusta sit lex a communitate lata, non est opus ut illud idem, quod lex positiva praecipit, sit iam ab ipsa natura praeceptum, sed satis est quod sit naturae consentaneum, doceatque natura esse in iis adiunctis conveniens.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

THESIS VI.

Accessio soluti ad solutam iure naturae est vetita.

I. In Matrimonio copula fit inter mutuo obligatos. Hoc bonum esse iam probavimus. In fornicatione e contrario copula fit inter eos, quorum alter non habet in alterum potestatem, qui obligati proinde non sunt, sed soluti. Quaeritur quid de hac ius naturae statuat. Affirmamus fornicationem iure naturae esse malam.

Illicitam esse iure positivo divino manifestum est, cum ea et lege divina prohibeatur et ab Apostolo inter ea peccata recenseatur, quae a Regno Dei excludunt. Verum a quibusdam in dubium vocatum est, an iure naturae tantum sit saltem semper illicita. Exstat propositio damnata ab Innocentio XI. 2. Martii 1679: « Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur. » Ex cuius propositionis proscriptione habes saltem non esse omnino a ratione dissonum quod fornicatio secundum se involvat aliquam malitiam.

II. Probandum est autem eam esse iure naturae illicitam. Argumentum primum peti potest a sensu communi non quidem omnium hominum, sed hominum recte ratione utentium et habentium plus minus sanum sensum moralem, cuiusmodi sunt Christiani. Huiusmodi autem homines a fornicatione abhorrent non ea sola ex causa quia sciunt ipsam a Deo esse prohibitam; sed quia eam reputant secundum se ipsam indecentem, inhonestam, perniciosam, iurique naturae contrariam. Huiusmodi proinde iudicium est quidem iudicium rationis sanatae per fidem, sed non est iudicium, quod fidei innitatur, quae legem Dei positivam manifestat; sed innititur lumini rationis, quod ostendit quid naturae repugnet. Sola enim prohibitio positiva nequit esse ratio cur ab aliquo refugiamus tanquam per se inhonesto et repugnanti naturae; nam et aliquid per se indifferens prohiberi potest. Atqui consensus omnium recte ratione utentium in iis rebus, quae ad humanam et socialem vitam sunt necessaria, testimonium est veritatis: ergo.

Argumentum secundum. Legi naturae opponitur quod ipsi humanae naturae repugnat. Porro natura humana sensitiva simul et rationalis id exigit ut ratio principetur, sensus subsit rationi; ideoque repugnant legi naturae et ab ipsa prohibentur illa, in quibus, praetermissa ordinatione rationis, solus sensus dominatur. Praetermittitur vero ordinatio rationis, imo contra ipsam ordinationem ra-

tionis itur et solus sensus dominatur, cum alicuius actionis vel modi agendi nullus est per se finis conveniens rationi, imo per se finis a natura intentus excluditur et finis manet sola voluptas.

Illud est autem advertendum quod ut de honestate aut inhonestate naturali alicuius actionis iudicium feratur, spectandum est id quod ipsa est per se, sive quod ipsi ratione sui competit, non quod est aut esse potest per accidens, ratione nempe circumstantiarum contingentium aut intentionis libere agentis, nisi per haec fiat ut essentia rei mutetur seu alia essentia moralis succedat: lex enim naturae praecipit id quod essentia sua bonum est et prohibet id quod essentia sua malum est; spectat ergo res seu actiones secundum id quod per se sunt.

Iam vero 1· accipiatur fornicatio in sua amplitudine ut sit accessus maris soluti ad quamvis solutam feminam, et feminae vicissim ad quemvis marem. Apparet heic manifeste inordinatio. Nam haec coniunctio nullum habet finem convenientem rationi, imo adversatur fini intento per se a natura in concubitu viri et mulieris. Finis enim concubitus a natura ipsa intentus (nam alium finem contrahentes intendere possunt) est procreatio prolis sed prolis educandae, ut exsistat homo eo modo, quem eius ipsa natura requirit: atqui α) prout est femina quae pluribus se prostituit, ipsa procreatio impeditur: β) prout est vir, qui pluribus feminis commiscetur, aut rursus femina viris, non habetur procreatio prolis intenta a natura rationali; proles enim quae est homo, debet non solum gigni sed nutriri et educari a parentibus; atqui concubitus fornicarius caret per se debito ordine ad huiusmodi finem. Nam cum duo fornicarie copulantur, coniunctio eorum *a*) est transiens; ex quo per se consequitur ut non consulatur, ex ipsa ratione actus seu unionis, educationi futurae prolis, ideoque haec coniunctio careat debito ordine, quem habere deberet ad finem intentum a natura: *b*) prout autem vir pluribus feminis commiscetur eaedemque pluribus viris commiscentur, non habetur certa proles, seu per se hic usus promiscuus infert incertitudinem prolis; id vero eius debitae educationi prorsus adversatur. Non habet praeterea haec fornicaria coniunctio pro fine convenienti rationi mutuum obsequium et subsidium viri et feminae seu familiam: imo illam excludit eo ipso quod est copulatio transiens citra mutuam obligationem: non habet pro fine repressionem concupiscentiae, imo huic fini penitus adversatur, quia concupiscentiae ad libitum indulget. Neque *d*) ullus alius finis rationalis huic unioni per se conveniens excogitari potest. Sed solus finis est expletio libidinis seu sensualis voluptatis, atque huc per se spectat vagus concubitus, quatenus talis est, ut libido expleatur. Ergo

congressus viri soluti ad quamvis solutam et vicissim repugnat per se naturae rationali.

III. Verum 2) repugnat ne naturae legi tantum hic vagus concubitus cum pluribus, an etiam concubitus unius cum una, cuiusmodi est in concubinatu, in quo etiam solet fieri pactio de educanda prole? Profecto, nam si spectetur id quod est per se, non per accidens, in fornicatione etiam unius cum una, eadem secundum speciem inordinatio in ipsa apparet ac in multiplici congressu fornicario. Nam et ipsa non ordinatur ad debitae prolis educationem, sed hac exclusa ad solam voluptatem. In congressu enim viri et mulieris, qui a natura ordinatus est ad prolis procreationem et educationem, oportet coniunctionem utriusque esse talem ut per se sive ex rei natura sit certa mutua providentia et cura prolis, et idcirco se mutuo obligent ad communem vitam: atqui in congressu fornicario nulla est per se haec certitudo providentiae; sed per se est prorsus providentia incerta, quia excluditur obligatio mutua viri et feminae, quae est naturale fundamentum illius certitudinis.

Quamvis autem pactum fiat educandae prolis id est per *accidens* non *per se*, superadditum scilicet illi unioni, quae per se eadem secundum essentiam manet: idcirco ea non est obligatio maritalis, sed qualis a quolibet suscipi posset etiam pro prole alterius. Per se igitur spectata ea unio adversatur iuri naturae, etsi illud pactum superaddatur. Oportet scilicet pactum esse de essentia unionis, quia haec ex essentia sua est ad illum finem ordinata: id vero tantumdem est ac dicere quod unio debet esse cum mutua obligatione unius ad alterum, quod excludit fornicationem.

IV. Est ergo haec coniunctio fornicaria per se iure naturae mala. Cum autem quod tale est nequeat ex intentione agentis aut ex quibusdam accidentalibus circumstantiis evadere licitum, donec eius essentia, propter quam prohibetur, manet, sequitur quamvis fornicationem esse illicitam. Cf. s. Thom. II^{a} II^{ae} q. CLIV. a. 2 cum Caietano ibid. Ergo ante congressum licitum viri et feminae praevertere debet potestas alterius in alterum et mutua obligatio; ita ut vir sit mulieris et mulier viri, et sic vir ad suam accedat et mulier vicissim ad suum: et in hoc situs est contractus matrimonialis.

Huic sententiae non adversatur Augustinus, etsi pro more suo modeste loquatur. Ait enim De Bono Coniugali n. 16 « si forte, quod utrum fieri possit ignoro, magisque fieri non posse existimo, si forte ad tempus adhibita concubina filios solos ex eadem commixtione quaesierit, etc. » Non adversatur inquam nobis Augustinus, primo quia tandem eam coniunctionem non probat, deinde quia supponit obligationem mutuam adesse etsi non perpetuam, et forte non

supponit exsistere ab initio intentionem dissolvendi unionem quando libuerit, sed solum factum dissolutionis postea consequentis. Cf. quae ex Augustino proferemus in Th. XVIII. n. X.

PARERGON

Quo tempore nuptiae celebratae sint b. Virginem inter et s. Iosephum.

I. Cum in Th. III. disputaverimus de coniugio b. Deiparae cum s. Iosepho, non abs re esse existimamus, si veluti rei complementum quoddam hanc quoque quaestionem attingamus, quae hisce nostris diebus inter catholicos doctores acriter agitata est: non quidem ut quaestioni finem imponamus, sed ne in hoc nostro tractatu desiderent lectores notitiam quaestionis, quae non parvi est momenti.

II. Supponendum est in primis eruditos Scripturarum interpretes in hac esse modo sententia quod in more fuerit positum Iudaeorum, seriore saltem aetate, quoad celebrationem coniugiorum, ut duplex in ea actio distingueretur: prior qua vir despondebat (ἐμνηστεύετο אֵרַשׂ) uxorem, altera, qua eandem vir accipiebat ab iis, in quorum ipsa erat potestate (ἔλαβεν לָקַח) ac domum ducebat. Haec altera actio non solebat sequi priorem immediate, sed plus minus spatium quoddam temporis inter utramque intercedebat.

Huius duplicis actionis distinctio, quae habuisse dicitur locum in gente iudaica postremis seculis ante Christum, si Rabbinis credimus, eadem etiam prima aetate, tempore scilicet Moysis, in usu fuisse, identidem saltem, dicenda est; sive dicendum est etiam tum licuisse actionem acceptionis sponsae separare a desponsatione. Nam quamvis universim actio, qua coniugium initur, soleat in V. T. significari hac formula, qua dicitur vir *accipere uxorem* vel *accipere sibi aliquam in uxorem* Gen. IV, 19; VI, 2. XII, 19. I.Reg.XXV, 39: 2. Paral. XI, 21: XIII, 21. Esd. X, 44. Nehem. XIII, 25. Hos. I, 2. etc. attamen illius duplicis actionis secundum tempus distinctae mentio quoque fit, ut Deuter. XX, 7. *Quis est homo qui despondit* (μεμνήστευται אֵרַשׂ) *uxorem et non accepit eam* (οὐκ ἔλαβεν αὐτήν לֹא לְקָחָהּ)? Porro haec altera actio est ea, cui nomen fit *nuptiarum*.

Constat tamen quod antiquitus una actione etiam omnia absolvebantur, petitio sponsae, datio et acceptio ac nuptiarum sollemnitas, ut patet in coniugio Tobiae et Sarae (Tob. 10–17). Nec ulla dilatio intercessit, quantum res ferebant, inter desponsationem et acceptionem Rebeccae uxoris Isaaci (Gen. XXIV, 51–67).

congressus viri soluti ad quamvis solutam et vicissim repugnat per se naturae rationali.

III. Verum 2) repugnat ne naturae legi tantum hic vagus concubitus cum pluribus, an etiam concubitus unius cum una, cuiusmodi est in concubinatu, in quo etiam solet fieri pactio de educanda prole? Profecto, nam si spectetur id quod est per se, non per accidens, in fornicatione etiam unius cum una, eadem secundum speciem inordinatio in ipsa apparet ac in multiplici congressu fornicario. Nam et ipsa non ordinatur ad debitae prolis educationem, sed hac exclusa ad solam voluptatem. In congressu enim viri et mulieris, qui a natura ordinatus est ad prolis procreationem et educationem, oportet coniunctionem utriusque esse talem ut per se sive ex rei natura sit certa mutua providentia et cura prolis, et idcirco se mutuo obligent ad communem vitam: atqui in congressu fornicario nulla est per se haec certitudo providentiae; sed per se est prorsus providentia incerta, quia excluditur obligatio mutua viri et feminae, quae est naturale fundamentum illius certitudinis.

Quamvis autem pactum fiat educandae prolis id est per *accidens* non *per se*, superadditum scilicet illi unioni, quae per se eadem secundum essentiam manet: idcirco ea non est obligatio maritalis, sed qualis a quolibet suscipi posset etiam pro prole alterius. Per se igitur spectata ea unio adversatur iuri naturae, etsi illud pactum superaddatur. Oportet scilicet pactum esse de essentia unionis, quia haec ex essentia sua est ad illum finem ordinata: id vero tantumdem est ac dicere quod unio debet esse cum mutua obligatione unius ad alterum, quod excludit fornicationem.

IV. Est ergo haec coniunctio fornicaria per se iure naturae mala. Cum autem quod tale est nequeat ex intentione agentis aut ex quibusdam accidentalibus circumstantiis evadere licitum, donec eius essentia, propter quam prohibetur, manet, sequitur quamvis fornicationem esse illicitam. Cf. s. Thom. II^{a} II^{ae} q. CLIV. a. 2 cum Caietano ibid. Ergo ante congressum licitum viri et feminae praevertere debet potestas alterius in alterum et mutua obligatio; ita ut vir sit mulieris et mulier viri, et sic vir ad suam accedat et mulier vicissim ad suum: et in hoc situs est contractus matrimonialis.

Huic sententiae non adversatur Augustinus, etsi pro more suo modeste loquatur. Ait enim De Bono Coniugali n. 16 « si forte, quod utrum fieri possit ignoro, magisque fieri non posse existimo, si forte ad tempus adhibita concubina filios solos ex eadem commixtione quaesierit, etc. » Non adversatur inquam nobis Augustinus, primo quia tandem eam coniunctionem non probat, deinde quia supponit obligationem mutuam adesse etsi non perpetuam, et forte non

supponit exsistere ab initio intentionem dissolvendi unionem quando libuerit, sed solum factum dissolutionis postea consequentis. Cf. quae ex Augustino proferemus in Th. XVIII. n. X.

PARERGON

Quo tempore nuptiae celebratae sint b. Virginem inter et s. Iosephum.

I. Cum in Th. III. disputaverimus de coniugio b. Deiparae cum s. Iosepho, non abs re esse existimamus, si veluti rei complementum quoddam hanc quoque quaestionem attingamus, quae hisce nostris diebus inter catholicos doctores acriter agitata est: non quidem ut quaestioni finem imponamus, sed ne in hoc nostro tractatu desiderent lectores notitiam quaestionis, quae non parvi est momenti.

II. Supponendum est in primis eruditos Scripturarum interpretes in hac esse modo sententia quod in more fuerit positum Iudaeorum, seriore saltem aetate, quoad celebrationem coniugiorum, ut duplex in ea actio distingueretur: prior qua vir despondebat (ἐμνηστεύετο אֵרַשׂ) uxorem, altera, qua eandem vir accipiebat ab iis, in quorum ipsa erat potestate (ἔλαβεν לָקַח) ac domum ducebat. Haec altera actio non solebat sequi priorem immediate, sed plus minus spatium quoddam temporis inter utramque intercedebat.

Huius duplicis actionis distinctio, quae habuisse dicitur locum in gente iudaica postremis seculis ante Christum, si Rabbinis credimus, eadem etiam prima aetate, tempore scilicet Moysis, in usu fuisse, identidem saltem, dicenda est; sive dicendum est etiam tum licuisse actionem acceptionis sponsae separare a desponsatione. Nam quamvis universim actio, qua coniugium initur, soleat in V. T. significari hac formula, qua dicitur vir *accipere uxorem* vel *accipere sibi aliquam in uxorem* Gen. IV, 19; VI, 2. XII, 19. I.Reg.XXV, 39: 2. Paral. XI, 21: XIII, 21. Esd. X, 44. Nehem. XIII, 25. Hos. I, 2. etc. attamen illius duplicis actionis secundum tempus distinctae mentio quoque fit, ut Deuter. XX, 7. *Quis est homo qui despondit* (μεμνήστευται אֵרַשׂ) *uxorem et non accepit eam* (οὐκ ἔλαβεν αὐτήν לֹא לְקָחָהּ)? Porro haec altera actio est ea, cui nomen fit *nuptiarum*.

Constat tamen quod antiquitus una actione etiam omnia absolvebantur, petitio sponsae, datio et acceptio ac nuptiarum sollemnitas, ut patet in coniugio Tobiae et Sarae (Tob. 10–17). Nec ulla dilatio intercessit, quantum res ferebant, inter desponsationem et acceptionem Rebeccae uxoris Isaaci (Gen. XXIV, 51–67).

Supponendum est praeterea desponsationem illam, quam ab acceptione seu nuptiis distinctam et separatam fuisse postrema aetate docent Rabbini, non fuisse eiusdem rationis ac sunt nostra sponsalia. Per eam scilicet desponsationem ius ab utroque sponso in re obtinebatur ita ut congressus, qui habitus fuisset a sponso cum sponsa antequam domum eam tulisset, non fornicarius censeretur sed maritalis et proles legitima iudicaretur. Quocirca sponsus, qui sponsam nondum domum ductam dimittere voluisset, eam, non secus ac legitimam uxorem, dato libello repudii dimittere debebat. Nihilominus etsi legitimus, ratione habita iuris coniugii, congressus ille censeretur; reputabatur tamen minus honestus, indecens, turpis, ut qui animum nimis ad libidinem effusum significaret, quapropter *honestatis lege* prohibebatur vir sponsam suam adhuc in domo parentum versantem cognoscere. Haec habes clare exposita a cl. P. Patrizi in sua Dissertatione seorsim edita *De prima Angeli legatione ad Iosephum*. Ut verum fateamur, nos nondum persuasi sumus verum esse quod Rabinos secuti tradunt quidam eruditi de tali distinctione vigente postrema aetate inter desponsationem et nuptias ut tempus quoddam non satis breve soleret inter illas intercedere et interea inhonesta haberetur commixtio sponsorum. Et quidem si hoc postremum neges, iam nulla superest quaestio et idcirco cum audis Virginem desponsatam Iosepho, iam veram coniugem ipsius prorsus intelligis absque defectu cuiuslibet iuris. Quaestio ergo, quam tractamus, supponit (quin affirmet) id quod Rabbini et eruditi tradunt, disputatione cum iis instituta, qui id recipiunt.

III. His praemissis quaeritur utrum legatio Gabrielis ad Mariam (Luc. I. 26) et idcirco conceptio Christi, quae illam immediate secuta est, contigerit ante nuptias Iosephi cum Maria h. e. post utriusque quidem peractam desponsationem sed antequam b. Virgo a Iosepho acciperetur domumque duceretur, an post nuptias peractas. Sunt qui affirment id contigisse ante nuptias, sunt qui negent. Inter affirmantes primum locum obtinet nostra aetate cl. P. Patrizi, qui in interpretandis Scripturis maximam sibi peperit laudem, ut nulli aequalium sit secundus, imo facile omnium princeps censeatur. Inter negantes eminet cl. Vincentius De-Vit, qui data opera opinionem Patrizi impugnavit (Vita di s. Giuseppe... scritta dal sacerdote Vincenzo De-Vit 2ª edizione con aggiunte: Modena 1868). Perpendamus utriusque partis argumenta.

IV. Et primo quidem affirmans sententia haud confirmari potest ex eo, quod a Luca b. Virgo, cum ab Angelo salutata fuit, dicatur solum *desponsata;* nam, ut idem Patrizi monet, haec eadem appellatio fit a Luca b. Mariae eo tempore, quo nuptias peractas fuisse

nemo dubitet II. 5. Argumentum igitur primum ita proponitur. S. Iosephus non est comitatus b. Virginem, cum haec Elisabetham visura iter suscepit; atqui si iam nuptiae peractae fuissent, unâque viverent Maria et Iosephus, non sine comite viro suo Maria aggressa fuisset iter satis longum, cuiusmodi erat a Nazaret ad civitatem Iuda (h. e., ut plures interpretes cum Relando censent, civitatem Iuta ad meridiem Ierosolymae): ergo. Maior probatur ex ignorantia mysterii virginalis conceptus, in qua versabatur Iosephus postquam Virgo redierat Nazaretum, ut idcirco de ea dimittenda cogitaret. Si enim ipse una cum Virgine ivisset domum Zachariae, profecto notitiam illius mysterii accepisset, quod Elisabetha magnis clamoribus vulgaverat. Minor probatur, quia decere haud videtur puellam recens nuptam absque societate sui viri longae viae se committere domumque alterius subire.

Alterum argumentum. Cum b. Virgo Christum concepit, nondum ipsa et Iosephus *convenerant: antequam convenirent inventa est in utero habens.* Matth. I. 18. Atqui τὸ *convenire,* de femina et viro usurpatum, post mentionem factam desponsationis (ibid.) significat virum et feminam desponsatam una in eandem domum perpetui convictus gratia coire: pro congressu autem maritali significando rarissime illud verbum adhibetur (cf. Patrizi l. c.). Ergo nuptiae nondum peractae erant, his enim in domum viri sponsa ducebatur vel una conveniebant.

Tertium, quod est potissimum argumentum, ducitur rursus ex verbis Scripturae, quae in propria sui significatione accipienda sunt. Aiunt ergo. Fieri nequit ut ante virginalem conceptum illud contigerit, quod postea factum fuisse Scriptura clare testatur. Atqui Matth. I. 18 seqq. docet Iosephum, cum iam b. Virgo uterum gereret, nondum accepisse coniugem suam, sed eam accepisse postquam Angelus mysterium docuit omnemque excussit timorem; accepit enim eam Iosephus ut morem gereret praecipienti Angelo (v. 24). Iam vero phrasis haec *accipere coniugem* ipsas nuptias aperte significat. Factae sunt igitur nuptiae post hanc primam Angeli legationem ad Iosephum: non ergo fuerant initae prius quam b. Virgo ab Angelo salutaretur.

V. Argumentum sententiae negantis ante nuptias contigisse virginalem conceptum (si efficaciora seligere velimus) duplex est. Primum supponit, quod et adversarii dant, nuptias, si factae sunt post virginalem conceptum, nonnisi quarto mense ab eodem conceptu potuisse fieri; nam statim ac Virgo concepit, exsurgens cum festinatione perrexit ad Elisabetham ibique mansit mensibus quasi tribus: post quos etiam gestatio uteri apparere solet. Ita ergo argumentum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

proponitur. Christus nasci voluit de femina coniuncta viro ut honori suae Matris nataeque prolis consuleret; quoniam quum edendus esset ipse in lucem, mysterium Virginei conceptus et partus notum nondum esse vulgo poterat. Atqui honori Virginis haud fuisset consultum, si post tres menses ab eiusdem conceptu nuptiae fuissent initae, sed solum si ante eundem conceptum: ergo. Maior tum auctoritate Patrum id animadvertentium (cf. Maldonatum in h. l.) fideliumque sensu, tum ex ipsius facti consideratione probatur, cuius nulla potior ratio praeter hanc excogitari potest cur Deus volens nasci ex Virgine voluerit tamen nasci ex coniugata ita ut ipse filius quoque viri eiusdem Virginis vulgo putaretur (Luc. III. 23). Cetera enim bona ex his nuptiis secuta potuissent alia quoque via obtineri. Honor autem exinde praestitus nuptiis effectus quidam potius (secundario licet intentus) quam finis huius oeconomiae fuisse videtur. Prob. minor. Etsi congressus inter sponsos ante nuptias haberetur legitimus quoad valorem, ut ita dicam, actus coniugalis, at, ipsis fatentibus adversariis, inhonestus et turpis censebatur, ut puniri quoque merito posset. Iam vero initis nuptiis quarto mense; prole autem edita in lucem post sex menses a nuptiis, alterutrum ex his duobus dicendum fuisset ab ignorantibus mysterium, vel b. Virginem ex adulterio concepisse, vel saltem contra legem egisse, quippe quae congressa sit cum sponso ante nuptias. Quamvis prius maxime indecorum fuisset b. Virgini, at alterum quoque nemo non videt quam castissimae Virginis pudori eiusque existimationi futurum fuisset adversum. An putabimus Deum non cavisse ne sua Mater eiusque vir hoc turpi dedecore afficerentur? Ergo.

Alterum argumentum ducitur ex Scripturis, ope tamen cuiusdam ratiocinii, quod argumentum sic expolientes proponimus. Iosephus mysterium ignorans volebat b. Virginem *dimittere occulte* Matth. I. 19 seqq. Duas scilicet affert Evangelista rationes cur vellet Iosephus b. Mariam occulte dimittere: *cum esset,* inquit, *iustus et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam:* ut eo quod iustus esset, voluerit eam dimittere; ex eo vero quod nollet eam traducere, diffamare, voluerit *occulte dimittere.* Cur autem istud nisi ut consuleret eius honori? quod quidem satis clare docemur a Matthaeo, qui dimissionis occultae, prout talis, hanc reddit rationem, quia nempe Iosephus nolebat eam traducere h. e. diffamare. Iam vero id primo affirmari merito posse videtur, quod haec *occulta dimissio,* quam cogitabat Iosephus, non fuerit nisi *eiusdem a b. Virgine occulta discessio.* Sane, ut in primis scrupulum eximamus, perpende, quaeso, aequivalere sibi posse has phrases *dimittere uxorem* et *discedere ab ea:* id nos docet Apostolus I. Cor. VII. 10. 11. ubi idem

sensus subest duobus his verbis in his phrasibus: *mulierem a viro non discedere et virum mulierem non dimittere.* Hoc posito dicimus in dimissione hac, quam cogitabat Iosephus, haud cogitandum a nobis esse de ulla traditione libelli repudii, seu de dimissione activa, quae facienda fuisset tradito libello repudii. Etenim adverbium *occulte* appositum *dimissioni* satis indicat de dimissione per libellum repudii sermonem haud esse. Nam etsi inter paucos, puta propinquos, id actum vel soli Virgini secreto libellus datus fuisset, tamen hic actus per se publici iuris erat; quia erat actus legitimus, qui et in iudicio publico proferri poterat, quocirca traductioni seu diffamationi Virginis via aperta erat. Nec putes quod per accidens potuerit libellus manere occultus. Ut hanc exuas opinionem, perpende intrinsecas circumstantias facti. Nimirum b. Virgo non sponte sed ex lege coniugium inivit et ex eadem lege tenebatur coniungi adgnato proximo; ideoque si Iosepho nupsit, ideo eidem nupsit quia ex lege ad eum ipsa spectabat. Quocirca si Iosephus dedisset Mariae libellum repudii, fieri non potuisset quin eius propinqui non postularent ab eo, cur Mariam abiiceret aut cur nollet nuptias celebrare; ut idcirco facile res ad publicum iudicium adducta fuisset. Has molestas quaestiones effugere nequibat Iosephus, nisi se fuga clanculum subducendo in longinquam regionem absque reditus consilio. Itaque si Iosephus voluit dimittere Mariam *occulte, non traducere,* nonnisi discessionem aliquam ab ea cogitare potuit.

Haec si probentur, pronum est ulterius pergere atque hoc pacto argumentum prosequi. Atqui discessio occulta Iosephi potuisset quidem consulere honori Virginis, si post nuptias fuisset peracta, minime vero si ante eas: ergo, quoniam discedere volebat ut eiusdem honori consuleret, dicendum est iam fuisse nuptias peractas, cum Iosephus de dimissione seu de discessione cogitabat. Sane fac nondum nuptias fuisse initas et Iosephum discessisse. Cum proles ederetur a Virgine ante nuptias nunquam peractas, primum eidem dedecori ipsa Virgo et proles obnoxiae fuissent, quod dictum est in priore argumento. Deinde maiori imo dedecori exposita fuisset sanctissima Mater. Nam alii videntes prolem ante nuptias, sponsum autem minime videntes sed intelligentes ipsum abiisse, cum sponte se offerret quaestio: cur sponsus (cuius iustitia praeterea nota esse poterat) abiit infectis nuptiis et nondum redit? putassent se probabile saltem argumentum habere iudicandi, ideo ipsum reliquisse sponsam, quia noverat eam concepisse sed non ex se ipso. Quocirca discessio Iosephi causa potius fuisset cur fama Virginis certius periculum subiret. E contrario si discessisset Iosephus post nuptias, male quidem de ipso potuissent homines ominari, non vero de Matre,

quae tempore legitimo peperisset; cum praesertim tum, nulla exsistente probabili ratione in contrarium, fama honestatis, qua Virgo apud suos gaudebat, vim omnem suam exeruisset ad depellendam quamlibet suspicionem. Haec profecto Iosephus perpendit; quapropter si dimissionem cogitavit, iacturam potius sui honoris quam honoris coniugis eligens, dicendum est quod discessionem a nupta cogitaverit, ideoque iam nuptias, cum haec cogitaret, peractas fuisse et idcirco ante conceptum virginalem (arg. I.).

VI. Hactenus exposuimus utriusque partis argumenta. Porro argumentis secundae partis negantis non habent quid reponant directe adversarii, quo vere faciant satis. Nam et ipsi concedunt illicitum fuisse congressum inter sponsos ante nuptias, nec explicare sciunt quo pacto Iosephus consulere quiverit honori Virginis, si eam dimisisset infectis nuptiis.

E contrario affirmantium argumenta pati videntur idoneam solutionem. Quod spectat ad praecipuum desumptum ex verbis *accipere Mariam coniugem tuam, et accepit coniugem suam,* alii aliter respondent (cf. De-Vit oper. cit.): nobis haec responsio idonea satis videtur. Nimirum ita adversarii arguunt ac si penes Matthaeum verba haec *accipere coniugem tuam* significarent eum actum, quo coniugium absolvitur, qua quis in V. T. dicebatur accipere uxorem vel accipere aliquam sibi in uxorem. Atqui istud est quod negamus. Nam phrasis apud Matthaeum est παραλαβεῖν Μαρίαν τὴν γυναῖκά σου: παρέλαβε τὴν γυναῖκα αὐτοῦ. Latinus quidem interpres non potuit articulum exprimere; sed certe in graeco articulus non est otiosus. Advertimus itaque aliud esse *accipere aliquam feminam coniugem* seu *in coniugem suam* vel *sibi* εἰς γυναῖκα ἑαυτῷ, aliud accipere aliquam (seu expresso nomine *Mariam*) τὴν γυναῖκα αὐτοῦ: sicut aliud est italice *prendere Maria in sua consorte*, aliud *prendere Maria la sua consorte.* Haec altera phrasis, quoniam articulus in relativum resolvi potest, est identica quoad sensum huic: *prendere Maria, la quale è sua consorte.* Verba ergo Angeli hunc sensum fundunt: *ne timeas accipere Mariam,* ἥτις ἐστὶ γυνή σου *quae est coniux tua:* quod profecto longissime distat a sensu, qui hac phrasi exprimeretur: ne timeas *accipere Mariam in coniugem tuam.* Itaque sensus verborum Archangeli hic est: *ne timeas accipere Mariam, quae est coniux tua;* non vero iste alius: *ne timeas accipere Mariam in coniugem tuam.*

Ita enarratis verbis Angeli, liquet 1° ibi non occurrere formulam propriam coniugii ineundi, *accipere coniugem:* liquet 2° ibi e contrario supponi ab Angelo quod Maria iam sit uxor Iosephi: *quae*

est coniux tua; ideoque de acceptione in coniugem ibi per eam phrasim non posse esse sermonem.

Nihilominus fatemur difficultatem nondum esse solutam; superest enim altera phrasis explicanda: *accipere Mariam.* Quaeritur enim de qua acceptione heic sermo sit: nec videtur alia acceptio intelligi posse quam ea, quae post sponsalia peragebatur; ut propterea illud oppositum τὴν γυναῖκά σου significare valeat *sponsam tuam,* seu *quae est tibi destinata in uxorem.* Scilicet omnis argumenti vis adhuc manet eaque tota pendet a solo verbo *accipere, accepit,* pronuntiato in his adiunctis. Verum negamus exigi a contextu ut verbum παραλαμβανεῖν (quod frequenter idem valet ac simplex λαμβανεῖν) interpretemur de acceptione coniugali. Scilicet cum amplius non occurrat dictio haec: *acceptio coniugis* vel *acceptio in coniugem* sed solum *acceptio eius, quae est coniux,* licet aliam interpretationem adhibere, quae et non repugnet verbo *accipere,* nec eum sensum extundat, qui, si vera sunt argumenta praecedentia, est certe falsus. Hoc enim ius competit disputantibus, donec eorum sententiae falsitas sit demonstrata. Itaque iubent advertere quod hactenus Iosephus nihil extrinsecus egerat, nec ullo modo relationes suas cum virgine actu aliquo externo abruperat. Rem omnem adhuc animo versabat, omnisque eius actus intus haeserat (*voluit* dimittere, haec *cogitante*): ut *voluntate* quidem iam uxorem dimiserit, ad actum vero externum haec voluntas non processerit. Ita se habenti Iosepho adstat Angelus immediate ipsum alloquens, ut ab ea voluntate eundem removeat. Iussio accipiendi opponitur voluntati deserendi; quia vero haec animo tantum continebatur, non alia acceptione erat opus, quam qua illa voluntas exueretur, *acceptio* scilicet *animi* praecipitur, qua coniugium suum Ioseph probaret velletque in eo permanere. Quod si minus propria tibi videtur haec interpretatio verbi *accipere,* memento quod cum aliquid absurdi vel certe falsi sequeretur si verba in proprio sensu acciperentur, licet a propria verborum significatione parumper recedere.

Alia argumenta minus sunt molesta. Nam quod spectat ad illud quod ducitur ex verbis: *antequam convenirent;* quoniam ipsi quoque adversarii docent verbum hoc συνελθεῖν occurrere aliquando penes classicos scriptores in significatione congressus maritalis, haud repugnat quod heic quoque hoc sensu fuerit usurpatum. Certe Hieronymus (in h. l.) hoc sensu accepit verbum istud. Qui exinde negat unquam convenisse Mariam et Iosephum.

Ad primum vero argumentum respondere licet 1° quod non est certum b. Iosephum haud fuisse comitem uxori in itinere. Quid enim si dicamus quod cum nollet detineri ab hospitibus, ne coge-

retur ibidem manere longo tempore, quod iam eius uxor forte proposuerat, dimiserit eam antequam domum ipsa ingrederetur? At saltem rediit eam recepturus. Demus et hoc. Tunc ergo Elisabetha eidem gratulata significavit mysterium Virginis. Ut vides, in hypothesibus versamur. Ast haec hypothesis falso, puto, innititur fundamento. Supponitur enim quod Elisabetha, feminarum more, cupida fuerit manifestandi arcanum Domini. E contrario cura, qua ipsa Elisabetha post conceptum Ioannis (Luc. I. 24) occultabat gratiam Dei, ipsiusque b. Virginis silentium erga suum virum, ostendunt eas didicisse a Domino non aliis revelare mysteria in ipsis gesta, nisi aliqua ratione speciali ad id moverentur ab ipso Deo, quemadmodum contigit cum Maria Elisabetham salutavit: quo quidem in congressu non constat alias personas adfuisse. Revelatio tanti mysterii, quam humanus testis firmare non potuisset, relinquebatur Deo. Non erat ergo ratio cur Elisabetha Iosepho ad se advenienti id manifestaret (1).

(1) Heic castiganda esset temeritas recentioris interpretis rationalistae Henrici Aug. Wilh. Meyer, qui ad c. 1° Matthaei v. 18. et rursus ad c. 1. Lucae v. 38 monet narrationem Matthaei de dubitatione Iosephi et narrationem Lucae de Annuntiatione Mariae haud posse simul componi sed alteram ab altera excludi, ita ut alterutra falsa sit oportet. Cur vero? quia tum psychologice contra feminarum naturam egisset Maria celans virum suum revelationem acceptam: tum etiam contra officium suum, nempe uxoris ad virum, se gessisset non manifestans ei rem tanti momenti et cuius ipsum adeo intererat. Quod si Maria debuisset praestolari ut Deus Iosepho mysterium revelaret, id oportuisset ut ab Angelo ipsa moneretur.

Scilicet 1° quid Augustissima Deipara actura esset, quae supernaturali perfectione et sanctitate homines omnes et Angelos excedit, id ex naturali, plerumque vitiosa, feminarum loquacitate arguendum est! 2° Quis unquam inter officia uxoris ad virum enumeravit et istud, ut coniux alteri manifestare teneatur quae Deus in ipso immediate supra naturae ordinem operatur? At Iosephum intererat id nosse. Non profecto propter aliquod ius, quod Iosepho competeret in cognitionem huius mysterii: tale enim ius fuisset tandem ius hominis erga Deum agentem in sua creatura prout ipsi placet, ius exigens a Deo manifestationem operum suorum: quod ius est satis absurdum. Sed Iosephum intererat id nosse, ne inscius citra culpam aliquid moliretur quod divinam Matrem eiusque prolem minime deceret. Scilicet is, cuius intererat Iosephum nosse mysterium, erat ipse Deus, ut opus ab ipso inceptum, secundum ordinem Providentiae ab eo libere statutum, felicem exitum sortiretur. Ut id autem fieret satis erat monere Iosephum, cum animum eius dubitatio subire cepit. Nec 3° opus fuit Mariam doceri ab Angelo fore ut Iosepho caelitus notitia mysterii communicetur; interiori enim lumine naturae et gratiae imbuta sapientissima Virgo certissime noverat id Deum facturum quod

At 2° quid prohibet credere b. Virginem uxorem absque societate viri iter illud peregisse? Nonne adversarii volunt b. Virginem desponsatam hoc iter solam ingressam esse? atqui, si id non dedecebat desponsatam, cur haud decebat nuptam? Ne vero exinde colligas b. Virginem absque ullius societate iter suscepisse: nam ancilla praesto esse poterat. Obiicies forte Virginis paupertatem, cui famulitium non bene congruit, quam paupertatem videris tibi discere ex oblatione eiusdem Virginis die purificationis suae Luc. II. 24 collatis iis, quae habentur Lev. XII. 8: constat enim quod non invenit manus eius nec potuit offerre agnum. Verum advertas velim quod ex ipso Levitico V. 11 patet conditionem eorum, qui duos turtures aut duos pullos columbarum offerebant, non fuisse infimam apud Hebraeos, sed potius mediam. Et sane ratio est cur credamus b. Virginem filiam heredem ex asse (cuius praeterea parentes, si veteribus quibusdam narrationibus fidem adhibemus, superfluis non carebant) aliquid habuisse in bonis, cum idcirco nupserit ut bona patris sui in familia eius conservarentur. At vir eius vitam arte fabrili sustentabat. Dic potius quod artem fabrilem exercebat: id tantum novimus ex Evangelio; neque enim sola necessitas sustentandae vitae ratio erat penes Hebraeos cur huiusmodi artes exercerentur. Rabbini enim te docebunt quod, cum post captivitatem Iudaei negotiationi se dedissent, usus apud ipsos invaluit ut quilibet, dum posset, artem aliquam addisceret. Idcirco aetate quoque Christi aliquos reperies in Scripturis artem haud fabrili nobiliorem exercentes, quos sine causa putares pauperes fuisse. Habes sane Simonem coriarium, penes quem hospitatur Petrus Act. X. 6. Alexandrum, virum probabiliter eruditum, aerarium 2. Tim. IV. 14. Paulum ipsum, qui totam adolescentiam triverat in disciplinis Hebraeorum addiscendis, artem scenofactoriam exercentem, qua certe non egebat pro sustenordo suae Providentiae exigeret. Satis ergo ipsi fuit se eidem Providentiae cum plena confidentia committere.

Ceterum 4° non vidit hic auctor quam ineptum sit id quod supponit. Supponit scilicet quod narratio colloquii angelici facta a Maria Iosepho debuisset ab eodem repellere omnem dubitationem. Ita profecto non sensit b. Virgo et merito. Erat enim necessaria Iosepho fides divina in hoc factum, ut partes sibi concreditas in isto divino negotio exsequeretur: fidem autem divinam non nisi testimonium divinum gignit. An tale debuisset habere Iosephus testimonium uxoris solius et ipsam credere ne oportebat tale habendum esse testimonium suum a viro? Evidens est quod nisi Deus ipse certiorem fecisset Iosephum, nunquam ratio fuisset huic sufficiens credendi id quod divinitus actum fuerat in sua coniuge. Prudentissime ergo egit prudentissima Virgo rem omnem Deo committens.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tatione vitae, et cum eo Aquilam, apud quem hospitio manebat Act. XVIII. 2. 3. Non est ergo cur timeas b. Virgini ancillam asserere: quae et opinio erat mysticorum doctorum superioris aetatis (cf. in Exercitiis s. Ignatii Contemplationem de Nativitate Christi).

His omnibus perpensis concedimus in eam sententiam, quae nuptias b. Virginis cum s. Iosepho factas affirmat ante conceptum Christi. Monemus tamen quod haec sententia, etsi sit probabilior, non est tamen certa. Nam, si methodum demonstrationis spectas, alterius sententiae argumenta inhaerent magis verbis Scripturae, quod est proprium munus interpretis; nostra e contrario ratiocinio quodam potius constant et, ut verum fateamur, nostrae quoque ignorantiae innituntur, qui nescimus aliter quaedam facta explicare. Praeterea omnia adversariorum argumenta non sunt plene soluta. Absit ergo ut cum cl. De-Vit optemus ut sententia, quam minus probamus, exulet posthac e commentariis Scripturarum. Nulli privato ius est ostracismo multare sententiam, quam doctissimi et maxime catholici viri tuentur, quaeque non contemnendis argumentis defenditur, praesertim si nondum plene refutata sit. Etsi autem tibi opinio tua maxime probabilis videatur (maxime probabilis, inquam, nam in huiusmodi quaestionibus certitudo, quam quidam iactant, non est ad summum nisi quaedam certitudo moralis h. e. magna vel maxima probabilitas), non exinde consequitur futurum esse ut ceteris quoque idem videatur.

CAPUT II.

DE MATRIMONIO SACRAMENTO

THESIS VII.

Verbo Dei tradito doctrina Catholica continetur, Matrimonium Christianum esse vere et proprie Sacramentum.

I. Si probetur perpetua et universali Ecclesiae Christianae traditione (quam certe decreta Conciliorum, professiones sollemnes fidei, liturgiae seu sacramentalia, opera Theologorum et Patrum repraesentant) contineri doctrinam hanc, quod Matrimonium Christianum sit verum et proprium novae legis Sacramentum, id satis superque esse debet Theologo, ut huiusmodi veritas demonstrata dicatur; si quidem vera sunt quae de vi Traditionis et docemus in Scholis, et defendimus contra haereticos. Id porro facile demonstratur. Sacramentum verum et proprium est illud, cui univoce competit definitio

eorum quae in Ecclesia ut sacramenta habentur, nempe quae sunt signa efficacia gratiae sanctificantis; est id scilicet quod sacramentum est sicut Baptismus, Eucharistia, etc. Atqui divina Traditione constat in censu horum sacramentorum habendum esse Matrimonium Christianum, quod nimirum a personis Christianis contrahitur.

II. Sane ut argumentum promamus, quod utriusque simul Ecclesiae graecae et latinae consensum ostendit; constat sectas haereticas, quae seculo V cum nempe utraque Ecclesia latina et graeca adhuc unitae erant, discesserunt a catholica, habuisse semper penes se septem numero sacramenta et inter haec matrimonium: et quamvis illae in aliis dogmatis a se ipsis dissideant, in hoc tamen omnes convenire. Ergo colligimus, hunc numerum septenarium eae sectae acceperunt ab Ecclesia secumque tulerunt. Igitur seculo V universa catholica Ecclesia habebat in numero eorum, quae proprie sacramenta dicuntur, matrimonium. Id vero satis est ut traditio apostolica demonstretur. Probationem antecedentis habes ex sequentibus testificationibus, dummodo advertas huiusmodi sectas tenaces semper fuisse eorum, quae ab initio a suis parentibus acceperunt et a mutationibus abhorruisse. Iam vero Fidem Syrorum Nestorianorum testatur Sulaka Patriarcha professione fidei quam Romae adhuc monachus edidit MDLIII. « Credimus quoque in sanctum baptismum, et in sacrificium quod est corpus et sanguis Christi, et in sacerdotium sanctum, et in matrimonium ». Fidem Iacobitarum et Coptorum refert Simon Assemanus (Bibl. Orient. Tom. II. Dissert. De monophys. n. 5.). « Ad sacramenta quod spectat, septenarium eorum numerum, qualis ab Ecclesia catholica agnoscitur, apud Iacobitas sacrosanctum esse liquet ex eorum ritualibus et pontificalibus libris etc.» Armenios quoque ante Concilium Florentinum idem sensisse testis est Vartanus Armeniorum Episcopus, qui duobus fere ante illud Concilium seculis opera sua edidit: ait enim (cf. Galanum Tom. 2. p. 440) in monitis ad Armenios c. 6. « Paulus Ap. discipulum suum Dionysium de septem Ecclesiae sacramentis erudivit..... Christianismus in septem Ecclesiae sacramentis nititur... Primum sacramentum est baptismus, secundum missae sacrificium: tertium benedictio unguenti, quod latini chrisma vocant, quartum est ordo: quintum est matrimonium etc ». Item seculo XVII Ecclesia graeca contra Cyrillum Lucarim Protestantibus faventem edidit professionem suae fidei, inter cetera inquiens: « Anathema Cyrillo nova dogmata fabricanti et credenti non esse ex institutione I. C. neque ex Apostolorum traditione praxique perpetua septem Ecclesiae Sacramenta, baptismum scilicet, chrisma, poenitentiam, eucharistiam, sacerdotium, extremam unctionem et matrimonium ». Ergo certum est consequens,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tatione vitae, et cum eo Aquilam, apud quem hospitio manebat Act. XVIII. 2. 3. Non est ergo cur timeas b. Virgini ancillam asserere: quae et opinio erat mysticorum doctorum superioris aetatis (cf. in Exercitiis s. Ignatii Contemplationem de Nativitate Christi).

His omnibus perpensis concedimus in eam sententiam, quae nuptias b. Virginis cum s. Iosepho factas affirmat ante conceptum Christi. Monemus tamen quod haec sententia, etsi sit probabilior, non est tamen certa. Nam, si methodum demonstrationis spectas, alterius sententiae argumenta inhaerent magis verbis Scripturae, quod est proprium munus interpretis; nostra e contrario ratiocinio quodam potius constant et, ut verum fateamur, nostrae quoque ignorantiae innituntur, qui nescimus aliter quaedam facta explicare. Praeterea omnia adversariorum argumenta non sunt plene soluta. Absit ergo ut cum cl. De-Vit optemus ut sententia, quam minus probamus, exulet posthac e commentariis Scripturarum. Nulli privato ius est ostracismo multare sententiam, quam doctissimi et maxime catholici viri tuentur, quaeque non contemnendis argumentis defenditur, praesertim si nondum plene refutata sit. Etsi autem tibi opinio tua maxime probabilis videatur (maxime probabilis, inquam, nam in huiusmodi quaestionibus certitudo, quam quidam iactant, non est ad summum nisi quaedam certitudo moralis h. e. magna vel maxima probabilitas), non exinde consequitur futurum esse ut ceteris quoque idem videatur.

CAPUT II.

DE MATRIMONIO SACRAMENTO

THESIS VII.

Verbo Dei tradito doctrina Catholica continetur, Matrimonium Christianum esse vere et proprie Sacramentum.

I. Si probetur perpetua et universali Ecclesiae Christianae traditione (quam certe decreta Conciliorum, professiones sollemnes fidei, liturgiae seu sacramentalia, opera Theologorum et Patrum repraesentant) contineri doctrinam hanc, quod Matrimonium Christianum sit verum et proprium novae legis Sacramentum, id satis superque esse debet Theologo, ut huiusmodi veritas demonstrata dicatur; si quidem vera sunt quae de vi Traditionis et docemus in Scholis, et defendimus contra haereticos. Id porro facile demonstratur. Sacramentum verum et proprium est illud, cui univoce competit definitio

eorum quae in Ecclesia ut sacramenta habentur, nempe quae sunt signa efficacia gratiae sanctificantis; est id scilicet quod sacramentum est sicut Baptismus, Eucharistia, etc. Atqui divina Traditione constat in censu horum sacramentorum habendum esse Matrimonium Christianum, quod nimirum a personis Christianis contrahitur.

II. Sane ut argumentum promamus, quod utriusque simul Ecclesiae graecae et latinae consensum ostendit; constat sectas haereticas, quae seculo V cum nempe utraque Ecclesia latina et graeca adhuc unitae erant, discesserunt a catholica, habuisse semper penes se septem numero sacramenta et inter haec matrimonium: et quamvis illae in aliis dogmatis a se ipsis dissideant, in hoc tamen omnes convenire. Ergo colligimus, hunc numerum septenarium eae sectae acceperunt ab Ecclesia secumque tulerunt. Igitur seculo V universa catholica Ecclesia habebat in numero eorum, quae proprie sacramenta dicuntur, matrimonium. Id vero satis est ut traditio apostolica demonstretur. Probationem antecedentis habes ex sequentibus testificationibus, dummodo advertas huiusmodi sectas tenaces semper fuisse eorum, quae ab initio a suis parentibus acceperunt et a mutationibus abhorruisse. Iam vero Fidem Syrorum Nestorianorum testatur Sulaka Patriarcha professione fidei quam Romae adhuc monachus edidit MDLIII. « Credimus quoque in sanctum baptismum, et in sacrificium quod est corpus et sanguis Christi, et in sacerdotium sanctum, et in matrimonium ». Fidem Iacobitarum et Coptorum refert Simon Assemanus (Bibl. Orient. Tom. II. Dissert. De monophys. n. 5.). « Ad sacramenta quod spectat, septenarium eorum numerum, qualis ab Ecclesia catholica agnoscitur, apud Iacobitas sacrosanctum esse liquet ex eorum ritualibus et pontificalibus libris etc.» Armenios quoque ante Concilium Florentinum idem sensisse testis est Vartanus Armeniorum Episcopus, qui duobus fere ante illud Concilium seculis opera sua edidit: ait enim (cf. Galanum Tom. 2. p. 440) in monitis ad Armenios c. 6. « Paulus Ap. discipulum suum Dionysium de septem Ecclesiae sacramentis erudivit..... Christianismus in septem Ecclesiae sacramentis nititur... Primum sacramentum est baptismus, secundum missae sacrificium: tertium benedictio unguenti, quod latini chrisma vocant, quartum est ordo: quintum est matrimonium etc ». Item seculo XVII Ecclesia graeca contra Cyrillum Lucarim Protestantibus faventem edidit professionem suae fidei, inter cetera inquiens: « Anathema Cyrillo nova dogmata fabricanti et credenti non esse ex institutione I. C. neque ex Apostolorum traditione praxique perpetua septem Ecclesiae Sacramenta, baptismum scilicet, chrisma, poenitentiam, eucharistiam, sacerdotium, extremam unctionem et matrimonium ». Ergo certum est consequens,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quod collegimus. Cf. Schelstrate. Acta Orientalis Ecclesiae contra Lutheri haeresim.

III. Ut autem hoc argumentum dilatemus, consideremus singillatim testimonia Ecclesiae. Itaque si in Ecclesia praesertim latina ab ultimis temporibus ad vetustiora gradum faciamus, prostat primum decretum Tridentinum Sess. XXIV. cn. 1. et Florentinum in decreto Eugenii IV ad Armenios; in quibus Matrimonium recensetur inter septem sacramenta Ecclesiae, quae non nisi proprie dicuntur sacramenta; diciturque vere et proprie unum ex septem legis Evangelicae sacramentis. Tum praesto est professio fidei edita a Michaele Palaeologo in Concilio oecumenico Lugdunensi II (an. MCCLXXIV) in qua haec habes: « Tenet etiam et docet eadem s. Romana Ecclesia, septem esse ecclesiastica sacramenta, unum scilicet baptisma aliud est sacramentum confirmationis.... aliud est poenitentia, aliud eucharistia; aliud sacramentum ordinis; aliud est matrimonium; aliud extrema unctio. Praeiverat his Lucius III. (an. MCLXXXI) in Concilio Veronae celebrato (*ad abolendam*, De haereticis) inquiens ». Universos, qui de sacramento Corporis et Sanguinis Domini N. I. C. vel de baptismate, seu de peccatorum confessione, matrimonio, vel reliquis ecclesiasticis sacramentis aliter sentire aut docere non metuunt quam Sacrosancta Romana Ecclesia praedicat et observat.... vinculo perpetui anathematis innodamus ». Iam antea eodem seculo sententiam eandem docuerant principes de Schola Theologi, Hugo a s. Victore (cir. an. MCXL) De Sacramentis in generali et de Sacramentis fidei, Magister Sententiarum (cir. MCL) in 4^m, quibus ceteri omnes theologi adstipulati sunt, docentes sacramentum Ecclesiae esse invisibilis gratiae visibilem formam ut ipsius imaginem gerat et causa exsistat (D. 1^a); septem vero esse huiusmodi sacramenta, inter quae matrimonium inter fideles recensebant (D. 2^a) (1).

(1) Magister quidem statim subdit: « quorum alia remedium contra peccatum praebent et gratiam adiutricem conferunt, ut baptismus, *alia in remedium tantum sunt, ut coniugium*, alia gratia et virtute nos fulciunt, ut eucharistia et ordo »; quibus verbis negare videtur Magister coniugium conferre gratiam. Verum, quoniam, ut advertit ibid. s. Thomas, definitio generis debet omnibus speciebus convenire, in definitione autem sacramenti ab ipso Magistro ponitur *ut causa gratiae exsistat*, nequit sententia eiusdem ea esse, quae negat simpliciter gratiam conferri per sacramentum matrimonii. Sed id, quod dicitur *remedium*, gratia erit quaedam, quae tamen propter quamdam specialem rationem hoc singulari nomine honestari possit et a gratia universim accepta distingui. Ita interpretatur dictum Magistri s. Thomas ibid. q. I. a. 1. ql. 2 ad 3. « Dicendum quod unumquodque denominatur ab eo ad quod est. Gratia autem,

Sub initium eiusdem seculi XII. Otto Episcopus Bambergensis in Sermone (penes Migne P. L. v. CLXXIII. p. 1555) enumeratis Sacramentis Ecclesiae, baptismo scilicet, etc. « sextum, ait, est coniugium, idest copula matrimonialis ». Rursus ipso seculo XII. ineunte eadem doctrina diserte satis tradebatur a Rudulpho Ardente, qui (Homiliae in Epistolas et Evangelia dominicalia hom. 2) haec habet: « quid est coniugium? Legitima coniunctio maris et feminae, individuam vitae consuetudinem retinens. Quae sunt bona coniugii? tria, fides, proles, sacramentum. Sacramentum est, quoniam est rei sacrae signum.... Accessuri igitur sponsus et sponsa ad sacramentum nuptiarum debent de praeteritis poenitere excessibus, et peccata sua confiteri ». Idem praecipiunt quidam veteres ordines seu rituales. Cf. Marthene ord. 14. Idem *ob reverentiam sacramenti* praecepit in suis Constitutionibus an. 1208 Guillelmus Episc. Parisiensis. Porro debitum poenitendi et confitendi pro rite suscipiendo sacramento nuptiarum ostendit hoc esse sacramentum proprie dictum. Erat ergo haec sententia communiter nota et certa ea aetate. Sub initium pariter sec. XII Hildebertus episc. Turonensis serm. 2. (Gallandi Tom. 14. p. 339 seqq.) n. 3. ait: « Tria itaque sunt in civitate Dei nostri sacramenta, quae et tempore cetera praecesserunt et in reparatione filiorum Dei principatum obtinere noscuntur. Quorum pri-

quae in matrimonio confertur, secundum quod est sacramentum Ecclesiae in fide Christi celebratum, ordinatur directe (etsi non exclusive) ad reprimendam concupiscentiam, quae concernit ad actum matrimonii: et ideo Magister dicit quod matrimonium est tantum in remedium; sed hoc est per gratiam, quae in eo confertur. » Forte Magister consideravit id quod in matrimonio speciale est quoad gratiam Dei prae ceteris sacramentis. Scilicet qui quodvis aliud sacramentum suscipit, fit vel simpliciter acceptus Deo, vel magis ei acceptus semperque ei magis placet quam si sacramentum non suscepisset, nec oppositum placet magis Deo quam ipsa susceptio sacramenti, saltem per se. At qui matrimonium contrahit, non magis placet Deo quam si oppositum elegisset h. e. vitam in continentia. Confertur quidem augmentum gratiae sanctificantis per matrimonium cum auxiliis opportunis illi statui et sic magis est Deo acceptus matrimonium contrahens quam fuerit in istanti praecedente, quia opus bonum est matrimonium inire, virtusque sacramenti per merita Christi operatur augmentum gratiae. At placuisset magis ille Deo, si voluisset perseverare caelebs seu virgo. Porro *gratiam consequi apud Deum* potest specialem quamdam significationem habere, ut sit fieri propter aliquod opus magis acceptum Deo quam si oppositum, etsi licitum, factum fuisset. Si ergo ita gratia Dei accipiatur, dici potest sacramenta cetera gratiam conferre; matrimonium vero remedium tantum, quod tamen effectus est gratiae sanctificantis.

mum est coniugium, secundum baptismus, tertium dominicae mensae sacra libatio. His in iuventute mundi forma est divinitus impressa etc.»

S. Thomas quidem in 4ª D. II. q. I. a. 1. ql. 2. refert sententiam quorumdam aientium « in matrimonio gratiam aliquam non conferri, sed tantummodo esse in remedium contra concupiscentiam ». Vel haec sententia accipienda est quemadmodum accepimus doctrinam Magistri in Nota, quem secuti illi videntur quoad modum loquendi, vel habenda est quaedam imprudens aberratio a communi doctrina. Certe, ut ibidem arguit s. Thomas, ipsa doctrina ab iisdem Theologis admissa: matrimonium nempe esse sacramentum N. L. et sacramenta N. L. causas esse gratiae, repugnat evidenter huic alteri doctrinae, quod nulla gratia per matrimonium conferatur. Quocirca huiusmodi aberrationes, quae modum potius loquendi quam rem ipsam attingunt, non testes sunt dissensus e doctrina aliorum, sed testes sunt nondum eliquatae et per proprios distinctosque conceptus illustratae scholastica methodo doctrinae: quod et in aliis quaestionibus usuvenit. Iis Theologis, quorum mentionem facit Thomas, accessit postea etiam Durandus, sed reclamante Schola, sententiam suam deinde emendavit.

Itaque a seculo XII constat explicitam satis fuisse praedicationem ecclesiasticam in Ecclesia latina: matrimonium christianorum esse vere et proprie sacramentum.

IV. Porro aetate praecedente exstat quoque continua traditionis series usque ad Apostolica tempora illud saltem absque dubio tradens apertissime, nempe matrimonium christianorum esse divinae institutionis Deoque auctore iniri, esse rem sacram, esse coniunctum cum sanctificatione et gratia, esse sanctificatum a Christo; atque identidem quoque docens matrimonium vere et proprie sacramentum esse.

Sane *a*) *Ordines* exstant sive *Rituales* (cf. Marthene De Ant. Eccl. rit. L. I. p. 2. c. IX. a. 6. seqq. et Goarium in Euchologio graecorum) sive *Sacramentaria,* quae longa serie usque ad Sacramentarium Gelasianum pertingunt, quod ex Sacramentario s. Leonis derivatum dicitur. Iam vero in Sacramentario Gelasii (cf. Thomasium Codic. Sacram. L. III. Sacramm. Rom. Eccl.) repraesentatur Actio nuptialis, quae intra missarum sollemnia fit, constans orationibus et benedictionibus Sacerdotis in eaque haec habes: « Deum esse qui *legitima societate coniuges connectit,* uxorem *munere Dei* copulari consortio maritali ». Deusque exoratur, ut « supra coniuges opem suae benedictionis infundat, ut in iugali consortio, affectu compari, mente consimili, *sanctitate mutua copulentur;* ut nuptias eorum sicut primi hominis confirmare dignetur; ut mulieris rudimenta

sanctificet, ut ea bono et prospero sociata consortio, legis aeternae iussa custodiat fidelisque et casta *nubat in Christo* ». Peracta benedictione coniuges ex altari communicant. Ex his autem Ritualibus libris, quorum maxima est in Ecclesia auctoritas, quippe qui repraesentant publicum Ecclesiarum testimonium, manifestum est exhiberi matrimonium ut rem a divina institutione promanantem, rem, quae Deo auctore fit, rem coniunctam cum sanctificatione et gratia; copulari nimirum invicem virum et feminam mutua sanctitate, et nubere in Cristo.

b) Patres vel antiquissimi docent α) quod « matrimonium Ecclesia conciliat, confirmat oblatio et obsignat benedicto et obsignatum Angeli renuntiant et Pater ratum habet » (Tertullianus ad Uxorem L. II. c. 9): β) quod « decet ut sponsi et sponsae de sententia Episcopi coniugium faciant, quo nuptiae sint secundum Dominum et non secundum cupiditatem » (Ignatius M. epist. ad s. Polycarpum c. 5): γ) « oportere ipsum coniugium velamine sacerdotali et benedictione sanctificari » (Ambrosius epist. XIX ad Vigil.): « instar sacrilegii esse si ulla transgressione violetur illa benedictio, quam nupturae sacerdos imponit » (Siricius R. P. ad Himerium Tarraconensem n. 4). Ideo in concione Petri ad ecclesiasticum coetum, quam post Clementi traditam Romanam suam cathedram habuisse fertur, quemadmodum narratur in Clementinis (cf. vel epistolam Clementis ad Iacobum his praemissam in editione Cotelerii, vel penes Dresselium alteram Clementis epitomen praedicationum Petri n. 151), haec occurrunt dicta presbyteris. « Quae ad presbyteros spectant, ista sunt. « Ante omnia iuvenes nuptiis cito iungant, laqueos ferventis in iuventa cupiditatis praeveniendo. Sed nec de coniugio iam senum curam abiiciant; nam in nonnullis, etiam cum senuerint, valida inest cupiditas ». Sacerdotum scilicet curae et regimini subest matrimonium christianorum. Quocirca Clemens Alexandrinus Paedag. l. III significat presbyteros in Ecclesia christianis nuptiis solitos fuisse adesse: reprehendens enim mulieres fictis capillitiis ornatas et ad nuptialem benedictionem accedentes ait: « cui manus imponet presbyter? cui autem benedicet? non mulieri quae est ornata, sed alienis capillis et per ipsos alii capiti ». Ex his vero constat ritum, qui exhibetur in ordinibus, antiquissimum esse et Apostolica tempora attingere, sive ab Apostolis derivatum esse: tum constat e sententia quoque Patrum matrimonium rem esse ad Ecclesiam spectantem, rem sacram, cum sanctificatione coniunctam.

c) Patres rursus docent divinam gratiam cum matrimonio cohaerere, ut Tertullianus l. c. c. 7. « Si ergo ratum est apud Deum matrimonium huiusmodi, cur non et prospere cedat, ut pressuris et

008342

angustiis et impedimentis et inquinamentis non ita lacessatur, *habens iam ex parte divinae gratiae patrocinium* ». Hoc est ergo matrimonium *esse ratum apud Deum, habere* nempe *divinae gratiae patrocinium*. Maximus Taurin. hom. XXIII. « Christus ad nuptias vadit, ut quas dudum potestate constituit, *praesentiae suae benedictione sanctificet* ». Innocentius I. epist. IX de bigamo simultaneo haec tradit: « Statuimus fide catholica suffragante, illud esse coniugium quod erat primitus *divina gratia fundatum*, conventumque secundae mulieris, priore superstite nec divortio eiecta, nullo pacto posse esse legitimum ». Matrimonium porro divina gratia fundatum est illud, quod primo contractum est. Ergo divina gratia cohaeret cum matrimonio christiano.

d) Hactenus traditam doctrinam Patrum confirmant monumenta. Exstat in opere cl. viri Garrucci (Vetri etc. Tab. 26) duplex repraesentatio nuptiarum, in utraque vir et mulier dextras iungunt; in altera inter eos exstat Monogramma Christi, in altera inter eosdem columna gemmis ornata, quae symbolum est Ecclesiae, cuius gemmae sunt Apostoli, cum inscriptione: *vivatis in Deo*. « Felices nuptiae, quibus Christus est praesens » ait Chrysologus Serm. 157. Exstat numisma graecum ad sec. V vel VI referendum, in quo sponsus et sponsa dextras iungunt, Christo exsistente in medio, qui utrosque amplexatus iungit, cum inscriptione Θεοῦ χάρις. Quod iam Nazianzenus expresserat (ep. 193) paulo aliter, « dextras iuveniles inter se iungo atque utrasque Dei manu ».

V. At notio sacramenti proprie dicti asserta explicite matrimonio Christiano occurrit ne in monumentis veterum, quae reliqua nobis sunt? Ut id suadeant quidam, ad verba Tertulliani provocant de Praescrip. c. 40, quibus eum censent matrimonium inter sacramenta proprie dicta connumerare. « Diabolus, ait, cuius sunt partes intervertendi veritatem, ipsas quoque res sacramentorum divinorum in idolorum mysteriis aemulatur. Tinguit et ipse quosdam, utique credentes et fideles suos, expiationem de lavacro (post lavacrum) repromittit, et sic adhuc initiat Mithrae; signat illic in frontibus milites suos, celebrat et panis oblationem.... quid quod et summum Pontificem in unis nuptiis statuit?... qui ergo res ipsas, de quibus sacramenta Christi administrantur, tam aemulanter affectavit exprimere in negotiis idololatriae etc. » En, aiunt, sacramenta christiana, baptismus, poenitentia, confirmatio, eucharistia, nuptiae, quae diabolus ut simia aemulatur. Verum *statuere summum Pontificem in unis nuptiis* non est nisi statuere ut Pontifex sit unius uxoris vir, quod Paulus praeceperat, et quod, suadente Diabolo, infideles imitabantur. Cf. eundem ad Uxorem L. I. c. 7.

At Augustinus clarius loquitur. Nam de Nuptiis et Concup. c. 10 docet non tantum foecunditatem et fidem, sed *quoddam sacramentum nuptiarum* commendari fidelibus coniugatis. Huius autem sacramenti effectum dicit esse indissolubilitatem, sicut character effectus est baptismi. « Huius procul dubio Sacramenti res est, ut mas et femina connubio copulati, quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent. Ita manet inter viventes quiddam coniugale, quod nec separatio nec cum altero copulatio possit auferre: manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum foederis: sicut apostata anima velut de coniugio Christi recedens, etiam fide perdita, sacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit ». Et de Bono coniugali c. 24 comparat matrimonii sacramentum sacramento ordinationis. « Bonum nuptiarum, quod ad populum Dei pertinet, est etiam in sanctitate sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere... nec solvitur vinculum coniugale nisi coniugis morte. Quemadmodum si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non sequatur, manet tamen in illis ordinatis sacramentum ordinationis, et si aliqua culpa quisquam ab officio removeatur, sacramento Domini non carebit ». Quocirca ibid. c. 18. ait: « In christianorum nuptiis plus valet sanctitas sacramenti, quam foecunditas uteri ». Atqui sacramentum, quod solis fidelibus competit, quod causa est effectus permanentis ad modum characteris, quod baptismo et ordini comparatur, non magis apte interpreteris, quam si intelligas sacramentum proprie dictum. Cum praesertim haec loquendi ratio *res sacramenti* ab Augustino adhiberi soleat cum de sacramentis proprie dictis sermonem habet. Neque huic interpretationi adversatur imo adstipulatur s. Hildebertus Turonensis, cum in Serm. superius citato n. 4. circa hanc loquendi Augustini rationem monet: « quod aliis omnibus omissis, quae in legitimo exiguntur matrimonio, ipsius stabilitati sacramentum Augustinus adscribit; praerogative potius quam singulariter dictum (h. e. non in hoc tantum sed in eo praecipue) quidam non imprudens, sicut opinor, dixerit: sacramentum enim sacrae rei signum esse non contemnenda tradit auctoritas ». Tum pergit enumerare ea, in quibus matrimonium est rei sacrae signum.

Sed praecipue appellandus est Cyrillus Alex. qui ita disserit in Ioann. L. II. c. 2. « Christus ipse cum discipulis suis invitatus venit ad nuptias, non tam epulaturus, quam ut miraculum faceret, ac praeterea generationis humanae principium sanctificaret, quod ad carnem nimirum attinet. Conveniebat enim ut qui naturam ipsam hominis renovaturus erat, non solum iis, qui iam in ortum vocati erant, benedictionem impertiretur, sed et iis quoque, qui postea

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nascituri essent, gratiam praestitueret, et eorum ortum sanctum (τὴν εἰς τὸ εἶναι πάροδον) efficeret». Christus igitur non solum iam natis benedictionem, per baptismum scilicet, impertivit, sed praeterea sanctificavit principium ipsum generationis humanae h. e. matrimonium, atque hac sanctificatione gratiam praestituit nascituris, ut eorum ortus sanctus foret. Haec per se significant sanctitatem supernaturalem matrimonii, qua actus eius seu generatio filiorum sanctus quoque sit: quae sanctitas rei permanentis, permanens et ipsa per se sit; qua posita verum sacramentum evadit matrimonium. Porro idem licet minus clare Epiphanius docet haeres. LXVII. « Venerabiles esse nuptias, ac Dei aspirante gratia caeleste regnum obtinere, quis vel ex eo non agnoscat, quod ad nuptias invitatus Salvator ipse fuerit, ut iis benediceret?» Idem Patres Ephesini Act. 1. docent aientes: « Christum dispensatorie tunc ipsis benedixisse nuptiis, cum in Cana Galilaeae cum sanctis vocatus Apostolis adesse dignatus est». Ex quibus vides quod quemadmodum dicitur Christus sanctificasse baptismo suo aquas, ita dicitur praesentia sua sanctificasse nuptias. Quam comparationem si rite perpendas, facile intelliges, quod sicut sanctificatio aquarum, iuxta ipsos Patres, fuit sanctificatio vim conferens sacramentalem, eodem pacto accipienda est sanctificatio nuptiarum.

Iam vero si sententia expressa his omnibus prioris aetatis allatis monumentis (IV. V.) conferatur cum sententia expressa monumentis posterioris aetatis (III), quae superius enumeravimus, patet 1) de eadem re in utraque serie sermonem esse; 2) sententiam antiquioribus expressam monumentis se habere ad sententiam posteriorum, sicut se habet notio generica et plus minus determinata ad notionem specificam et magis determinatam. Atqui haec ratio specifica et magis determinata, quae apparet in monumentis posterioribus, eadem apprehendebatur et implicite asserebatur iis omnibus formulis, quae exstant in monumentis vetustioribus: ergo eadem doctrina, quae posterioribus monumentis explicite est asserta, tenebatur quoque aetate superiori. Prob. minor. Etenim oportet ut veteres de matrimonio prout in concreto est loquentes, apprehenderint notionem eius non tantum genericam, sed et specificam seu modum determinatum quo res sacra est et cum sanctificatione coniuncta; nam quaevis res in se est determinata modoque determinato exsistit; res ergo sacra est sacra determinato modo: fieri autem non potuit ut tam longa aetate, cum ageretur de re usu quotidiano frequentata, apprehenderetur tantum confuso modo adhuc determinabili ratio sacri, quae matrimonio inest, quin sapientes adverterent conceptum confusum esse magis determinandum, ne matrimonium cum aliis

rebus sacris alterius speciei confunderetur; quin proinde quaestio oriretur de eius propria et determinata notione, ac dubitationes diversaeque opiniones exsisterent: neque fieri potuit ut deinceps a seculo XI certus determinatus modus, quo matrimonium sacrum est, si recens fuisset excogitatus, absque ulla controversia tanquam res nota proponeretur fidelibus. Atqui nullum vestigium exstat in praecedentibus seculis quaestionum aut diversarum opinionum hac super re; atque a seculo XI absque ulla controversia proponitur determinatus quidam modus, quo matrimonium sit sacramentum. Ergo prioribus aetatibus apprehendebatur ratio sacri determinata, quae matrimonio competit, huiusque rei conscii erant fideles vel saltem magistri fidelium. At haec ratio determinata sacri, quae matrimonio prioribus seculis tribuebatur, alia esse non potuit ab ea quae deinceps explicite exprimitur in monumentis posterioribus; secus enim nedum nova, sed et contraria doctrinae veteri exstitisset doctrina in Ecclesia. Ergo formulae priores illud idem, licet paulo obscurius saltem quoad nos, repraesentant, quod posteriores; ergo doctrina exhibita a definitionibus Conciliorum repraesentatur a serie non interrupta testimoniorum, quae cum aetate Apostolica connectitur.

Quod si addas in serie quoque monumentorum veterum notionem Sacramenti proprie dicti identidem elucere (cf. n. V Augustinum et Cyrillum), habebis confirmationem, quamvis non necessariam, identitatis rei cognitae tum a posterioribus tum ab antiquioribus. Ergo a traditione apostolica procedit doctrina, quod matrimonium christianum sit sacramentum proprie dictum. Itaque duplici argumentorum genere traditio catholica hac in re demonstratur, h. e. tum consensu omnium christianorum sec. V (II), tum analysi doctrinae omnis aetatis usque ad tempora Apostolica vel eis proxima.

VI. Occurrit tamen difficultas non spernenda. Quaeritur enim 1° cur Patres ante Augustinum disputantes cum Gnosticis et Manichaeis, qui matrimonium reiiciebant tanquam a Satana invectum, proferentes etiam Scripturarum testimonia, Patres, inquam cum hunc impugnant errorem argumentis ex auctoritate divina depromptis, nunquam illud tamen proferant in medium, quod nempe matrimonium sit sacramentum? Disputarunt porro hac in re Irenaeus L. I. Clemens Alex. Strom. L. III Tertullianus L. I. ad Uxorem, Titus Bostrensis L. II adv. Manichaeos, Epiphanius haeresi XXIII Saturnili, XXXII Epiphanis, XLV Severianorum, LXVII Hieracitarum et Didymus Alexandrinus contr. Manichaeos, etc. Quaeritur 2° cur Patres improbantes nuptias fidelium cum infidelibus, ut Tertullianus L. II. ad Uxorem, Cyprianus penes August. de fide et operib. c. 19. et Patres Concilii Laodiceni can. 10, et oecumenici Chalcedonensis

can. 14. non provocarunt ad dignitatem sacramenti, quae videtur esse potissima ratio? Quaeritur etiam 3° cur Iovinianus, qui omnia argumenta congessit (cf. Hieronymum L. I. adversus eundem) ut matrimonium extolleret, et aequaret virginitati, rationem sacramenti non attulit in medium? Scilicet ex his omnibus videtur ignota fuisse prioribus seculis doctrina: matrimonium esse sacramentum.

Ad 1^m^ fatendum est veteres Patres, cum eum errorem quorumdam Gnosticorum et Manichaeorum impugnant, non uti explicite et sub hac formula verborum, qua nunc nos uteremur, argumento sumpto ex dignitate veri propriique sacramenti, sed provocare tum ad institutionem divinam matrimonii Gen. II. Matth. XIX. tum ad verba Apostoli Hebr. XIII. 4. 1. Cor. VII. 2. 28 seq. 1. Tim. V. 11. tum etiam ad benedictionem, quam Christus sua praesentia nuptiis in Cana Galilaeae impertivit. Verum 1° argumentum istud ex silentio petitum, cum sit negativum, omne robur amittit, si contra ipsum, ut factum est, afferri possint argumenta positiva: 2° data opera diximus: *explicite* et sub ea formula verborum qua nunc utimur. Etenim, quoniam sacramenti dignitatem matrimonio tribuisse Patres censendi sunt, cum illud dicunt a Christo suae praesentiae benedictione sanctificatum, hanc autem sanctificationem obiiciant haereticis, nequit simpliciter asseri Patres eo argumento non esse usos. Imo e contrario tenendum est quod cum Patres eam benedictionem obiicerent haereticis, quod frequenter faciunt graeci, rationem veri sacramenti eisdem obiicerent. Quemadmodum enim veram rationem sacramenti inesse baptismo significabant cum de sanctificatione impartita aquis in Iordane a Christo loquebantur, ita de vera sanctificatione sacramentali loqui putandi sunt cum dicunt Christum sua praesentia benedixisse et sanctificasse nuptias. Ceterum 3° argumentum desumptum ex propria dignitate veri sacramenti nullo modo necessarium Patribus erat, sed satis erat urgere divinam institutionem. Sane agebatur cum haereticis, qui concubitus quoslibet vagos sibi permittentes voluptatis causa, damnabant tamen procreationem filiorum et nuptias, ut de Gnosticis testantur Epiphanius et Clemens Alex. locis citatis, et de Manichaeis August. de haeresibus haer. XLVI: « Auditores suos monent, ut si utuntur coniugibus, conceptum tamen generationemque devitent, ne divina substantia, quae in eos per alimenta ingreditur, vinculis carnis ligetur in prole ». Et contra Secundinum manichaeum c. XXII: « Neque enim tam concubitum quam nuptias detestamini ». Cf. et Titum Bostrensem Oper. cit. L. II. Iam vero haec turpis sententia errat simpliciter in eo, quod est iuris naturalis, ideoque ad eam profligandam satis erat docere procreationem prolis ac coniugium esse secundum naturam et honestum,

quod Patres omnes praestant; atque ex Scripturis quoque, quas ii haeretici quomodocumque recipiebant, satis erat ostendere procreationem prolis ac coniugium quod natura exigit, divina institutione firmatum esse. Idque directe adversabatur sententiae eorum, qui uxorem ducere filiosque procreare a Satana esse docebant.

Ad 2^m^ respondemus primo quod dignitas sacramenti per se non impedit quominus permittantur hae nuptiae, ut ab initio Ecclesiae factum est: quocirca nec proximis seculis erat nimis urgendum hoc argumentum, ne praesertim praecedentes Patres viderentur damnari tanquam iniurii in sacramentum. Ceterum ubi deerat necessitas id permittendi licebatque Episcopis absque scandalo et perturbatione fidelium honorem sacramenti plenissime tueri, falsum est quod ex inde quoque non sit ductum argumentum pro his nuptiis prohibendis, etsi eas nondum irritaverint. In Conc. enim Eliberitano dicitur quidem can. 15: « propter copiam puellarum gentibus minime dandae sunt in matrimonium virgines christianae, ne aetas in flore tumens, in adulterio animae resolvatur: » can. 16. vero subditur: « sed neque iudaeis, neque haereticis dari placuit, *eo quod nulla possit esse societas fidelis cum infideli* » utique in re sacra; quae ratio non est cur negetur petita ex ipsa dignitate sacramenti. Eadem ratio quoque implicite continetur in sententia Cypriani, quam l. c. Augustinus refert: « S. Cyprianus in epistola de lapsis (quam confer) inter malos christianorum mores computat iungere cum infidelibus vinculum matrimonii, quod nihil aliud esse asserebat, *quam prostituere gentibus membra Christi:* quae nostris temporibus iam non putantur esse peccata, quoniam re vera in novo Testamento nihil inde praeceptum est, et ideo aut licere creditum est aut velut dubium derelictum ». Canones vero Laodicenus et Chalcedonensis cum nullam specialem rationem afferant, nullam quoque idoneam excludunt.

3. Ad Iovinianum quod spectat respondemus ipsum quoque negasse discrimen inter innocentes et poenitentes, sive innocentibus aequiparasse poenitentes (Hieronym. oper. cit. L. II. in propositione 1^a^) nec tamen ad hanc paritatem ostendendam, ex eo collegisse argumentum quod poenitentia sit sacramentum. Nimirum comparationem instituebat inter merita utriusque, innocentis et poenitentis, quae in suo quisque statu poterat sibi comparare, et inter praemium, quod omnibus propter eorum opera idem esse promissum contendebat, non inter ritus, quibus status aliquis consecraretur. Quare neque ad sacramenti rationem in matrimonio provocavit, quia comparabat statum matrimonii cum statu virginitatis, sive merita, quae in utroque statu vir et mulier assequi possent: meritumque par virginis et coniugis ex valore operum utriusque penes Deum colligebat.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

THESIS VIII.

Verbo quoque Dei scripto ostenditur matrimonium christianum, ratione sui status, coniunctam habere gratiam sanctificantem, huius autem, cum ipsum fit, causam quoque esse, ex verbis solis Scripturarum, adhibita analogia fidei, vehementer saltem suadetur.

I. Veniamus ad Scripturas. Eph. V. 22 seq. innuitur, teste Concilio Tridentino, matrimonium esse sacramentum. Id declarandum est, ac inquirendum an vera demonstratio doctrinae catholicae ex hoc loco extundi possit. Tres sunt distinguendae partiales quaestiones: 1° an matrimonium sit sacramentum generali quadam ratione: 2° an sit ex se coniunctum cum gratia sanctificante propria sui status: 3° an ipse ritus, quo matrimonium fit, sit causa sub Deo gratiae illius.

Ad primum quod spectat, postquam Apostolus habitudinem mutuam viri et mulieris explicaverit per habitudinem mutuam Christi et Ecclesiae, sic concludit verbis Adami ex Gen. II. 24. *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una: Sacramentum hoc magnum est* (τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστί); *ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (εἰς Χριστὸν καὶ εἰς τὴν Ἐκκλησίαν). Iam vero pronomen *hoc* (in verbis *sacramentum hoc*) indicat appellationem sacramenti fieri rei praecedenti, quae iam demonstrata est et facta praesens: quod vero generatim praecedit, est sententia Adami; quod autem immediate praevertit, est illud: *duo fore in carne una.* Igitur haec verba Adami mysterium continent, sive res his verbis expressa *mysterium* est seu *sacramentum.* Porro advertendum est quod Adamus per illa verba: *propter hoc,* quibus sermonis ultimam partem exorditur, nectit nexu causali sequentia cum praecedentibus Gen. II. 22. 23. Haec autem praecedentia non sunt solum verba illa dicta de Eva: *os ex ossibus meis et caro de carne mea:* nam ex his solis profecto non liquet quomodo consequatur id quod deinceps subditur: *relinquet homo patrem et matrem* etc.: sed praecedentia sunt integrum factum, quod praecessit, quod Deus scilicet dederit Evam in uxorem Adamo eamque tanta unitate, ut ipse etiam expressit, cum eo coniunctam. Paulus vero cum illa eadem verba Adami (*os ex ossibus meis* etc.) mystice de Ecclesia esset interpretatus (v. 30 *quia membra sumus corporis eius, de carne eius et de ossibus eius* h. e. Christi) et sic ea transtulisset ad significandum

connubium Christi cum Ecclesia, immediate prosequitur usurpatis verbis Adami, mutata tamen coniunctione: ἀντὶ τούτου *relinquet homo patrem* etc. Hebraice scilicet est עַל כֵּן quod LXX reddunt: ἕνεκα τούτου. Sed ἀντὶ τούτου commode verti potest: *instar huius.* Nimirum quemadmodum Ecclesia est sponsa Christi, (ad instar huius unionis) relinquet homo etc. quo relatio typi et ectypi significatur. Sic redit Apostolus ad id quod ab initio sermonis docuerat, unionem Christi cum Ecclesia esse typum coniugii.

Iam vero verba omnia Adami literali sensu accipienda esse de unione maritali viri et feminae, nemo dubitat, cum hic sit sensus proprius et immediatus verborum, huncque sensum postulet occasio, in qua prolata sunt; praeterea hanc interpretationem Christus ipse docuit Matth. XIX. 5. At haec verba *relinquet homo* etc. *erunt duo in carne una* mysticam quoque significationem habere, idest rem per haec verba immediate significatam aliud quoque significare docet nos Apostolus, verba haec, sive rem verbis expressam vocans sacramentum, illudque magnum esse praedicans in Christo et in Ecclesia, h. e. in unione Christi cum Ecclesia, quam superius exposuerat tanquam coniunctionem Sponsi ad Sponsam. Unio ergo Christi et Ecclesiae est terminus vel obiectum, ad quod mysterium illud refertur, εἰς Χριστὸν καὶ τὴν Ἐκκλησίαν: quare unio viri et mulieris, est certe signum huius unionis; ideo enim mysterium dicitur, quia in ea latet significatio rei absconditae, cuiusmodi est desponsatio Verbi cum Ecclesia. Ita Hieronymus in hunc locum mentem Pauli explicat: « Id ipsum per allegoriam in Christo interpretatur et in Ecclesia... Non ut plerique existimant, omnis historia, quae de Adam et de Eva in Genesi scripta est, ad Christum et ad Ecclesiam facile referri potest, sed tantummodo quod in praesenti loco ponitur: *propter hoc* etc. Primus enim homo et primus vates Adam hoc de Christo et Ecclesia prophetavit, quod reliquerit Dominus noster atque Salvator Patrem suum Deum, et matrem suam caelestem Ierusalem (exivi a Patre, et veni in mundum Ioan. XVI. 28) et venerit ad terras propter suum corpus Ecclesiam, et de suo eam latere fabricatus sit, et propter illam Verbum caro factum sit. Et quia non omnia aequalia sunt sacramenta, sed est aliud sacramentum maius et aliud minus, propterea nunc dicit: sacramentum hoc magnum est; simulque eius indicium est inferentis: ego autem dico in Christo et in Ecclesia » ac si diceret, interprete Nazianzeno. « Scio qua locus iste ineffabilibus plenus sit sacramentis et divinum cor quaerat interpretis: ego autem pro pusillitate sensus mei in Christo interim illud et in Ecclesia intelligendum puto ». Cf. et s. Thomam in hunc locum eodem modo disserentem. Verba igitur Adami, quae literali

sensu significant unionem viri et mulieris maritalem, mystice, auctore Paulo, significant connubium Christi cum Ecclesia. Matrimonium ergo signum est huius rei. Itaque matrimonium est signum theoreticum rei sacrae, cuiusmodi est unio Christi cum Ecclesia. Est porro signum *magnum:* Curnam? certe quia significat rem magnam. An etiam quia significat miro quodam modo? Id ex dicendis patebit. Cum ergo sacramenti generica notio ea sit ut sit signum rei sacrae, hoc certe sensu matrimonium dicitur sacramentum, quia est signum illius sacratissimae rei.

II. Verum ulterius procedendum est et quaerendum an sit tantum matrimonium signum theoreticum unionis Christi cum Ecclesia, an sit etiam cum gratia coniunctum, eamque significet. Quaeritur scilicet an ex institutione divina sit cum matrimonio ratione sui coniuncta gratia statui matrimonii conveniens, quae conferatur cum matrimonium fit. Atqui satis clare docemur a Paulo huiusmodi esse matrimonium inter christianos. Supponimus matrimonium, de quo ipse loquitur, esse certe matrimonium christianorum; ii enim, quos alloquitur, christiani sunt; iidemque sunt, quibus Christi et Ecclesiae exemplum, tanquam res nota proponitur. Utrum vero ad matrimonium Christianum tantum spectet doctrina Pauli, dicemus postea.

Itaque A) si brevis instituatur analysis verborum Apostoli a v. 22. deinceps, advertere licet 1) considerari ab Apostolo matrimonium illud quod est divinae institutionis; consideratur enim prout est unius cum una et indissolubile vv. 23. 29: quale scilicet fuit praedicatum ab Adamo verbis propheticis: *propter hoc* etc. 2) rationem sacramenti seu signi exhiberi ab Apostolo ut inhaerentem matrimonio ex divina institutione; quatenus nempe Deus ipse assumpsit matrimonium in signum: repetit enim eam ex verbis propheticis Adami, quae verba Deo esse tribuenda noverat Apostolus, quippe quae Deo ipsi tribuuntur a Christo Matth. XIX. 5. Proinde etsi aliae habitudines mutuae praeter eam, quae est propria coniugum, e. g. patris ad filium et vicissim, possit repraesentare habitudinem quamdam Ecclesiae ad Deum et vicissim, non exinde tamen licet colligere huic competere quod matrimonio asseritur a Paulo ratione sacramenti h. e. talis mysticae significationis, nisi prius demonstres eam quoque unionem patris filiique assumptam esse a Deo ut sacramentum seu signum alicuius suae habitudinis seu unionis ad Ecclesiam vel alios: 3) habitudinem, quae intercedit inter virum et mulierem, ita ab Apostolo explicari ut vir sit caput mulieris (v. 23), mulier sit corpus viri eique subiecta (v. 24. 28). Haec autem habitudo est permanens, sicut permanens est relatio capitis ad corpus. Status proinde aliquis significatur. Porro 4) auctore Paulo, proportio quaedam exsistit inter hanc habitudinem viri et mulieris atque habitudinem Christi et Ecclesiae; nam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae (v. 23) et mulier subiecta est viro in omnibus, sicut Ecclesia subiecta est Christo (v. 24), sive mulier est corpus viri, sicut Ecclesia est corpus Christi (v. 23. 28). Scilicet unio viri cum muliere similis est unioni Christi cum Ecclesia; est nempe unio repraesentans unionem Christi cum Ecclesia ideoque est status aliquid prorsus sanctum et supernaturale repraesentans, et idcirco ipse quoque ratione repraesentationis status est sanctus et supernaturalis. Haec secundum Paulum ad essentiam matrimonii spectant; nam ex iis colligit officia propria coniugum, nimirum eo quod tales sunt, vir caput mulieris, sicut Christus Ecclesiae, mulier subiecta viro, sicut Ecclesia Christo, debet certo modo se gerere vir erga mulierem, mulier erga virum. Iam vero 5) officia, quae ex huiusmodi statu colligit Paulus, sunt dilectio viri erga mulierem (v. 25), timor mulieris erga virum (v. 33), qui timor et ipse dilectio quaedam est, sed cum quadam reverentia et subiectione coniuncta. Dilectio autem ista *supernaturalis* est; nam norma eius, quae proponitur, est prorsus supernaturalis, nempe dilectio Christi et Ecclesiae (v. 25-28; 24-22) et ratio formalis, propter quam postulatur, est supernaturalis, postulatur enim ex eo quod vir caput est mulieris sicut Christus caput est Ecclesiae nimirum eo quod unio viri et mulieris est unio repraesentans unionem Christi et Ecclesiae, et ratio finalis quoque eiusdem est supernaturalis, nimirum ut per actus in ipso exercitio repraesentetur dilectio Christi erga Ecclesiam, subiectio Ecclesiae erga Christum, huc enim quoque spectant verba Pauli: *viri diligite uxores vestras sicut Christus dilexit Ecclesiam;* ad eius enim normam agere debent ut ipsam repraesentent sicut ratione status repraesentant unionem Christi cum Ecclesia: praeterea nulla alia dilectio, quam supernaturalis, potuit in hac oeconomia fidelibus commendari ex exemplo Christi. Porro 6) dilectio, quae coniugibus commendatur, est dilectio specialis h. e. propria status matrimonii; non enim iis ipsa praecipitur eo quod Christiani sunt; sed eo quod vir caput est mulieris, mulier subiecta viro; vir vero caput exsistens mulieris et mulier subiecta viro repraesentant Christum et Ecclesiam. Ideo dilectio permanens est, sicut permanet status. Atqui 7) in hoc est situm matrimonii proprium officium: ergo eidem quoque competit potestas seu principium huius dilectionis supernaturalis *propriae eiusdem status,* idque manifeste Paulus supponit, cum actum praecipit et commendat.

Ergo status matrimonii, eo quod est talis status repraesentans connubium Christi cum Ecclesia, habet ratione sui adiunctum prin-

cipium permanens dilectionis supernaturalis propriae sibi, h. e. gratiam sanctificantem propriam sibi, permanentem, qua vir et mulier possint alter erga alterum se gerere sicut Christus erga Ecclesiam et Ecclesia erga Christum et ita amorem Christi Ecclesiaeque subiectionem repraesentare. Gratiam dixi sanctificantem, principium enim dilectionis permanentis est gratia sanctificans, ius praeterea tribuens ad ea auxilia actualia, quae convenientia et necessaria sunt ad illud opus, propter quod gratia habitualis datur.

Sacramentum ergo matrimonii significans unionem Christi cum Ecclesia, eam repraesentat etiam quoad modum quo fit unio, nempe secundum gratiam et sanctitatem, eo quod est consertum cum gratia sanctificante ut referat unionem Christi cum Ecclesia. Quocirca matrimonium, cum fit, significat quoque gratiam sibi annexam. Nam contractus seu ritus ille quo fit matrimonium significat ipsam unionem coniugum, et contractus seu ritus, quo fit matrimonium inter christianos, significat unionem talem, qualis fit inter christianos: haec porro est unio repraesentans unionem Christi cum Ecclesia, unio sancta seu cum gratia coniuncta: ergo. Quapropter duplex significatio distinguenda in matrimonio est: altera, quae est significatio unionis Christi cum Ecclesia: altera, quae est significatio sanctitatis seu gratiae sibi annexae, qua perfecte illa unio repraesentatur.

Est igitur matrimonium unio maritalis supernaturaliter sancta, cui gratia sanctificans propria eius status connexa est, et quam ipsum, cum fit, significat.

III. At quaestio tandem restat, utrum quam matrimonium significat gratiam, hanc Deus solus immediate in coniugibus (dispositis utique) efficiat, an ipse ritus nuptiarum sit sub Deo causa eius, quemadmodum alia sacramenta. Id non contendimus ab Apostolo aperte hoc in loco doceri; innuitur tamen, quatenus ea Apostolus docet, quae licet ex se non sufficiant, ratione nihilominus habita oeconomiae christianae, quam ipse merito dicendus est supponere, rem certe suadent. Dicimus itaque quod spectatis iis quae docet Apostolus, et ratione habita indolis oeconomiae christianae suadetur ritum, quo fit matrimonium, esse causam gratiae.

Sane 1° constat ex dictis annexam esse matrimonio gratiam sanctificantem *ex divina institutione;* constat enim annexam esse speciali ratione eo quod est signum unionis Christi cum Ecclesia, quae significatio est ex divina institutione. Constat proinde 2° matrimonium, cum fit, significare ex divina institutione gratiam sibi annexam. Nam ipsum matrimonium, cum fit, significat eam unionem coniugum, quae vi consensus mutui fit; fit autem unio sancta ex divina institutione, h. e. unioni annexa est gratia: sicut ergo ex divina institutione est quod haec unio sit supernaturaliter sancta, ita ex eadem institutione oritur quod ritus ei essentialis, quo matrimonium initur, significet talem unionem.

Constat 3° ritus institutos a Deo ad significandam gratiam conferendam hominibus esse in nova lege efficaces eiusdem; haec enim est indoles propria novae legis ut non solum significet, sicut lex vetus, sed efficiat quoque gratiam: sive aliis verbis, constat proprium esse legis novae ut gratia sanctificans, cuius collationem ordinariam, pro certis nempe statibus et officiis, Deus instituit, conferatur per ritus sensibiles seu per sacramenta proprie dicta. Atqui instituta est a Deo ordinaria collatio gratiae sanctificantis iis, qui coniugio copulantur; signum autem huius gratiae est sacramentum matrimonii ex ipsa divina institutione: ergo est etiam signum efficax.

IV. Sunt praeterea qui alia Scripturarum testimonia producant ad idem probandum vel suadendum: nempe 1ª Cor. VII. 14. 39; Coloss. III. 18; 1ª Tim. II. 15. Verum in primo non satis liquet cur de sanctitate matrimonii prout sacramentum est ibi sit sermo: verba enim *alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt,* necti videntur cum eo quod monuerat prius, ut fidelis ab infideli ne discedat; secus enim filii eorum antea suscepti, veluti spurii haberentur; manentibus autem coniugibus simul, filii legitimi prorsus habentur et absque ulla ignominia (1).

Altero vero loco ex eo quod docet Apostolus ut mulier nubat cui voluerit, tantum *in Domino,* ideoque ut matrimonium fiat *in Domino,* non sequitur matrimonium esse sacramentum: «Illud *in Domino* (ait August. De Adulter. coniug. c. 25) duobus modis accipi

(1) Et huius quidem loci: *sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem* etc. interpretationem tradit Gelasius I in Tractatu adv. pelagianam haeresim. Perpendit scilicet primum quod cum sint duo in carne una, quoniam cuiuslibet fidelis coniugis corpus templum est Dei, *secundum quemdam modum* per coniugalis unitatem carnis etiam coniugis infidelis sanctificatio corpus attingat, longeque distet ista societas ab illo consortio, quod in utrisque coniugibus idolis mancipatum est. Tum advertit quod oratione fidelis cuiusque coniugis etiam infideli misericordia quantacumque praestatur et per hoc iste *secundum quemdam modum* particeps divinae dignationis effectus edicitur. Quod potissimum fit cum per fiduciam coniugii sanctis verbis cor eius assidua voce pulsando, coniux fidelis frequenter fidem et spem in Deum insinuat, tum etiam cum per exemplum sanctae conversationis, ut Petrus (1. Petr. III) monet, ad Dei virtutisque amorem adducit. Sanctificatio proinde, de qua loquitur Apostolus, ea est quae, adiuvante fideli coniuge, non raro infideli per gratiam Dei contingit. Modo analogo idem Pontifex interpretatur sequentia verba de immunditia et sanctitate filiorum.

potest, aut christiana permanens (nempe ita nubat ut Christum non deserat, aut deserendi se exponat periculo) aut Christiano nubens» sicut et Tertullianus interpretabatur utroque modo, priore L. II ad Uxor. c. 2 altero De Monogamia c. 7.

Idem dicendum de tertio loco citato, ubi praecipit Apostolus mulieres subditas esse viris, sicut oportet, *in Domino*: ex quo non apparet quomodo hunc sensum certe colligas: sicut decet eas mulieres, quae contraxerunt matrimonium, non ut gentiles, sed sacramentaliter. Quartus locus nescio quid probet per se: *mulier salvabitur* (ait Apostolus) *per filiorum generationem, si permanserit in fide et dilectione et sanctificatione cum sobrietate;* quod de quolibet statu fidelium dici potest, salvatum scilicet iri eum, qui officia sui status in fide et dilectione adimpleat: nisi tamen illud componas cum testimonio a nobis citato.

Itaque matrimonium, quod fieret saltem secundum primitivam institutionem, fuit semper sacramentum latiore sensu acceptum, prout est signum rei sacrae; pressiore vero sensu acceptum sacramentum, prout est signum efficax gratiae, non est matrimonium nisi in lege nova. Cur vero? Ratio generalis est, quia sacramenta proprie dicta non sunt nisi in N. L. Argumentationem, qua usi sumus, praeformarunt Tridentini Patres Sess. XXIV. c. un. Quocirca hic est veluti processus perfectionis matrimonii iuxta s. Thom. q. XLII. a. 2. Matrimonium scilicet in statu innocentiae institutum fuit in officium naturae (attamen naturae sanctae): in statu naturae lapsae superadditus ei fuit et alius finis, ut esset nimirum in remedium concupiscentiae: utroque autem in statu fuit signum unionis Christi cum Ecclesia, et ideirco sacramentum lato sensu acceptum: in lege nova servato eo duplici fine, fuit praeterea institutum in sacramentum proprie dictum.

V. Expedienda est aliqua heic occurrens difficultas. Et 1) quidem perperam obiiceretur, quod quaecumque heic Paulus coniugibus dicit de dilectione et subiectione, adhibito exemplo Christi et Ecclesiae, potuisset aliis quoque dicere puta patribus filiisque, quin inde colligere liceret esse inter eos aliquod sacramentum. Nam, ut iam monuimus, Paulus id praesupponit, unionem coniugum assumptam esse a Deo ut sacramentum seu signum unionis Christi cum Ecclesia et exinde officia eorum infert: id vero de aliis dici nequit.

Obiici tamen 2) sic potest. Verba Apostoli: *Sacramentum hoc magnum est,* vera fuerunt ab initio, cum dictum est: *propter hoc relinquet homo* etc. et hoc modo matrimonia contracta sunt. Quocirca ita arguitur. Ex verbis Pauli colligimus matrimonium esse signum efficax gratiae quia est huiusmodi sacramentum: atqui signum fuit

unionis Christi cum Ecclesia iam et deinceps ab initio: ergo ab initio et deinceps contulit gratiam; atqui falsum est consequens: ergo et antecedens.

Respondeo. Ex Apostolo habemus quod unio viri et feminae, de qua loquitur Adamus (Adamus autem non de suo matrimonio proprie loquitur; neque enim ipse reliquit patrem aut matrem, sed de subsequentibus), est signum unionis Christi cum Ecclesia, sed non habemus ab eo quod eodem modo semper fuerit huius rei signum. Et re quidem vera matrimonium, quod considerat Apostolus, est unius cum una ac indissolubile; tale autem non reperiebatur per se in V. T. igitur satis constat matrimonia saltem, quae aetate V. T. fiebant, multo magis quae inter idololatras vitiosiora quam apud hebraeos, non fuisse heic considerata ab Apostolo. Ceterum prius in oeconomia umbrarum et figurarum fuit signum rei futurae, modo in oeconomia veritatis est signum rei praesentis. Proprium vero praecedentis oeconomiae Mosaicae fuit conferre tantummodo sanctitatem legalem, huius vero praesentis proprium est conferre gratiam intrinsecam. Cum ergo prius propter ipsam rationem propriam oeconomiae non daretur gratia per sensibilia signa, modo e contrario detur: potuit certe hoc discrimen petitum ex nativa indole utriusque oeconomiae intercedere inter rationem signi, quae competebat Matrimonio ante Christum et eam quae competit modo, ut nempe prius matrimonium significaret ratione unionis tantum, modo significet ratione unionis intrinsece sanctae. Itaque ad maiorem argumenti respondeo. Nos non dicimus quod Paulus doceat universim matrimonium esse intrinsece sanctum, eo quod sit signum, neque id nos colligimus: sed dicimus quod matrimonium illud, de quo Paulus loquitur, quod est certe matrimonium christianorum, ab ipso spectatur et repraesentatur ut intrinsece sanctum et connexum cum gratia, eo quod est signum unionis Christi cum Ecclesia: spectata vero indole oeconomiae christianae contendimus matrimonium illud, de quo directe Apostolus loquebatur, habitum ab ipso fuisse ut verum et proprium sacramentum. Responsio ad minorem patet: nam matrimonium tantum unius cum una et indissolubile fuit quoque ab initio signum unionis Christi cum Ecclesiae, sed iuxta indolem diversarum oeconomiarum.

Ad ultimam itaque minorem respondeo consequens illud reapse non sequi. Ceterum etsi post peccatum Adami matrimonia subsequentia usque ad christianum non fuerint intrinsece sancta seu necessario ex se connexa cum gratia eiusque causativa: attamen matrimonium protoparentum fuit cum gratia connexum ratione status primitivi et ordinatum ad gignendos homines sanctos; quare etsi non

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fuerit sacramentum quemadmodum nunc est, fuit certe intrinsece sanctum ratione status, in quo fiebat. Porro Christus matrimonium christianum revocavit ad dignitatem illius primi, cuius ipse Deus institutor fuit; consequens ergo potius esse debet quod nunc matrimonium christianum sit intrinsece sanctum: quamvis non eadem ratione, quemadmodum alia est ratio sanctificationis in praesenti oeconomia ac fuerit in illa priore.

Quare matrimonium christianum sacramentum *magnum* ea quoque ratione dicitur, quod speciali modo, per unionem nempe sanctam repraesentet Christi cum Ecclesia connubium.

THESIS IX.

Inania sunt argumenta, quae afferuntur contra doctrinam assertam duabus thesibus praecedentibus.

VI. Contra veritatem assertam in his duabus Thesibus obiici plura solent. Praecipua haec sunt 1) Actus matrimonii est turpis, at non decet actum sacramenti esse turpem. Imo 2) culpa non caret actus matrimonii, eum enim concedit Apostolus *secundum indulgentiam* seu *veniam* 1. Cor. VII. 6; ait vero Augustinus De peccato origin. c. 38 quod cum tribuitur venia, denotatur culpa. Et Didymus Alex. adv. Manichaeos, docet homines ante Christum habuisse matrimonium cum peccato, quod peccatum a nuptiis abstulit Christus sicut ab aliis rebus abstulit peccatum. 3) Matrimonium ignobilius est Virginitate; at haec non est sacramentum: multo ergo minus illud. 4) In sacramento requiritur caerimonia exterior religiosa; huiusmodi nulla est in matrimonio. 5) Non satis est esse signum rei sacrae et habere annexam promissionem gratiae ut sacramentum sit, quemadmodum patet in martyrio. 6) Sacramentum novae legis stricte et proprie sumptum est signum non ex natura sua, sed ex institutione divina; atqui etc. 7) Si matrimonium confert gratiam, sequitur quod qui a statu caelibatus seu virginitatis qui perfectior est, transit ad statum matrimonii, qui est imperfectior, minusque Deo acceptus, gratiam a Deo acquirit, quod absonum videtur. 8) In matrimonio contrahentes licite paciscuntur de dote, quod in sacramentis non licet. 9) Sacramentum facit quod significat: at matrimonium non id facit, significat enim unionem Christi cum Ecclesia, quam non facit.

Respondeo ad 1ᵐ. Actus matrimonii ex se honestus est, sicut honesta est procreatio filiorum legitima et honestus est actus, quem natura ipsa suadet: turpe vero est quod ei per accidens adiungitur,

h. e. motus concupiscentiae rebellis rationis, quae tamen turpitudo concupiscentiae per se sola non est moralis; et cum ad finem honestum adhibetur, malo bene utimur, ut Augustinus ait (v. dicta in Tract. De Deo Creat. Th. XLIV). Nec nisi improprie locutus est s. Hieronymus, cum defendens virginitatem contra Iovinianum L. I. n. 7 ait: «si bonum est mulierem non tangere, malum est eam tangere; nihil enim bono contrarium est nisi malum»: quae postrema verba sunt Tertulliani in libro de Monogamia. At malum dici nequit nisi quatenus improprie intelligatur minus bonum. Idem Hieronymus ibidem negat se omnem coitum spurcum putare, seque non ignorare inquit honorabiles nuptias et thorum immaculatum... «Sed ita nuptias, ait, recipimus, ut virginitatem praeferamus». Ita August. De Bono coniug. c. 8. «Non ergo duo mala sunt connubium et fornicatio, quorum alterum peius; sed duo bona sunt connubium et continentia, quorum alterum est melius». Ad Hieronymum quod spectat, legenda est eius epist. 48 ad Pammachium, qua data opera se defendit a crimine quod sua laudatio virginitatis esset quodammodo condemnatio matrimonii. Male enim Romae propter scripta contra Iovinianum audierat Hieronymus. Cf. et epist. eiusdem 123 ad Ageruchiam et August. Retract. L. II. c. 22. Porro advertendum est quod cum Hieronymus comparat matrimonium virginitati insistit potissimum in consideratione usus ipsius, nam ratione huius nuptias in inferiore loco collocat. Quocirca in censu virginum ponit et coniuges abstinentes ab actu coniugii, eosque opponit iis qui eo utuntur. Ceterum, ut plenius difficultati respondeamus, copula non est actus sacramenti matrimonii cum ipsum fit et gratiam confert: sed actus sacramenti *in facto esse* seu permanentis ut explicabimus seq. Th.

Ad 2ᵐ. Indulgentia, quam concedit Apostolus, spectat non ipsum coniugium, sed solum usum coniugii citra directam intentionem prolis, ad evitandam fornicationem. Ea vero indulgentia seu venia non denotat culpam; venia enim seu indulgentia, quae culpam supponit, est ea quae est remissio: sed heic non est sermo de huiusmodi venia. «Dubitare fas non est nuptias non esse peccatum. Non itaque nuptias secundum veniam concedit Apostolus: nam quis ambigat absurdissime dici non eos peccasse, quibus venia datur? Sed illum concubitum secundum veniam concedit, qui fit per incontinentiam, non sola causa procreandi, et aliquando nulla causa procreandi, quam nuptiae non fieri cogunt, sed ignosci impetrant», ait August. De Bono Coniugali n. 11. Est scilicet concessio debita actus minus perfecti, ut maius malum vitetur; unde opponitur *imperio*. Non praecipit per se Apostolus eum actum, quia per se perfectius

esset abstinere; sed praecipit vel consulit propter periculum incontinentiae: consulit ergo non ex motivo perfectionis actus, sed ex motivo fragilitatis humanae, *cui indulgendum est*. Iure vero coniuges uti coniugio propter hunc finem directum tantum vitandi incontinentiam, heic supponit Apostolus atque superius docet v. 2.

Augustinus quidem censuit peccatum esse veniale concubitum illum coniugum, qui fit propter incontinentiam (causa voluptatis) non sola causa procreandi. « Coniugalis concubitus generandi gratia non habet culpam, concupiscentiae vero satiandae, sed tamen cum coniuge, propter thori fidem, venialem habet culpam; adulterium vero sive fornicatio lethalem habet culpam (l. c. n. 6) ». Cui s. Thomas consentit ex parte q. XLIX. a. 5. Ceterum quoniam matrimonium in remedium quoque concupiscentiae institutum est, si coniuges voluptatis causa coeant id pariter intendentes ut in se ipsis incontinentiam evitent, cum hic sit finis honestissimus, etsi non intendant generationem prolis, dummodo eam positive non excludant, nullius culpae arguendi sunt. Lege probatos Theologos morales.

Ad 3ᵐ. Si comparetur status cum statu, perfectior est status continentiae: at nihil impedit quominus status ex se imperfectior consecretur sacramento, et sub hac ratione praestet alteri. Quemadmodum sacramentum est pro poenitentibus, non pro innocentibus, licet hic status sit perfectior. Ratio vero erat cur gratia sanctificante consecraretur fieretque in nova lege sacramentum matrimonium, a quo familia et universa societas pendet, quo continuatur actio creativa Dei propagatione filiorum ad cultum ipsius; ut ita sub tutela et directione Ecclesiae, cui sacramenta concredita sunt, esset in ipso suo exordio universa humana familia.

Ad 4ᵐ. Caerimonia exterior religiosa est ille ritus (quinam sit dicemus Th. XI), quo matrimonium fit, et quo unio Christi cum Ecclesia et unio sancta coniugum repraesentatur.

Ad 5ᵐ. Requiritur utique praeterea institutio divina, qua aliquid instituatur signum et causa sanctificationis, tamquam ritus active sanctificans ut instrumentum Dei sanctificantis; id vero locum habet in matrimonio, non in martyrio.

Ad 6ᵐ. Matrimonium ex natura sua aptum quidem est ad significandum, sed actu ex institutione divina significat unionem Christi cum Ecclesia et gratiam quam confert. Nihil vero refert quod id quod assumitur ut signum sit iam aliquid in natura exsistens opusque naturae.

Ad 7ᵐ. Respondet Bellarminus (De Matrim. L. I. c. 5): « Aliud est comparare statum cum statu, aliud statum cum sacramento: status continentiae altior est et perfectior statu matrimonii et maioris

gratiae ac meriti: sacramentum nihilominus semper auget gratiam in quocumque statu suscipiatur. Quare continens, dum contrahit matrimonium, crescit in gratia; sed si idem continens propter Deum nuptias humanas contempsisset, plus gratiae apud Deum invenisset, quam sit illa, quae per sacramentum matrimonii datur ». Sic cui integrum est duo opera facere, alterum perfectum magis, alterum minus, faciens id quod minus perfectum est, cum ad perfectius non obligatur, gratiae augmentum obtinet, obtenturus tamen maius gratiae augmentum, si opus alterum perfectius fecisset.

Ad 8ᵐ. Dos non datur propter sacramentum seu propter contractum sacramentalem, sed propter onera sustinenda in individua societate vitae, quae consequuntur matrimonium non prout sacramentum est, sed prout est certus contractus determinatam gignens societatem.

Ad 9ᵐ. Iam factum est satis. Significat enim matrimonium, cum fit, unionem coniugum eamque sanctam, quae est repraesentatio unionis Christi cum Ecclesia.

THESIS X.

Indivisibili nexu vinciuntur in matrimonio christianorum contractus h. e. unio maritalis et sacramentum; quae non sunt duae res, sed duae rationes seu formalitates necessariae eiusdem rei. Quare inter christianos coniunctio viri et feminae, si sacramentum non est, neque est matrimonium; et si matrimonium est, est quoque sacramentum.

I. Matrimonium per se esse potest quin sit sacramentum proprie dictum. Tale fuit ante novam oeconomiam institutam, et tale est etiamnum inter infideles, inter quos est in officium naturae ad procreandam et educandam prolem atque in remedium concupiscentiae. Apud infideles proinde matrimonium non est nisi contractus quidam naturalis sive maritalis unio viri et mulieris ab ipsa natura instituta ex libero consensu contrahentium determinata: inter christianos vero est praeterea sacramentum. Quare ratione haec duo distingui possunt in matrimonio christiano, *contractus* (quo nomine consensus utriusque qui est causa, et vinculum manens inde exortum significatur), qui et in pura natura esset et fuit ante Christum et est apud infideles, atque *sacramentum*, quod in solis christianis contrahentibus reperitur. Sed quaestio est utrum quemadmodum ratione ita et re haec duo in matrimonio christiano distingui possint, non quidem separatione completa, ita ut etiam sacramentum

esset abstinere; sed praecipit vel consulit propter periculum incontinentiae: consulit ergo non ex motivo perfectionis actus, sed ex motivo fragilitatis humanae, *cui indulgendum est*. Iure vero coniuges uti coniugio propter hunc finem directum tantum vitandi incontinentiam, heic supponit Apostolus atque superius docet v. 2.

Augustinus quidem censuit peccatum esse veniale concubitum illum coniugum, qui fit propter incontinentiam (causa voluptatis) non sola causa procreandi. « Coniugalis concubitus generandi gratia non habet culpam, concupiscentiae vero satiandae, sed tamen cum coniuge, propter thori fidem, venialem habet culpam; adulterium vero sive fornicatio lethalem habet culpam (l. c. n. 6) ». Cui s. Thomas consentit ex parte q. XLIX. a. 5. Ceterum quoniam matrimonium in remedium quoque concupiscentiae institutum est, si coniuges voluptatis causa coeant id pariter intendentes ut in se ipsis incontinentiam evitent, cum hic sit finis honestissimus, etsi non intendant generationem prolis, dummodo eam positive non excludant, nullius culpae arguendi sunt. Lege probatos Theologos morales.

Ad 3ᵐ. Si comparetur status cum statu, perfectior est status continentiae: at nihil impedit quominus status ex se imperfectior consecretur sacramento, et sub hac ratione praestet alteri. Quemadmodum sacramentum est pro poenitentibus, non pro innocentibus, licet hic status sit perfectior. Ratio vero erat cur gratia sanctificante consecraretur fieretque in nova lege sacramentum matrimonium, a quo familia et universa societas pendet, quo continuatur actio creativa Dei propagatione filiorum ad cultum ipsius; ut ita sub tutela et directione Ecclesiae, cui sacramenta concredita sunt, esset in ipso suo exordio universa humana familia.

Ad 4ᵐ. Caerimonia exterior religiosa est ille ritus (quinam sit dicemus Th. XI), quo matrimonium fit, et quo unio Christi cum Ecclesia et unio sancta coniugum repraesentatur.

Ad 5ᵐ. Requiritur utique praeterea institutio divina, qua aliquid instituatur signum et causa sanctificationis, tamquam ritus active sanctificans ut instrumentum Dei sanctificantis; id vero locum habet in matrimonio, non in martyrio.

Ad 6ᵐ. Matrimonium ex natura sua aptum quidem est ad significandum, sed actu ex institutione divina significat unionem Christi cum Ecclesia et gratiam quam confert. Nihil vero refert quod id quod assumitur ut signum sit iam aliquid in natura exsistens opusque naturae.

Ad 7ᵐ. Respondet Bellarminus (De Matrim. L. I. c. 5): « Aliud est comparare statum cum statu, aliud statum cum sacramento: status continentiae altior est et perfectior statu matrimonii et maioris

gratiae ac meriti: sacramentum nihilominus semper auget gratiam in quocumque statu suscipiatur. Quare continens, dum contrahit matrimonium, crescit in gratia; sed si idem continens propter Deum nuptias humanas contempsisset, plus gratiae apud Deum invenisset, quam sit illa, quae per sacramentum matrimonii datur ». Sic cui integrum est duo opera facere, alterum perfectum magis, alterum minus, faciens id quod minus perfectum est, cum ad perfectius non obligatur, gratiae augmentum obtinet, obtenturus tamen maius gratiae augmentum, si opus alterum perfectius fecisset.

Ad 8ᵐ. Dos non datur propter sacramentum seu propter contractum sacramentalem, sed propter onera sustinenda in individua societate vitae, quae consequuntur matrimonium non prout sacramentum est, sed prout est certus contractus determinatam gignens societatem.

Ad 9ᵐ. Iam factum est satis. Significat enim matrimonium, cum fit, unionem coniugum eamque sanctam, quae est repraesentatio unionis Christi cum Ecclesia.

THESIS X.

Indivisibili nexu vinciuntur in matrimonio christianorum contractus h. e. unio maritalis et sacramentum; quae non sunt duae res, sed duae rationes seu formalitates necessariae eiusdem rei. Quare inter christianos coniunctio viri et feminae, si sacramentum non est, neque est matrimonium; et si matrimonium est, est quoque sacramentum.

I. Matrimonium per se esse potest quin sit sacramentum proprie dictum. Tale fuit ante novam oeconomiam institutam, et tale est etiamnum inter infideles, inter quos est in officium naturae ad procreandam et educandam prolem atque in remedium concupiscentiae. Apud infideles proinde matrimonium non est nisi contractus quidam naturalis sive maritalis unio viri et mulieris ab ipsa natura instituta ex libero consensu contrahentium determinata: inter christianos vero est praeterea sacramentum. Quare ratione haec duo distingui possunt in matrimonio christiano, *contractus* (quo nomine consensus utriusque qui est causa, et vinculum manens inde exortum significatur), qui et in pura natura esset et fuit ante Christum et est apud infideles, atque *sacramentum*, quod in solis christianis contrahentibus reperitur. Sed quaestio est utrum quemadmodum ratione ita et re haec duo in matrimonio christiano distingui possint, non quidem separatione completa, ita ut etiam sacramentum

sine contractu esse possit, sed saltem incompleta, ita ut contractus sine sacramento esse valeat. Quidam theologi censuerunt esse posse verum matrimonium inter christianos, quod non sit sacramentum; hancque sententiam libenter amplexi sunt qui sacerdotem ministrum eius volebant. Ceterum satis nunc manifesta est doctrina catholica: haec duo esse inseparabilia, et quidem non quatenus sint duae res, quae simul semper esse postulent, sed quatenus realiter sunt una eademque res, ideoque non sunt nisi rationes seu formalitates et quidem necessariae eiusdem rei. Dicimus scilicet illud idem, quod est matrimonium inter christianos, esse sacramentum et quod est sacramentum esse matrimonium ipsumque si non sit sacramentum, neque matrimonium esse h. e. nullum valorem habere consensum eorum, qui contrahere tentant, nullumque vinculum maritale exsistere, sed turpem solum concubinatum. Demonstrandum est ergo matrimonium inter christianos esse ipsum sacramentum et esse necessario sacramentum; his enim probatis patebit veritas Thesis.

II. Itaque 1° matrimonium christianum et ipsum sacramentum non sunt duae res sed una. Matrimonium spectari potest in fieri, quod est ipse contractus, et in facto esse permanente, quod est vinculum ex eo ortum. Porro sacramentum, cum fit, non est alia res ab ipso contractu, et cum manet, non est alia res ab ipso vinculo; ergo. Probatur assumptum. *a*) Mutua traditio et acceptatio potestatis in alterum est contractus matrimonialis et est causa vinculi matrimonialis; eadem vero est, teste Eugenio, causa efficiens sacramenti: ergo matrimonium et sacramentum sunt una res. Prob. cons. Nam consensus matrimonialis unam rem tantum facit, id nempe in quod ambo consentiunt, quod est mutua potestas seu vinculum h. e. matrimonium: atqui consensus eorum est causa quoque sacramenti: ergo sacramentum est eadem res ac matrimonium. An dices consensum matrimonialem, licet sit una physice actio, esse tamen virtualiter multiplicem, ut sic duos effectus distinctos producat? Verum vel isti effectus ita se habent ut unus sit tantum modus alterius, vel ut ambo sint duae res. Si primum dicis, hoc ipsum est, quod nos contendimus, cum asserimus eandem esse rem matrimonium et sacramentum, rationem nempe sacramenti esse intrinsecum modum matrimonii christianorum. Si alterum dicis, negamus consensum matrimonialem esse causam virtualiter multiplicem hoc pacto ut duas res distinctas producat: nam consensus totus quantus est non efficit obiective aliud praeter id in quod consentitur, ad hoc enim solum ordinatur. Si ergo alia res fit, alia quoque eius causa assignanda erit. E contrario idem unus consensus, si ex institutione Dei modum obtineat supernaturalem, poterit illam unam rem, quam

facit, efficere auctam modo supernaturali, ut sit contractus sacramentum. Igitur si causa sacramenti est mutuus consensus, eadem est res matrimonium quod fit et sacramentum. Quod si matrimonium, quod fit, non est alia res a sacramento, quod fit, etiam matrimonium in fieri erit actio sacramentalis, quo fit sacramentum, ut per se patet: ergo.

b) Sacramentum hoc appellatur in recto matrimonium, hac autem appellatione non tantum materia sacramenti directe repraesentatur, sicut contingit in appellatione sacramenti Poenitentiae; sed totum sacramentum significatur. Etenim: « Dogma fidei est (ait Pius VI Brevi ad Episcopum Motulensem 16 Sept. 1788) ut matrimonium, quod ante adventum Christi nihil aliud erat quam indissolubilis quidam contractus, illud post Christi adventum evaserit unum ex septem legis Evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum: quemadmodum adversus haereticos et impios homines seculi insanientes sacrum Conc. Trid. sub anathematis poena definivit ». Item Pius VII in Schemate Constitutionis Pontificiae (Roskovani. Matrimonium in Ecclesia catholica potestati ecclesiasticae subiectum cum amplissima collectione monumentorum et literatura. Tom. 2. p. 20. seqq.): « Patet siquidem matrimonium, quod ad sacramenti dignitatem a Christo Domino elevatum fuisse Tridentina Synodus definivit, illud ipsum esse, unde vir una caro fit cum uxore, illud quod erat in veteri lege connubium, illud quod in se refert unionis Christi et Ecclesiae mysterium, illud quod ab initio institutum a Deo fuit in officium naturae, ipsas videlicet nuptias seu nuptiarum societatem, ipsum denique coniugalem nexum, idest ipsum contractum matrimonialem. Id profecto est quod semper tenuit ac tenet catholica Ecclesia ». Haec ratio loquendi non usurpatur quoad alia sacramenta, quorum tantum quaedam materia ante Christum exsistebat. Non enim dicitur nec dici potest quod illa eadem ablutio, e. g. Ioannis baptistae, evasit sacramentum in N. L., quod illa eadem contritio seu poenitentia, quae prius erat, evasit sacramentum N. L. sed dicitur per accessionem novi ritus a Christo instituti elevata esse ea ad dignitatem sacramenti. At alia est ratio loquendi de Matrimonio. Scilicet illud, quod ante adventum Christi non erat nisi quidam indissolubilis contractus, idem evasit sacramentum post Christum: h. e. non ipsi accessit aliquis ritus a Christo institutus, quo sacramentum constitueretur, sicut usus potestatis clavium accedit poenitentis actibus; sed ipse contractus integer factus est sacramentum. Idcirco quod est matrimonium illud idem est sacramentum: ergo non sunt duae res, sed una matrimonium christianum et sacramentum.

c) Sacramentum gratiam conferens est id quod significat unionem

Christi cum Ecclesia: hoc enim est, de quo Apostolus Eph. V. loquitur, et cui competit gratia sanctificans est id, quo illa unio perfecte repraesentatur: hoc autem in facto esse est vinculum, quo ligantur coniuges fiuntque una caro, in fieri vero est ipse contractus seu consensus, quo relinquit homo patrem et matrem et adhaeret uxori suae atque vicissim consensus uxoris (Ephes. V); atqui id non est nisi matrimonium, nihilque aliud: ergo sacramentum nihil aliud est quam ipsum matrimonium, quod christiani celebrant. Ita Leo XIII in Encycl. De Matrim. christiano. « Ob hanc causam matrimonium est sacramentum, quia est sacrum signum et efficiens gratiam et imaginem referens mysticarum nuptiarum Christi cum Ecclesia. Istarum autem forma ac figura illo ipso exprimitur summae coniunctionis vinculo, quo vir et mulier inter se colligantur, quodque aliud nihil est nisi ipsum matrimonium. »

III. 2. Matrimonium christianum est necessario sacramentum. Liquet sermonem esse de matrimonio, quod sit revera tale nimirum contractus legitimus, ex quo vinculum mutuae obligationis oriatur. Necessitas, quae asseritur, non est ex rei natura, sed ex divina institutione. Probatur *a*) ex ipsa institutione divina sacramenti. Constat ex demonstratis elevasse Deum matrimonium inter christianos ad dignitatem sacramenti: cum enim instituerit Christus sacramentum matrimonii voluerit que illud esse inter christianos, et hoc sacramentum non sit nisi matrimonium ipsum sive contractus matrimonialis, dicendum est ipsum matrimonium elevatum esse a Christo ad dignitatem sacramenti. Vera ergo est haec propositio iam demonstrata; sacramentum matrimonium non est nisi ipsum matrimonium, quod inter christianos celebratur. Sed quaestio est an et haec altera propositio sit vera; matrimonium christianum est necessario sacramentum, ita ut eo ipso quod fiat contractus matrimonialis nequeat non fieri sacramentum, et si sacramentum non fit, nec fiat matrimonium. Quaeritur scilicet utrum Christus voluerit non solum quod sacramentum fieret ipso contractu, quemadmodum voluit ut baptismus fieret ablutione aquae et invocatione Trinitatis: sed etiam quod omnis legitimus contractus esse sacramentum.

Iam vero ut partem affirmantem demonstremus, ita arguimus. Si Christus matrimonium elevavit ad dignitatem sacramenti, ipse certe in matrimonio haec duo coniunxit, rationem contractus, et rationem sacramenti. Porro praesupponendum est quod coniunctio haec facta est a Christo quadam voluntate antecedente absoluta, hoc est independenter ab hominum voluntate. Institutio enim sacramentorum spectat ad voluntatem antecedentem et absolutam, qua essentia ritus sacramentalis seu efficacia alicuius ritus ad producendam gratiam

constituitur independenter prorsus a contingente hominum voluntate. Cum ergo coniunctio efficaciae gratiae cum matrimonio pertineat ad institutionem sacramenti, et haec fiat antecedente absoluta voluntate, coniunctio utriusque rationis contractus et sacramenti facta est a Deo voluntate absoluta. Institutione ergo sua, quae directe fertur in ipsam rem, quae ad dignitatem sacramenti elevatur (non aliquo simplici praecepto lato ad voluntates humanas, quo usus quidem sacramenti, non ipsa institutio stabilitur), Christus effecit ut matrimonium christianum sit sacramentum. Atqui institutio haec absoluta coniungens rationem contractus et sacramenti facta est pro quovis christiano matrimonio. Nam cum elevavit Christus matrimonium ad dignitatem sacramenti, non elevavit hoc aut illud, sed simpliciter matrimonium, id nempe quod ab initio institutum est, quod est sacramentum seu signum unionis Christi cum Ecclesia (Eph. V), quo Deus ipse coniungit virum et feminam (Matth. XIX): neque Christus instituit aliquem ritum, qui per se iuxta intentionem agentis potest ad diversos fines referri, sed ipsum contractum matrimonialem, qui non ad aliud usurpari potest nisi ut sit unio maritalis inter virum et feminam, voluit esse sacramentum: elevatum est ergo ad dignitatem sacramenti quidquid inter christianos, ad quos solos sacramenta Christi spectant, dici potest matrimonium, nempe omne matrimonium christianum. Igitur institutio ea absoluta coniungens utramque rationem contractus et sacramenti est universalis comprehendens quodvis matrimonium. Itaque quemadmodum ex Christi institutione sacramentum non est nisi ipsum matrimonium, ita ex eadem institutione matrimonium christianorum, prout tale est, ideoque omne huiusmodi matrimonium est sacramentum.

Ex his autem consequitur 1° ad essentiam matrimonii christiani ex institutione Christi spectare dignitatem sacramenti: nequit enim matrimonium christianum non esse id quod a Christo absoluta voluntate independente a voluntate hominum factum est, ut sit signum efficax gratiae; neque potest non esse id quod omne et semper matrimonium christianum esse Christus eadem voluntate determinavit. Consequitur 2° ut non pendeat a voluntate hominum disiunctio contractus et sacramenti, ut possit esse contractus matrimonii quin sit sacramentum; coniunctio enim utriusque rationis, contractus et sacramenti, facta est pro quovis matrimonio ex voluntate absoluta Dei. Potest quidem homo efficere ut non sit actu sacramentum, quia ad hoc requiritur quoque intentio ministri; sed non poterit efficere ut ea duo disiungantur, sive ut exsistat matrimonium non sacramentum. Quod enim matrimonium christianum sit sacramentum, sit signum unionis Christi cum Ecclesia, sit signum efficax gratiae, hoc

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ex institutione Christi ad essentiam matrimonii christiani spectat; in arbitrio autem ministri est quidem posita exsistentia rei, non vero eius essentia.

Dices, intentio ministri efficere potest ut illa res, quae sacramentum foret, non sit sacramentum e. g. ablutio cum invocatione Trinitatis; ergo et efficere potest ut matrimonium non sit sacramentum, sed tantum purum matrimonium, sicut ea est pura ablutio et invocatio Trinitatis. Respondeo: Christus instituit ut baptismi sacramentum conficeretur ablutione aquae et invocatione Trinitatis: instituit scilicet ritum initiationis voluitque hoc pacto perfici ablutione nempe aquae et invocatione Trinitatis; at non instituit ut omnis ablutio cum invocatione Trinitatis, etiam libere posita, esset hoc ipso sacramentum. Instituit vero ut matrimonium quodvis inter christianos celebratum sit sacramentum: illi nempe vim attribuit gratiam conferendi. Quapropter si matrimonium est, nemo impedire potest quin sit sacramentum: et si sacramentum non est, nemo efficere potest ut sit matrimonium; deficiente enim essentiali proprietate, nemo efficere potest ut res sit: est autem ex Christi institutione essentialis proprietas matrimonii christiani ut sit sacramentum; neque esse potest contra absolutam voluntatem Christi matrimonium inter christianos non sacramentum. Itaque eo quod matrimonium est sacramentum, sequitur quidem in hoc rationem aliorum sacramentorum, ut ab intentione ministri sacramenti matrimonii pendeat ut sit necne sacramentum; et si desit ei ea intentio, quae pro sacramenti confectione requiritur (1), sacramentum non sit: sed simul propter Christi institutionem neque fit contractus, quamvis fiat ea actio materialis exterior, sitque intentio eam faciendi.

Dices: Si Christus instituisset omnem ablutionem aquae cum invocatione Trinitatis esse sacramentum, nihilominus, deficiente intentione, potuisset haberi ablutio et invocatio sine sacramento: ergo pariter quoad matrimonium. Respondeo: nego consequentiam. Ratio discriminis pendet a natura actionis utriusque sacramenti. Ablutio (idem dic de invocatione) si ponitur, nequit non esse ablutio, cum sit actio pure physica; nisi proinde Deus omnipotentia sua utens voluerit impedire ne exsistat ablutio quoties debita intentio sacramenti deest, non potuit instituere voluntate absoluta ut omnis ablutio sit sacramentum. At actio sacramentalis matrimonii est actio moralis effectum gignens moralem nempe obligationem et ius, eademque physice haberi potest, quin hunc effectum moralem producat. Posita proinde Christi institutione, deficiente in ministris intentione sacramenti, poterit poni actus physice ab utroque, quin tamen sit consensus efficax seu contractus, et sic semper verum esse quod non sit matrimonium, si non est sacramentum. Est quaedam scilicet irritatio divina consensus, ne is sit efficax coniugiumque efficiat, nisi sit quoque sacramentum. Ratio ergo cur ille prior sacramentum non faciens neque contractum matrimonialem faciat, ea est quia de essentia matrimonii ex Christi institutione est ut sit sacramentum, quare esse non potest nisi sit sacramentum: et ideo minister quidem efficere potest ut sacramentum non sit, si desit debita intentio; sed deficiente sacramento nequit efficere ut maneat matrimonium sive contractus matrimonialis, sed solum ea actio materialis verborum, quibus contrahi solet.

(1) Cuiusmodi debeat esse heic intentio non est huius loci disputare: eam docebunt Theologi morales: nos supponimus eam intentionem, quae iuxta catholicam doctrinam sufficiens sit.

b) Idem confirmatur ex doctrina Apostoli ad Ephesios c. V. Innuit enim ibi Paulus matrimonium christianum esse sacramentum (Th. I); atqui loquitur Paulus universim de quocumque matrimonio christiano; disserit enim de viro et muliere, de viro qui est caput mulieris, de muliere quae est subiecta viro; haec autem est ratio univoce communis cuicumque matrimonio; porro de iis affirmat quod unionem Christi et Ecclesiae repraesentent innuitque eorum coniunctionem sacramentaliter fieri: ergo omne matrimonium christianum, iuxta Paulum, est sacramentum, ideoque esse non potest quin sit sacramentum.

c) Idem probatur ex sensu constanti Ecclesiae, quae semper arbitrata est omne matrimonium christianum esse necessario sacramentum. Sensus huiusmodi ex his liquet. Ecclesia semper censuit sibi auctoritatem competere in quaecumque matrimonia christianorum quoad ipsum vinculum, ea legibus suis rexit, iis impedimenta constituit et clandestinis non minus quam non clandestinis. Atqui Ecclesia quoque censuit auctoritatem sibi competere in matrimonii vinculum eo tantum quod sit sacramentum. Ita Pius VI post verba citata superius sub n. 1. immediate colligit. « Hinc fit ut ad solam Ecclesiam, cui tota de sacramentis est cura concredita, ius omne ac potestas pertineat suam adsignandi formam huic contractui ad sublimiorem sacramenti dignitatem evecto ac proinde de matrimoniorum validitate aut invaliditate iudicium ferre »... Hae causae (matrimoniales) non alia ratione pertinent ad unum Ecclesiae iudicium, nisi quia contractus matrimonialis est vere et proprie unum ex septem legis Evangelicae sacramentis ». Ergo Ecclesia semper censuit omne matrimonium christianorum esse sacramentum. Atqui hoc tantumdem est ac censere matrimonium huiusmodi esse necessario sacra-

mentum; quod enim semper et omni competit, id proprium et necessarium est.

d) Verba sunt Tridentini Sess. XXIV. « Gratiam vero, quae naturalem illum (coniugum) amorem perficeret et indissolubilem unitatem firmaret coniugesque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium sacramentorum institutor atque perfector, sua nobis passione promeruit »; propter quam gratiam deinde dicitur matrimonium esse sacramentum: ita ergo promeruit ut conferatur ea gratia reapse. Naturalis ille amor, quo se uniunt vir et mulier, non est necessario nisi liber consensus unius in alterum; ceteri enim affectus deesse possunt, exsistente matrimonio. Iam vero si adest naturalis ille amor, adest quoque, teste Tridentino, gratia sacramentalis; si desit gratia, nisi id sit, propter obicem, deesse quoque debet naturalis ille amor; secus falsum esset illud prius: ergo mutuo nexu vinciuntur simul contractus et gratia, atque ita ut nequeat esse contractus quin sit sacramentum.

IV. Id tandem authentico magisterio suo Pius IX nos docuit Allocutione habita in consistorio secreto 27 Sept. 1852. « Nemo ex catholicis ignorat aut ignorare potest matrimonium esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum: ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse quin uno eodemque tempore sit sacramentum; atque idcirco quamlibet etiam inter christianos viri et mulieris, praeter sacramentum, coniunctionem, cuiuscumque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum, ab Ecclesia tantopere damnatum: ac proinde a coniugali foedere sacramentum separari nunquam posse ». Id confirmavit damnata in Syllabo hac propositione 73: « Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium: falsumque est aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum si sacramentum excludatur ». « Exploratum est (ait Leo XIII in cit. Encycl.) in matrimonio christiano contractum a sacramento non esse dissociabilem atque ideo non posse contractum verum et legitimum consistere quin sit eo ipso sacramentum. Nam Christus Dominus dignitate sacramenti auxit matrimonium: matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus iure. »

Adverte Pium VII in schemate superius citato haec habere.... « quidquid sit de matrimoniis, quae absque sacro ministerio ineuntur iis in locis, ubi Tridentinum Concilium non est promulgatum, quae quidem sunt qui opinantur subsistere in ratione contractus, ad sacramenti autem dignitatem nullatenus pertingere, quam quaestionem nos Praedecessorum nostrorum vestigiis insistentes in medio relinquimus: ex recitata tamen opinione, quaecumque tandem illa sit, minime sequeretur matrimonii sacramentum rem esse distinctam ac separabilem ab ipso foedere matrimoniali, quemadmodum ex eo quod non quaevis ablutio est sacramentum, minime sequitur sacramentum baptismi rem esse distinctam ac separabilem ab ipsa ablutione cum debita materia et sub debita forma collata ». Quibus in verbis Pontifex affirmat primam partem nostrae assertionis: sacramentum scilicet non esse rem distinctam a contractu; in medio autem relinquit alteram partem: matrimonium christianorum verum esse non posse quin sit sacramentum: non hoc tamen sensu relinquit in medio quatenus sit res dubia aut non satis probata, sed quatenus nondum definita fuerat nec ipse volebat definire, ideoque disputationi catholicorum permittebatur. At quod ipse noluit affirmare, satis postea (quidquid sit utrum ea sit definitio fidei) affirmavit Pius IX decretis citatis; atque certe theologice haec veritas demonstrari potest, quod non negat Pius VII. Ceterum meminisse oportet monumentum istud non esse nisi schema (proiectum vocat Roskovani h. e. progetto) constitutionis pontificiae.

Itaque ex omnibus demonstratis liquet, quod non duae res sunt, sed duae formalitates eaedemque necessariae eiusdem rei, contractus matrimonialis christianorum et sacramentum, neque proinde potest una esse sine alia.

Corollarium. Ergo falsa est prorsus et merito ab Apostolica Sede proscripta ea doctrina, quae fundamentum est institutionis illius, quam vocant *Matrimonium civile*, seiungi nempe posse inter christianos contractum matrimonialem a sacramento; divina enim auctoritate, qua primitus matrimonium est institutum, eadem deinde effectum est ut omne christianorum matrimonium sit sacramentum; cuius divinae auctoritatis vim potestates seculi blasphemare quidem possunt, irritam tamen facere non valent.

THESIS XI.

Ministri sacramenti sunt ipsi contrahentes matrimonium, quorum contractus, prout est traditio mutua potestatis, haberi potest ut materia proxima, prout est acceptatio eiusdem mutua, ut forma sacramenti. Porro contractus est sacramentum tantum, *gratia quae confertur*, est res sacramenti tantum, *vinculum quod manet est* res simul et sacramentum.

I. Quaestio de ministro et quaestio de forma ac materia huius sacramenti nequeunt separari. Censuit Melchior Canus (De Locis theolog. L. VIII. c. 5) acriterque asseruit pluribus argumentis spe-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mentum; quod enim semper et omni competit, id proprium et necessarium est.

d) Verba sunt Tridentini Sess. XXIV. « Gratiam vero, quae naturalem illum (coniugum) amorem perficeret et indissolubilem unitatem firmaret coniugesque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium sacramentorum institutor atque perfector, sua nobis passione promeruit »; propter quam gratiam deinde dicitur matrimonium esse sacramentum: ita ergo promeruit ut conferatur ea gratia reapse. Naturalis ille amor, quo se uniunt vir et mulier, non est necessario nisi liber consensus unius in alterum; ceteri enim affectus deesse possunt, exsistente matrimonio. Iam vero si adest naturalis ille amor, adest quoque, teste Tridentino, gratia sacramentalis; si desit gratia, nisi id sit, propter obicem, deesse quoque debet naturalis ille amor; secus falsum esset illud prius: ergo mutuo nexu vinciuntur simul contractus et gratia, atque ita ut nequeat esse contractus quin sit sacramentum.

IV. Id tandem authentico magisterio suo Pius IX nos docuit Allocutione habita in consistorio secreto 27 Sept. 1852. « Nemo ex catholicis ignorat aut ignorare potest matrimonium esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum: ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse quin uno eodemque tempore sit sacramentum; atque idcirco quamlibet etiam inter christianos viri et mulieris, praeter sacramentum, coniunctionem, cuiuscumque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum, ab Ecclesia tantopere damnatum: ac proinde a coniugali foedere sacramentum separari nunquam posse ». Id confirmavit damnata in Syllabo hac propositione 73: « Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium: falsumque est aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum si sacramentum excludatur ». « Exploratum est (ait Leo XIII in cit. Encycl.) in matrimonio christiano contractum a sacramento non esse dissociabilem atque ideo non posse contractum verum et legitimum consistere quin sit eo ipso sacramentum. Nam Christus Dominus dignitate sacramenti auxit matrimonium: matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus iure. »

Adverte Pium VII in schemate superius citato haec habere.... « quidquid sit de matrimoniis, quae absque sacro ministerio ineuntur iis in locis, ubi Tridentinum Concilium non est promulgatum, quae quidem sunt qui opinantur subsistere in ratione contractus, ad sacramenti autem dignitatem nullatenus pertingere, quam quaestionem nos Praedecessorum nostrorum vestigiis insistentes in medio relinquimus: ex recitata tamen opinione, quaecumque tandem illa sit, minime sequeretur matrimonii sacramentum rem esse distinctam ac separabilem ab ipso foedere matrimoniali, quemadmodum ex eo quod non quaevis ablutio est sacramentum, minime sequitur sacramentum baptismi rem esse distinctam ac separabilem ab ipsa ablutione cum debita materia et sub debita forma collata ». Quibus in verbis Pontifex affirmat primam partem nostrae assertionis: sacramentum scilicet non esse rem distinctam a contractu; in medio autem relinquit alteram partem: matrimonium christianorum verum esse non posse quin sit sacramentum: non hoc tamen sensu relinquit in medio quatenus sit res dubia aut non satis probata, sed quatenus nondum definita fuerat nec ipse volebat definire, ideoque disputationi catholicorum permittebatur. At quod ipse noluit affirmare, satis postea (quidquid sit utrum ea sit definitio fidei) affirmavit Pius IX decretis citatis; atque certe theologice haec veritas demonstrari potest, quod non negat Pius VII. Ceterum meminisse oportet monumentum istud non esse nisi schema (proiectum vocat Roskovani h. e. progetto) constitutionis pontificiae.

Itaque ex omnibus demonstratis liquet, quod non duae res sunt, sed duae formalitates eaedemque necessariae eiusdem rei, contractus matrimonialis christianorum et sacramentum, neque proinde potest una esse sine alia.

Corollarium. Ergo falsa est prorsus et merito ab Apostolica Sede proscripta ea doctrina, quae fundamentum est institutionis illius, quam vocant *Matrimonium civile*, seiungi nempe posse inter christianos contractum matrimonialem a sacramento; divina enim auctoritate, qua primitus matrimonium est institutum, eadem deinde effectum est ut omne christianorum matrimonium sit sacramentum; cuius divinae auctoritatis vim potestates seculi blasphemare quidem possunt, irritam tamen facere non valent.

THESIS XI.

Ministri sacramenti sunt ipsi contrahentes matrimonium, quorum contractus, prout est traditio mutua potestatis, haberi potest ut materia proxima, prout est acceptatio eiusdem mutua, ut forma sacramenti. Porro contractus est sacramentum tantum, *gratia quae confertur*, est res sacramenti tantum, *vinculum quod manet est* res simul et sacramentum.

I. Quaestio de ministro et quaestio de forma ac materia huius sacramenti nequeunt separari. Censuit Melchior Canus (De Locis theolog. L. VIII. c. 5) acriterque asseruit pluribus argumentis spe-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ciem quamdam probabilitatis ea aetate praeseferentibus, ministrum sacramenti matrimonii esse sacerdotem; ideoque formam sacramenti esse verba ab eodem prolata, quibus coniuges coniungit, contractum vero non esse nisi materiam huius sacramenti. Sententia Cani admissa pronum fuit inferre in matrimonio sacramentum a contractu christianorum separari posse. Haec autem quaestio inter catholicos agitabatur. Cano alii quidam adstipulati sunt, ii praesertim qui viam sibi patere volebant ad tuenda iura principum secularium in matrimonia christianorum. Cf. Tournely Quaest. II. a. 11. §. 3°. Quamvis olim opinio Cani visa fuerit probabilis Benedicto XIV. De Syn. Dioeces. L. VIII. c. 13; modo tamen contraria ut certa tenenda est.

Sane sententia Cani nova fuit in Schola, tum quia nullum proferre potuit ex Schola, qui eam certe tradiderit, tum quia communis Scholasticorum veterum doctrina eidem refragatur. Etenim *a*) provocat Canus ad tres scholasticos, Guillelmum Parisiensem, Paludanum, s. Thomam. Atqui sententia s. Thomae alia prorsus est, ut videbimus. Quod vero ait in IV. D. I. q. 1. a. 3. « matrimonium secundum quod est in officium et poenitentia secundum quod est virtus non habent aliquam formam verborum; sed secundum quod utrumque est sacramentum in dispensatione ministrorum Ecclesiae consistens, utrumque habet aliqua verba: sicut in matrimonio sunt verba exprimentia consensum et iterum *benedictiones ab Ecclesia institutae* », non significat verba sacerdotis ad essentiam sacramenti spectare, imo oppositum manifeste docet; non enim formas sacramentorum Ecclesia instituit, sed si qua verba sunt forma sacramenti, ea sunt verba exprimentia consensum. Cf. quae dabimus in fine huius partis. Ceterum s. Thomas non considerat tantum sacramentum, sed sacramentum prout dispensatur a ministris Ecclesiae: dispensatur vero matrimonium a ministris Ecclesiae, non quidem prout fit ab ipsis, sed prout ab Ecclesia regitur, et ab eius ministris per benedictionem solemnitatem quandam habet. Idem docet in IV lib. contr. Gentes c. 78 inquiens: « In quantum matrimonium ordinatur ad bonum Ecclesiae, oportet quod subiaceat regimini ecclesiastico: ea autem, quae populo per ministros Ecclesiae dispensantur, sacramenta dicuntur »: quibus in verbis manifestum est aliquid supplendum esse, ut notio determinata veri sacramenti habeatur; non enim quidquid ministri Ecclesiae dispensant populo, est sacramentum proprie dictum.

Neque Paludanus favet Cano docens in IV. D. V. q. 2. quod vir et femina contrahentes, etiamsi peccatores sint, nec poenitentiam agant, non sunt rei sacrilegii; ait enim: Non videtur quod peccator contrahens matrimonium peccet, cum tamen essentia matrimonii consistat in mutuo consensu per verba unius alteri expresso: hic enim consensus sacramentum ministrat, non autem sacerdos benedicens, qui solum sacramentale quoddam adhibet ». Quo quid clarius? Cur ergo non sunt rei sacrilegii? Non sunt rei sacrilegii prout administrant, quia non sunt ministri ad hoc specialiter ordinati vel consecrati (cf. s. Alphonsum De Matrim. n. 884. coll. De Sacram. in gen. n. 32).

Ad Guillelmum vero quod spectat, ipsi quidem ab aliis quoque sententia huiusmodi tribuitur (Roskovani op. cit. T. 1. p. 16): verum nulla est ratio certa cur id asseruisse censeatur; nam id tantum voluisse dicere videtur: ut matrimonium honeste contrahatur et gratia actu obtineatur, oportere ipsum in facie Ecclesiae celebrari et sacerdotis benedictionem adhiberi. Etenim in Opere de Sacramentis, de Matrimonio c. 6. ait: « Habet etiam (nota istud *etiam*, habet scilicet *ex se* quoque) matrimonium non parum sanctitatis ex benedictione vel oratione sacerdotali, sine qua nunquam celebrandum est matrimonium, quam quicumque contempserint aut declinaverint, *nisi metu iusto aut alia causa necessaria*, non sunt coniuges habendi, sed fornicarii, nec filii eorum legitimi sunt censendi. Etenim nec cibus sumendus est sine oratione et benedictione sacerdotali etc. » Iam vero si benedictio vel oratio sacerdotis esset essentialis et forma sacramenti, etiamsi metu iusto aut alia causa necessaria omitteretur, coniuges non forent: quod tamen Guillelmus concedit. Praeterea si benedictio vel oratio sacerdotis necessaria est nuptiis, sicut cibo sumendo, satis liquet non requiri pro valore actus, sed pro certa quadam honestate. Eos autem, qui sic contrahunt clandestine non dicit proprie esse fornicarios, sed habendos esse ut tales; loquitur enim ad normam legis etiamtum vigentis, quae in foro civili huiusmodi coniunctiones ut fornicarias habebat, h. e. eorum filios non habebat legitimos et hereditabiles. Sic enim habet Capitulum 463. lib. 3°. Collectionis Capitularium Benedicti Levitae sec. IX. (Migne P. L. Vol. XCVII. pag. 859). « Aliter legitimum non fit coniugium nisi ab his, qui super feminam dominationem habere videntur et a quibus custoditur, uxor petatur et a parentibus propinquioribus sponsetur et legitime dotetur et suo tempore sacerdotaliter, ut mos est (res est moris non iuris divini), cum precibus et oblationibus a sacerdote benedicatur.... Taliter enim et Domino placebunt et filios non spurios sed legitimos atque hereditabiles generabunt ». Capite autem 9. eiusdem tractatus Guillelmus quaerens: « utrum sacramentum veri nominis et sacramentalis virtutis sit, si praeter nuptialem benedictionem et orationem, quam habere potest, contrahatur, respondet: « Verum certum est quia et sacrum signum est

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et sacrans sive sanctificans *virtute essentiali* seu contrarietatis (qua nempe concupiscentiae opponitur, iuxta doctrinam Magistri) ut diximus, et forsitan merito, dummodo nuptialis benedictio non contemnatur (intellige dummodo non omittatur ex contemptu): sed virtutem sacramentalem omnino non habet, nec veri nominis est sacramentum nisi sicut diximus (dixerat scilicet paulo ante in hoc ipso capite virtutem sacramentalem esse virtutem benedictionis et orationis, quae consuevit fieri super nubentes). Unde et matrimonium apud fideles et apud infideles aequivoce dicitur: apud infideles enim non nisi sicut diximus (h. e. coniunctio legitima opposita prostitutioni fornicariae et abominationi sodomiticae); quoad fideles autem et illo modo et insuper sacrans benedictionis virtute, quod est proprium verorum plenae virtutis sacramentorum ». Haec verba (licet exhibeant ideas satis obscuras auctoris hac in re) collata cum praecedentibus ita accipi posse videntur, ut benedictio sacerdotis sit sacramentale quoddam, ut dici solet, cuius contemptus privet consecutione gratiae contrahentes, et cuius usus augeat et compleat gratiam, quam assequuntur ipso matrimonio coniuges.

Sententiam porro communem praecedentis Scholae Cano refragari patet directe ex eo quod ceteri aliter sentiant, ipso Cano concedente, et sacerdotis benedictionem sive verba, quae ille profert, vocent scholastici *quoddam sacramentale*. Id iam audivimus a Paludano. S. Thomas in 4ª D. XVI. ql. 2. a. 1. ad. 1. « Verba, quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma huius sacramenti, non autem benedictio sacerdotis, quae est quoddam sacramentale ». Et D. XXVIII. q. 1. a. 3. idem disertius docet. Porro s. Bonaventura ibid. q. 2. ait: « Alii dicunt (cum horum nullum scriptum exstet; neque enim Canus ea reperit, dicendi sunt fuisse Theologi infimae notae, sua aetate docentes, nisi forte s. Doctor et qui deinceps ipsum exscripserunt, ad Guillelmum Parisiensem respexerint: cui hanc sententiam tribuerint) quod in sacramento matrimonii datur gratia ratione benedictionis superadditae.... Sed haec positio non videtur valere, quia illa benedictio est sacramentalis (h. e. sacramentale quoddam) et si sacramentale efficit, quanto magis sacramentum?» Scilicet si aliquod sacramentale efficit gratiam; quanto magis eam dicendum est efficere ipsum sacramentum, quod est matrimonium seu consensus viri et feminae. Ipse Bonaventura quaestione immediate praecedente docens quid sit illud, quod in sacramento matrimonii est *signum tantum* (quod quidem est ipse ritus essentialis sacramenti), illud ponit in verbis seu nutibus contrahentium exprimentibus consensum, quemadmodum s. Thomas. Idem habet Dionysius Carthusianus ibid. q. 1. Et Magister in 4° disputans de Matrimonio sacramento, eoque definito primum D. XXVI. ea definitione, quae matrimonium fidelium tantum repraesentat, tum D. seq. definitione accepta ex iure romano, docet deinde quod causa efficiens eius est consensus per verba de praesenti expressus; non ergo sacerdos sacramentum ponit, sed contrahentes. Atqui sententia nova in Schola opposita doctrinae totius Scholae praecedentis circa rem, quae sola revelatione sciri potest, quae ad dogmata fidei spectat, nequit esse vera.

II. Demonstratio ab intrinseco huius veritatis est id quod tradidimus in Thesi praeced. Si enim sacramentum ipsa est unio maritalis christianorum, ipse contractus, oportet ut minister huius sacramenti sit minister contractus seu qui facit contractum: hic autem non est nisi uterque contrahens. Ritus vero a sacerdote positus erit quidem aliqua benedictio seu consecratio matrimonii, sed nequit esse aut dici ipsum matrimonium. Porro ex his constat utramque veritatem tum praeced. Thesis tum huius mutuo nexu vinciri, et ex iisdem principiis derivare, ideoque et quae nunc ulterius afferemus pro thesi hac ex Ecclesiae praxi et sensu petita, valere quoque ad confirmandam praeced. Thesim.

III. Itaque, ut amplius demonstremus veritatem huius thesis, haec ex perpetua doctrina et praxi colligimus. *a*) Innocentius III. *Tuas dudum, De Sponsa duorum,* haec habet: « Illud te volumus observare ut postquam inter legitimas personas consensus legitimus intervenerit de praesenti, qui sufficit in talibus iuxta canonicas sanctiones, et si solus defuerit, cetera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur, etc. » Sensus obvius horum verborum est: si consensus desit, etsi cetera adsint, nihil fit: si consensus adsit, etsi cetera desint, matrimonium fit; ergo etsi desit actus sacerdotis; ideoque non hic est minister sacramenti. Dices iuxta Innocentium consensum sufficere ut sit contractus naturalis, non ut sit sacramentum. Respondeo quod haec distinctio, ignota veteribus pro matrimoniis christianorum (Th. praeced.), heic repugnat ipsis verbis Innocentii, qui loquitur de matrimonio, quod regitur canonicis sanctionibus, quod non est nisi sacramentum (cf. Th. praeced. n. III. lit. *c*).

b) Conc. Trid. Sess. XXIV. Decreto de Reform. Matrim., inquit: « Dubitandum non est clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta, *rata et vera esse matrimonia*, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit ». Iam vero iuxta solemnem loquendi formulam ecclesiasticam appellatio matrimonii rati fit matrimonio sacramento; ut proinde in solis fidelibus matrimonium ratum esse dicatur. Ergo Tridentini Patres ea matrimonia sacramenta fuisse significant. Et sane huiusmodi matrimonia Ecclesia suis legibus regebat, impedi-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mentis a se constitutis obnoxia habebat, valida aut invalida, prout obstaret, vel non, canonicum impedimentum, non secus ac cetera matrimonia eaque irritare poterat, ut Patres Tridentini significant. Atqui matrimonium quoad vinculum non subest Ecclesiae potestati, nisi quia est sacramentum, uti iam monuimus. Iam vero in matrimoniis clandestinis nulla est sacerdotis actio: ergo.

c) Eugenius IV in Decreto pro Armenis doctrinam tradens sacramentorum N. L. ait: «Septimum est sacramentum matrimonii, quod est signum coniunctionis Christi et Ecclesiae, secundum Apostolum etc. Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus». Porro ineptum est cogitare matrimonium, cuius causa efficiens assignatur, non esse sacramentum, sed merum contractum; quia heic de solis sacramentis sermo est, illudque sacramentum immediate prius appellaverat Eugenius nec alterius matrimonii mentionem prorsus innuit. Atqui si mutuus consensus est causa efficiens eius, non est sacerdos eiusdem minister, quia tunc huius actio causa efficiens eius foret: ergo. Neque dicas heic ab Eugenio mentionem non fieri ministri; hoc enim simpliciter falsum est: cum enim dicit mutuum consensum (utique contrahentium) per verba de praesenti expressum esse causam efficientem, hoc ipso dicit contrahentes esse ministros. Porro illud *regulariter* non aliam causam extraordinariam esse insinuat; hoc enim prorsus novum est in universa traditione quod duplex sit causa matrimonii, altera ordinaria, altera extraordinaria: sed referendum est ad ea: *per verba expressus;* potest enim et nutibus consensus exprimi: imo et copulà consequente sponsalia consensum matrimonialem significatum esse praesumebatur ea aetate.

d) Ex Declaratione Benedicti XIV circa matrimonia haereticorum inter se tum mixta in Hollandia, quae declaratio deinceps auctoritate Sedis Apostolicae ad alias provincias extensa est, constat posse esse matrimonia christiana, quae sine praesentia sacerdotis contrahantur. Et ex instructione Pii VI extendentis eam declarationem ad Ducatum Cliviensem die 19 Iun. 1793 liquet posse esse matrimonium christianum, cum parochus invitus assistit, nullo actu positivo, qui ei prohibetur, illud probans aut suo expresso consensu et auctoritate confirmans, sed mere passive se habens et audiens dumtaxat utriusque consensum. Ita quoque die 22 Aprilis 1792 responsum fuit a Congregatione pro negotiis Ecclesiae Gallicanae deputata; petebatur enim: «Supposito quod matrimonium celebratum fuerit absque benedictione sacerdotis, qui tunc (tempore rebellionis gallicae) haberi non poterat, an conveniat necne ut praefata benedictio suppleatur. Ad hanc quaestionem iam olim propositam responsum tunc

fuit: *fideles hortandos esse ut cum sacerdotis copiam habere possunt, ab eo benedictionem petant, qui tamen illis declarabit huiusmodi benedictionem ad validitatem minime pertinere*». Iam vero haereticorum matrimonia habita semper fuisse a Sede Apostolica ut sacramenta certiores efficimur ex eo quod matrimonia haereticorum quoque inter se obnoxia sint per se impedimentis canonicis: id manifeste docet Benedictus XIV in citata declaratione et Gregorius XVI in Brevi ad Episcopos Bavariae die 28 Maii 1832 et Pius VII Brevi ad Archiep. Moguntinum die 8 Oct. 1803. Matrimonia autem mixta vocat Benedictus XIV sacrilegum vinculum. Porro Ecclesiae potestati constituendi impedimenta ideo matrimonium subest quia est sacramentum et sacrilegium haberi nequit nisi sacramenti sanctitas violetur. Quoad matrimonia vero catholicorum sine sacerdote celebrata, si ea non habuisset Apostolica Sedes ut sacramenta, ea certe coram sacerdote deinceps iussisset celebrari, ne gratia sacramenti fideles privarentur, vel huius damni mentionem fecisset ut ad hanc celebrationem fideles adduceret.

e) Item ex historia Conc. Trid. constat Patres requisivisse praesentiam Parochi non ut ministri sacramenti, sed ut *testis qualificati*. In primis formulis decreti nulla mentio facta erat Parochi, sed solum trium testium. Tum deinde cum convenerit de necessitate alicuius testis stabilis, disputatum est utrum hic scriba seu publicus tabellio an Parochus esse deberet; et tandem Parochus est constitutus. Et sane in verbis decreti irritantibus solius praesentiae Parochi mentio fit. Atqui solâ praesentiâ citra ullam actionem nemo est minister sacramenti. Cum ergo sola praesentia parochi non eius aliqua actio essentialiter requiratur, patet parochum non requiri a Concilio ut ministrum sacramenti, sed ut testem.

f) Tandem Conc. ibid. loquens de celebratione matrimonii ait: «Parochus, viro et muliere interrogatis et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: ego vos in matrimonium coniungo, in nomine Patris et Filii et Spiritus S. vel aliis utatur verbis iuxta receptum uniuscuiusque Provinciae ritum». Ait Tournely (q. III. c. I): si data opera voluisset Synodus innuere sacerdotem esse ministrum sacramenti matrimonii et verba, quibus contrahentes coniungit, esse formam aut quasi formam, non potuisset uti verbis significatioribus». Atqui contrarium potius dicendum est. Sane abhorret ab usu Ecclesiae ut forma sacramentalis, in qua est vis praecipua sacramenti, quaeque mutatis verbis facile potest et quoad sensum immutari, permittatur arbitrio cuiusque Provinciae. Dices Tridentinos Patres novisse ritus singularum Provinciarum eosque ut legitimos habuisse. Verum 1° illud gratis prorsus asseritur: 2° verba Concilii, quae

valorem perpetuum habent, valent etiam pro futuro et ritibus extituris (cf. Rituale Pauli V), an et hos noverant Tridentini Patres? Praeterea quamvis nemo nesciat mutationes accidentales contingere posse formis sacramentorum, cum tamen Ecclesia docere vult fideles formam alicuius sacramenti, eam absolute proponit, addens, si opus est, eandem ipsam manere si paululum verba mutentur, non sensus: at heic nulla forma absolute proponitur, sed et ea, quae exprimitur, disiunctive cum aliis proponitur: ergo apertissime innuerunt Patres formam sacramenti matrimonii non esse verba sacerdotis.

IV. Ut autem pateat doctrinam hanc antiquam esse, haec habet Tertullianus de clandestinis connubiis in lib. de Pudicitia. « Ideo penes nos occultae quoque coniunctiones, h. e. non prius apud Ecclesiam professae iuxta moechiam et fornicationem iudicari periclitantur ». Scilicet non iudicabantur per se tales, sed suspicionem huius rei ingerebant. Unde et apud Montanistas non habebatur ut essentialis actio sacerdotis. Cum vero haec dicit Tertullianus in laudem sectae suae, quam a severitate commendat, multo magis tenendum est habita fuisse valida coniugia clandestina penes catholicos. In Collectione pariter canonum synodicorum, quam Ebediesu Metropolita Sobae et Armeniae conscripsit inennte sec. XIV (apud Angelum Maii SS. VV. Nova Collectio Tom. X. p. 44). Tract. II. c. 2 praecipitur ut nuptiae cum sacerdotum benedictione fiant, eaque dicuntur consummari et sic distingui nuptias christianorum a nuptiis iudaeorum et gentilium. Attamen c. 3 dicitur quod si sacerdotes desint, vocentur quatuor aut quinque testes, recitetur *Pater noster*, detur annulus, et sic perficiatur desponsatio donec accedant ad sacerdotes: « quod si sacerdos non venerit ante tempus thalami, simili etiam modo perficiant thalamum (h. e. consumment matrimonium) ». Ex his porro patet, actionem sacerdotis etiam penes haereticos separatos antiquitus ab Ecclesia, non habitam fuisse ut essentialem pro efficiendo connubio christianorum.

Ad ritualia antiqua quod spectat, de his ritibus antiquis universim refert haec Marthene (De ant. Eccl. rit. p. II. c. 9. a. 1). « Constitutio ad celebrandas nuptias. Die adveniente, sponsus et sponsa benedicendi, a parentibus aut paranymphis sistebantur sacerdoti ad portas Ecclesiae. Deinde datis sibi mutuo dextris, exigebat ab utrisque consensum, in quo totam sacramenti matrimonii essentiam reponebant antiqui. Inaudita quippe apud eos erant illa verba Parochi: Ego vos coniungo in nomine etc. in quibus aliqui ex recentioribus scholasticis formam huius sacramenti constituunt: quae tamen desiderantur in duobus antiquis ritualibus mss. Beccensis monasterii, in pontificali Rhemensi annorum 300, (anno 1609 est editum opus a

Marthene), in antiquo rituali Bituricensi, et in aliis pene omnibus, quae a nobis postea exhibebuntur: quibus adiungere possumus constitutiones Richardi Episcopi Sarum (anni 1217), in quibus haec lego: *Item praecipimus quod sacerdotes doceant personas contrahentes hanc formam verborum in gallico vel in anglico: Ego N. accipio te N. in meam. Similiter et mulier dicat; Ego accipio te in meum. In his enim vocibus consistit vis magna, et matrimonium contrahitur* ». Ex quibus constat huiusmodi benedictiones sacerdotis habitas fuisse antiquitus ut sacramentale quoddam, sicut deinceps scholastici appellarunt: ergo.

V. Haec fuit certe sententia s. Thomae. Nam in 4ª D. XXVIII. q. 1. a. 3 loquens de matrimonio sacramento ait: « Consensus expressus per verba de praesenti inter personas legitimas ad contrahendum, matrimonium facit: quia haec duo sunt de essentia sacramenti: alia autem omnia sunt de solemnitate sacramenti, quia ad hoc adhibentur ut matrimonium convenientius fiat ». Et ad 2ᵐ: « in matrimonio actus nostri sunt causa sufficiens ad inducendum proximum effectum, qui est obligatio: quia quicumque est sui iuris, potest se alteri obligare. Et ideo sacerdotis benedictio non requiritur in matrimonio quasi de essentia sacramenti ». Vides heic spectari a s. Thoma matrimonium non simpliciter ut contractus est, sed ut est simul sacramentum.

Quare D. XXVI. q. 11. a. 3 ad 1ᵐ ait: « quod sicut aqua baptismi habet quod corpus tangat et cor abluat ex tactu carnis Christi, ita matrimonium hoc habet ex hoc quod Christus sua passione (in qua desponsavit sibi Ecclesiam) illud repraesentavit, et non principaliter ex aliqua sanctificatione sacerdotis ».

VI. Obiiciunt tamen. 1) Sacerdotes iuxta Apostolum 1. Cor. IV. 1 sunt dispensatores mysteriorum Dei h. e. sacramentorum: ergo. Respondeo *a*) mysteriorum nomine non praecise sacramenta sed mysteria fidei seu evangelicam doctrinam designare ibi apostolum; eo enim spectat Paulus ut modum praescribat Corinthiis honoris deferendi praeconibus Evangelii, cum alii eos nimis extollerent, alii deprimerent nimis; ait ergo existimandos esse ut *ministros* Christi, et dispensatores mysteriorum Dei: *b*) sacerdotes sive Ecclesia regens matrimonium dispensat, quatenus illud regit legibusque suis modum decernit, quo contrahi rite possit.

2) Conficientes sacramenta intendunt facere quod facit Ecclesia, Ecclesia autem facit per suos ministros, ministri porro Ecclesiae sunt sacerdotes: ergo et sacramenti matrimonii minister est sacerdos.

Respondeo verba ea, *quod facit Ecclesia*, non ita esse accipienda ut eatenus Ecclesia dicatur facere quatenus Ecclesia universa vel

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

eius supremum caput tanquam causa principalis sacramenta administret per suos ministros veluti causas instrumentales; causa enim principalis in sacramentis non est nisi Deus: sed ita esse accipienda, ut eatenus Ecclesia dicatur facere quatenus aliquid in ea et per eam h. e. per illos, qui in ipsa sunt sacrorum ministri, ac secundum eius doctrinam et instituta fit. Idcirco argumento haec esset responsio in forma. Intendit facere quod facit Ecclesia, h. e. quod fit in Ecclesia secundum Ecclesiae fidem, *conc.* quod facit Ecclesia, *subd.* quod facit universa Ecclesia vel eius visibile caput ut causa principalis, *neg. suppositum:* quod Ecclesia docet esse faciendum et faciunt ii qui in ea ministri sunt vel propter specialem consecrationem vel divina deputatione propter baptismum, *conc.*

3) Verba, quae Conc. Trid. praecipit proferri a Parocho: *ego vos coniungo in matrimonium* sensum verum fundere debent: atqui nullus verus sensus iis inesset, si non esset sacerdos qui sacramentum facit: ergo.

Respondemus ea verba ad solemnitatem sacramenti non ad essentiam spectare. « Sacerdotis benedictio non requiritur in matrimonio quasi de essentia sacramenti » ait s. Thomas l. c. Et sane quoniam constat Ecclesiam habuisse et habere tanquam vera matrimonia et sacramenta, ea quoque, quae sine ullius praesentia sacerdotis fiunt, necesse est prorsus ut dicamus ea verba sacerdotis non spectare ad essentiam sacramenti. Neque tamen sensus est falsus: nam non significant tantum: *ego vos declaro coniunctos*, sed *ego vos sollemniter coniungo:* vel *coniunctionem vestram in facie Ecclesiae ratam habeo.* Habent proinde ea verba verum sensum sacramentalem, *neg.* verum sensum ritualem authenticae in facie Ecclesiae declarationis, *conc.*

4) Omissis quibusdam vel spuriis vel dubiis Rom. Pontificum decretis, ut est illud Evaristi (causa XXX. q. 5. c. I), quod si quid probaret, probaret ad honestatem matrimonii requiri praesentiam sacerdotis eamque ab Ecclesia praecipi; atque omissis iis decretis, quae nihil probant et referuntur a Gratiano in Decreto; arguunt ex ratione loquendi Patrum, qui benedictionis sacerdotalis mentionem faciunt, ab ea matrimonii sanctitatem derivant eiusque necessitatem praedicant. Respondeo, ex iis testimoniis Patrum haberi quidem matrimonium esse rem sacram, cum gratia coniunctam, ipsum, cum initur, ab Ecclesiae auctoritate moderandum et regendum esse, ut honeste contrahatur et effectus sacramentalis gratiae actu obtineatur cum contrahitur, oportere illud coram Ecclesia sub sacerdotis auspiciis celebrare, quae secus ineantur, inhonesta esse et concubinatus etiam suspicione laborare; at nihil praeterea esse, quo doceamur

sacerdotem ipsum sacramentum administrare, cum praesertim ita Patres loquantur, ut significent benedictionem matrimonio iam constituto accedere, quemadmodum Tertullianus; atque loquantur de ea etiam benedictione, quae secundis nuptiis negabatur, qualis ea est de qua loquitur Ambrosius; et si qua sunt testimonia dubia, ea ex clariore expressione sensus Ecclesiae in sequentibus aetatibus enarrari debeant. Etsi autem in Sacerdotali Romano edito an. 1494 haec post intellectum consensum utriusque habeantur: « Sacerdos pronuntiet verba *quae sunt forma sacramenti* » haec tamen verba: *quae sunt forma sacramenti* deleta sunt in eius posterioribus editionibus, et in Rituali Romano edito auctoritate Pauli V haec sunt substituta. « Sacerdos iubeat eos invicem iungere dextras, dicens: ego coniungo vos in matrimonium in nomine Patris etc. *vel aliis utatur verbis iuxta receptum uniuscuiusque provinciae morem* » secundum praescriptum Trid. Conc.

5) Forma sacramenti debet significare effectum sacramenti; at contrahentium verba: *Ego te accipio in meum* vel in *meam* nullam gratiam significant. Respondeo ea verba; quae per se significant naturalem unionem, esse ex Christi institutione elevata ad significandam unionem sanctam, quae per gratiam fiat, cum a christianis proferantur.

6) Verbis, quibus continetur forma sacramenti, nequeunt substitui alia signa, nutus, scripta; at contractus matrimonii potest et his modis imo et per procuratorem iniri: ergo in eo non est forma sacramenti: ideoque ea est in verbis sacerdotis. Respondeo si principium illud universalissimum sumatur ut valeat pro quovis sacramento et idcirco etiam pro matrimonio, petitur principium; hoc enim esset demonstrandum. Porro cum Christus evexerit ad dignitatem sacramenti ipsum matrimonium, nullo alio superaddito ritu, consequens fuit ut materia et forma contractus evaderet quoque materia et forma sacramenti, et quod satis est ut matrimonium sit, satis esset quoque ut sit sacramentum. Proprium est autem contractuum ut praeter verba, etiam per alia signa et per procuratorem possint iniri: ergo.

7) Ecclesia permittit fieri matrimonia inter catholicum et haereticam ac vicissim; iam vero si contrahentes essent ministri sacramenti, ii sacrilegium et quidem duplex patrarent: quare Ecclesia ea prorsus prohibere deberet. Respondeo: falsum est quod simpliciter Ecclesia haec coniugia permittat, imo generatim ea semper damnavit et interdixit, ut testantur tot Brevia et Rescripta Apostolicae Sedis in huiusmodi causis. Unde Benedictus XIV in Brevi dato ad Primatem et Archiepiscopos Poloniae an. 1748 die 29 Iunii, testatur hanc

UNIVERSIDAD AVE MARIA ROMA DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

esse rationem agendi Apostolicae Sedis constanti usu receptam, ut « quoties ipsam adire contingit sive pro obtinenda simplici facultate contrahendi matrimonium inter personas, quarum altera haeresim profitetur; sive praeterea pro obtinenda simul dispensatione super aliquo gradu aliove canonico impedimento, quod inter contrahentes intercedat, neque licentia neque dispensatio concedatur, nisi hac expressa lege seu conditione adiecta, nimirum *abiurata prius haeresi*». Eadem connubia propter locorum et temporum difficultates *tolerari* ab Ecclesia dicit Pius VII Brevi ad Archiepis. moguntinum. Ecclesia ergo tantum declarat ea matrimonia, nisi aliud obstet canonicum impedimentum, esse valida; sed aliud est actum non irritare, aliud permittere. Cf. et Breve Pii VIII ad Episcopos Rhenanos die 25 Mar. an. 1830; in quo decernitur matrimonia mixta contracta iis in locis, *catholico pastore non praesente* seu *non servata forma a Tridentino praescripta*, posthac, h. e. a die 25 Martii 1830 nisi aliud obstet canonicum dirimens impedimentum pro ratis ac veris connubiis habenda esse; ab iis tamen matrimoniis Ecclesiam abhorrere dicit semperque Apostolicam Sedem curasse ut canonicae leges ea prohibentes religiose custodirentur.

Verum quidem est quod aliquando ea matrimonia Ecclesia permisit, ut testatur ibidem idem Benedictus Pontifex: « quod si nonnulla inveniantur exempla RR. PP. qui aut licentiam contrahendi matrimonium aut etiam dispensationes super impedimento aliquo concesserunt non adiecta conditione de abiuranda prius haeresi: rarissimas primum omnium dicimus huiusmodi concessiones fuisse et quidem plerasque earum pro matrimoniis inter supremos Principes contrahendis nec nisi gravissima urgente causa eaque ad publicum bonum pertinente factas fuisse: insuper adiectas semper fuisse opportunas cautelas etc. » Porro permissione hac facta, non peccat catholicus contrahens, cum actus sit licitus, neque peccat haereticus, non quia contrahit cum catholica, hoc enim potius est bonum, nec quia cooperatur coniugio mixto, quia hoc in hypothesi est licitum. Peccare vero potest alias ob causas, sicut et catholicus.

8) Ante Tridentinum copula secuta post sponsalia de futuro praesumptione iuris et de iure, contra quam nempe nulla probatio admittenda est, perficiebat matrimonium (*Veniens, Is qui, Adolescens. De Sponsalibus et Matrimoniis*): iam vero huiusmodi matrimonium vel sacramentum erat, vel non; si erat, ergo forma eius fuit copula, quod absurdum est: si non erat, ergo potest esse matrimonium christianum quin sit sacramentum, secus ac nos affirmavimus in praeced. Thesi. Respondeo, quod matrimonium illum ratum erat et sacramentum: forma autem eius et materia erat consensus expressus extrinsece per copulam, qui consensus expressus iure et de iure praesumebatur. Unde matrimonium hoc dicebatur praesumptum l. c. cf. q. XLVI. a. 2 in Supplem.

VII. Itaque probatum est sacerdotem non esse huius sacramenti ministrum, sed ipsos contrahentes, ideoque formam non esse verba sacerdotis sed ab ipsis contrahentibus poni. Quaestio autem est in quo collocanda sit forma et materia huius sacramenti. Sacramentum vel consistit tantum in aliqua actione transeunte, ut absolutio, vel etiam in re permanente, sicut Eucharistia: verum et illud quod in re permanente consistit supponit actionem transeuntem, qua fiat, quae actio et ipsa sacramentum est; unde huiusmodi sacramentum est sacramentum in fieri, et in facto esse. Iam vero matrimonium est sacramentum in fieri, et in facto esse. Quamvis ergo matrimonium sit sacramentum permanens, necesse est ut, cum fit, sit aliqua actio, qua fiat quaeque sacramentum sit: de hoc autem quaeritur, quaenam sit eius forma et materia. Cum vero sacramentum matrimonii a contrahentibus fiat; contrahentes autem, praeter contractum, nullam aliam actionem ponant, oportet ut actio in qua sacramentum transiens consistit, sit ipse contractus. Sane causa efficiens sacramenti matrimonii est consensus mutuus per verba de praesenti expressus, ut docet Eugenius IV. Hoc posito duplex potissimum est sententia: 1ª ait corpora contrahentium seu melius ius datum et acceptatum in corpus alterius esse materiam, quod et in ceteris contractibus valet; signa vero externa exprimentia consensum, sive ipsum consensum expressum esse formam: 2ª ait in ipsis verbis materiam et formam esse; materiam nempe esse prout verba significant traditionem potestatis, formam autem esse prout significant acceptationem, qua contractus absolvitur. Prior sententia non ponit praeter formam sitam in contractu seu consensu significato, nisi materiam circa quam; quae in omni contractu reperitur. Suaderi autem potest haec sententia tum ex natura omnium contractuum, quorum materia remota est id circa quod ius aliquod traditur aut acceptatur, proxima vero ipsum ius traditum et acceptatum, forma autem ipsa traditio et acceptatio seu ipse contractus expressus aliquo signo. Tum suaderi eadem potest ex analogia cum sacramento Eucharistiae, quod sacramentum est permanens. Cum enim haec fit, tota actio sacramentalis est in forma seu verbis consecrantis: panis vero est materia circa quam versatur actio, et ex qua fit effectus proprius consecrationis, qui manet.

Verum licet id non negemus, negari etiam pariter nequit in ipsa expressione consensus seu in ipso contractu reperiri posse materiam quoque ex qua atque formam. Sane in ipso contractu distingui

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

potest pars per se determinabilis et praesupposita ab altera, et pars per se determinans priori accedens eamque complens. Traditio enim potestatis per se, natura sua praesupponitur acceptationi eaque proinde per se est determinabilis ; acceptatio autem per se, natura sua, accedit traditioni, ideoque ipsa per se complet contractum. Verba ergo vel signa, prout exprimunt mutuam traditionem, se habent ut materia, prout vero exprimunt acceptationem, se habent ut forma. Haec porro est sententia, quam asseruit Benedictus XIV in Epistola ad Episcopum Goanum. Atque id sensisse videtur s. Thomas, qui in 4° D. XXVI. q. 2. a. 1. ad. 1^m ait : « verba, quibus consensus exprimitur matrimonialis, sunt forma huius sacramenti », et ad 2^m inquit : « sicut poenitentia non habet aliam materiam nisi ipsos actus sensui subiectos, qui sunt loco materialis elementi, ita est de matrimonio ». Actus vero contrahentium non sunt nisi consensus et signa eiusdem seu expressus consensus: ergo haec et forma et materia sunt sub diverso respectu, prout aliud et aliud significant. Dices in verbis contrahentium : *Accipio te in meam, in meum,* solam acceptationem significari. Respondeo ipsa acceptatione traditionem quoque natura praecedentem significari : integer enim sensus, qui satis exprimitur, eorum verborum hic est : *Accipio te, qui te tradis mihi, in meum aut meam.*

VIII. In omni sacramento permanente reperire est id quod est sacramentum tantum, id quod est res tantum, id quod est res simul et sacramentum. Sacramentum tantum est id quod significat non significatur ab alio ; res tantum est id quod significatur non significat ; res et sacramentum est id quod significatur et significat. Ita in baptismo ritus exterior est sacramentum tantum : gratia est res tantum : character et res et sacramentum (s. Thom. III. p. q. LXVI. a. 1). Pariter « in matrimonio (ait idem suppl. q. XLII. a. 1 ad 5.) sunt illa tria, quia sacramentum est obligatio quae innascitur viri ad mulierem ex talibus actibus (vinculum manens), sed res ultima contenta (gratia nempe, quam producit) est effectus huius sacramenti; non contenta autem est res, quam magister determinat (h. e. coniunctio Christi cum Ecclesia, quam sacramentum non facit, sed significat) ». Sane ritus extrinsecus sive expressio consensus significat et facit unionem sanctam coniugum unionemque significat Christi et Ecclesiae : quia igitur hic ritus significat aliquid, non significatur ab alio, est sacramentum seu signum tantum. Quia vero per hunc ritum gratia significatur et producitur, ea est res huius sacramenti, et quia ea nihil aliud significat, est res tantum. Per illum vero ritum fit unio seu vinculum permanens coniugum, quod proinde ab eo ritu significatur, ipsum porro significat tum unionem Christi cum Ecclesia tum gratiam seu sanctitatem, quae sibi debetur, et qua unio Christi et Ecclesiae supernaturali modo repraesentatur. Huic enim vinculo ex institutione Christi gratia debetur quae, cum illud fit, confertur et cum eo manet ; quae gratia est sacramentalis, quaeque per peccatum quidem amitti potest, sed sequente poenitentia, ab eodem vinculo manente exigitur. Vinculum ergo et significatur et significat : est proinde res simul et sacramentum.

Cum ergo matrimonium dicitur sacramentum, tum contractus tum vinculum intelligitur, quae non sunt duae res disparatae, sed prima est causa alterius, ut ait Eugenius, sive prima est matrimonium in fieri, per ipsum enim contractum uniuntur coniuges, altera est matrimonium in facto esse. Est autem advertenda specialis ratio, qua sacramenti appellatio fit matrimonio permanenti. Nam vinculum manens non est aliquis character sicut in tribus sacramentis nec est sacramentum sicut corpus Christi sub speciebus : sed sacramentum est ; quia significat unionem Christi cum Ecclesia et gratiam exigit, est autem sacramentum manens, quia vinculum manet.

APPENDIX

Secundum ea, quae dicta sunt, expedire licet sequentes quaestiones.

I. Quaeres I. Utrum citra consensum amborum possit de potentia absoluta Dei consistere matrimonium. Ratio dubitandi est quia essentia matrimonii in mutua obligatione seu potestate mutua alterius in alterum consistit, cuius causa est consensus ; at potest certe Deus supplere vim causae secundae et transferre potestatem unius in alterum : ergo. Verum quamvis possit Deus conferre alteri dominum in alterum absque huius consensu, non videtur id facere posse quoad matrimonium. Nam ponatur haec mutua potestas citra consensum amborum ; quaero : cum vir et mulier congrediuntur, accedit ne uterque ad alterum affectu maritali probans et volens hanc mutuam obligationem et potestatem, an non : si sine affectu maritali uniuntur, uniuntur ergo affectu fornicario, non accedentes alter ad alterum tanquam suum, porro ille affectus est intrinsece malus (ut iam probavimus) : Deus autem nequit dare potestatem ad actum intrinsece malum. Nec dicas malum non esse, cum Deus corporis potestatem dederit : ex hac enim potestate divinitus facta sequitur solum ut vir possit accedere ad mulierem tanquam suam et mulier pariter ad virum ut suum, quod est uniri affectu maritali, volente seu probante mutuam obligationem. Oportet ergo ut cum congrediuntur, antecedenter saltem antecessione naturae, velit uterque eam mutuam

potest pars per se determinabilis et praesupposita ab altera, et pars per se determinans priori accedens eamque complens. Traditio enim potestatis per se, natura sua praesupponitur acceptationi eaque proinde per se est determinabilis ; acceptatio autem per se, natura sua, accedit traditioni, ideoque ipsa per se complet contractum. Verba ergo vel signa, prout exprimunt mutuam traditionem, se habent ut materia, prout vero exprimunt acceptationem, se habent ut forma. Haec porro est sententia, quam asseruit Benedictus XIV in Epistola ad Episcopum Goanum. Atque id sensisse videtur s. Thomas, qui in 4° D. XXVI. q. 2. a. 1. ad. 1^m ait : « verba, quibus consensus exprimitur matrimonialis, sunt forma huius sacramenti », et ad 2^m inquit : « sicut poenitentia non habet aliam materiam nisi ipsos actus sensui subiectos, qui sunt loco materialis elementi, ita est de matrimonio ». Actus vero contrahentium non sunt nisi consensus et signa eiusdem seu expressus consensus: ergo haec et forma et materia sunt sub diverso respectu, prout aliud et aliud significant. Dices in verbis contrahentium : *Accipio te in meam, in meum,* solam acceptationem significari. Respondeo ipsa acceptatione traditionem quoque natura praecedentem significari : integer enim sensus, qui satis exprimitur, eorum verborum hic est : *Accipio te, qui te tradis mihi, in meum aut meam.*

VIII. In omni sacramento permanente reperire est id quod est sacramentum tantum, id quod est res tantum, id quod est res simul et sacramentum. Sacramentum tantum est id quod significat non significatur ab alio ; res tantum est id quod significatur non significat ; res et sacramentum est id quod significatur et significat. Ita in baptismo ritus exterior est sacramentum tantum : gratia est res tantum : character et res et sacramentum (s. Thom. III. p. q. LXVI. a. 1). Pariter « in matrimonio (ait idem suppl. q. XLII. a. 1 ad 5.) sunt illa tria, quia sacramentum est obligatio quae innascitur viri ad mulierem ex talibus actibus (vinculum manens), sed res ultima contenta (gratia nempe, quam producit) est effectus huius sacramenti; non contenta autem est res, quam magister determinat (h. e. coniunctio Christi cum Ecclesia, quam sacramentum non facit, sed significat) ». Sane ritus extrinsecus sive expressio consensus significat et facit unionem sanctam coniugum unionemque significat Christi et Ecclesiae : quia igitur hic ritus significat aliquid, non significatur ab alio, est sacramentum seu signum tantum. Quia vero per hunc ritum gratia significatur et producitur, ea est res huius sacramenti, et quia ea nihil aliud significat, est res tantum. Per illum vero ritum fit unio seu vinculum permanens coniugum, quod proinde ab eo ritu significatur, ipsum porro significat tum unionem Christi cum Ecclesia tum gratiam seu sanctitatem, quae sibi debetur, et qua unio Christi et Ecclesiae supernaturali modo repraesentatur. Huic enim vinculo ex institutione Christi gratia debetur quae, cum illud fit, confertur et cum eo manet ; quae gratia est sacramentalis, quaeque per peccatum quidem amitti potest, sed sequente poenitentia, ab eodem vinculo manente exigitur. Vinculum ergo et significatur et significat : est proinde res simul et sacramentum.

Cum ergo matrimonium dicitur sacramentum, tum contractus tum vinculum intelligitur, quae non sunt duae res disparatae, sed prima est causa alterius, ut ait Eugenius, sive prima est matrimonium in fieri, per ipsum enim contractum uniuntur coniuges, altera est matrimonium in facto esse. Est autem advertenda specialis ratio, qua sacramenti appellatio fit matrimonio permanenti. Nam vinculum manens non est aliquis character sicut in tribus sacramentis nec est sacramentum sicut corpus Christi sub speciebus : sed sacramentum est ; quia significat unionem Christi cum Ecclesia et gratiam exigit, est autem sacramentum manens, quia vinculum manet.

APPENDIX

Secundum ea, quae dicta sunt, expedire licet sequentes quaestiones.

I. Quaeres I. Utrum citra consensum amborum possit de potentia absoluta Dei consistere matrimonium. Ratio dubitandi est quia essentia matrimonii in mutua obligatione seu potestate mutua alterius in alterum consistit, cuius causa est consensus ; at potest certe Deus supplere vim causae secundae et transferre potestatem unius in alterum : ergo. Verum quamvis possit Deus conferre alteri dominum in alterum absque huius consensu, non videtur id facere posse quoad matrimonium. Nam ponatur haec mutua potestas citra consensum amborum ; quaero : cum vir et mulier congrediuntur, accedit ne uterque ad alterum affectu maritali probans et volens hanc mutuam obligationem et potestatem, an non : si sine affectu maritali uniuntur, uniuntur ergo affectu fornicario, non accedentes alter ad alterum tanquam suum, porro ille affectus est intrinsece malus (ut iam probavimus) : Deus autem nequit dare potestatem ad actum intrinsece malum. Nec dicas malum non esse, cum Deus corporis potestatem dederit : ex hac enim potestate divinitus facta sequitur solum ut vir possit accedere ad mulierem tanquam suam et mulier pariter ad virum ut suum, quod est uniri affectu maritali, volente seu probante mutuam obligationem. Oportet ergo ut cum congrediuntur, antecedenter saltem antecessione naturae, velit uterque eam mutuam

obligationem et potestatem; hic autem est consensus mutuus in ipsum matrimonium. Ergo. Quare consensus de essentia matrimonii esse dicendus est.

II. Quaeres II. Utrum matrimonium infidelium, cum ambo baptizantur, evadat sacramentum. Respondeo: matrimonium baptizatorum est sacramentum; atqui suscepto baptismo matrimonium praecedens perseverans est matrimonium baptizatorum: ergo. Neque necessarius consensus deest; eo ipso enim quod volunt baptizari consentiunt saltem implicite in eam vinculi indissolubilitatem, quae propria est matrimonii baptizatorum; matrimonium enim ratum speciali ratione est indissolubile propter significationem: consentientes autem in eam indissolubilitatem consentiunt quoque in vinculum: quare uterque consensus, eo signo externo, quod est susceptio baptismi, explicitus, sunt nova materia et nova forma sacramenti, dum fit. Cf. Sanchez L. II. D. 9.

III. Quaestio III. Utrum matrimonium fidelis cum infideli quando valet, sit sacramentum gratiam efficiens saltem in fideli. Quaestio est non de sola significatione, sed de efficientia gratiae. Respondet Sanchez ibid. D. 8: «dicendum ex parte neutrius esse sacramentum, quia matrimonium in utroque coniuge est unum numero sacramentum, sicut est unum numero matrimonium: ergo si in uno non est sacramentum, nec erit in altero». Et sane e sententia Gregorii XIII in litt. datis 25 Ian. 1585, haec matrimonia non videntur rata: ait enim: nos idcirco attendentes huiusmodi connubia inter infideles contracta vera quidem, non tamen adeo rata censeri, ut necessitate suadente dissolvi non possint, etc.» atqui matrimonium sacramentum est ratum.

Verum sententia quoque contraria probabilis videtur. Et 1) quidem repugnantia non apparet. Unus est enim contractus, qui causa est gratiae: gratiam vero efficit in eo qui est eius capax. Iam vero non repugnat quod gratiam unus recipiat, alter non; neque repugnat ut infidelis sit minister extraordinarius alicuius sacramenti, ut patet in baptismo: igitur non repugnat quod sacramentum uterque administret; illud tamen sit efficax gratiae solum quoad fidelem. Sane 2) si fidelis gratia sacramentali careret in hoc casu, non satis liquet cur Ecclesia primis seculis et identidem alicubi postremis quoque seculis (cf. Perrone De Matrim. L. II. Sect. I. c. 7. a. 2. p. 334), permiserit huiusmodi coniugia cum damno tanto fidelium. 3) Potissimum, si matrimonium fidelis cum infideli est purus contractus naturalis, is non legibus Ecclesiae, sed civilibus subiacebit; et tunc poterit quidem illud ab Ecclesia prohiberi fideli, propter ius quod ipsa in personam fidelem habet, sed non satis intelligitur cur sola

Ecclesia illud possit irritare: teste enim Pio VI, ratio cur Ecclesia sola possit irritare, est haec, quia nempe contractus est sacramentum: si ergo ille est contractus pure naturalis, non poterit ab Ecclesia sola irritari. Et sane (suppositis iis, quae de potestate Principum dicemus in ultimo capite) cur princeps irritare non poterit contractum pure naturalem, qui par est prorsus illi, qui inter infideles fieret? Iam vero tutum non est negare quod Ecclesia sola possit hunc contractum irritare; nam certum est omnia, quae nunc sunt, impedimenta dirimentia, inter quae est et istud, valorem habere ab Ecclesia; et ea cum ultimis seculis in certis missionibus potestatem fecit horum matrimoniorum, nullam mentionem iniecit potestatis secularis, ad cuius normam sit agendum, quamvis omnes conditiones necessarias accurate expresserit. Cf. Perrone l. c. Gregorius vero XIII non negat esse hoc matrimonium ratum, imo id implicite affirmat, sed negat esse *adeo ratum* etc.

Id quidem censuisse nobis videtur Innocentius III c. *Gaudemus De Divortiis* inquiens sacramentum matrimonii esse *inter fideles et infideles:* provocans enim ad verba Apostoli 1. Cor. VII. 12 satis significat se loqui de iis matrimoniis, quae inter fidelem et infidelem contrahuntur.

CAPUT III.

DE PROPRIETATIBUS MATRIMONII

Aggredimur nunc penitiores quaestiones, quae circa proprietates matrimonii versantur. Ea sunt *unitas* et *indissolubilitas*. Singillatim quae ad singula spectant persequemur.

§. I.

De Unitate

THESIS XII.

Polyandria simultanea iure naturae illicita est et irrita. Polyandria et polygamia successiva licita est et per se honesta.

I. Polyandria est coniunctio unius mulieris cum pluribus viris. Ea simultanea est vel successiva. Docemus polyandriam simultaneam esse illicitam et irritam ipso iure naturali (de polyandria successiva in p. seq. loquemur). Ea enim coniunctio, quae positive excludit fines omnes matrimonii, nequit esse matrimonium; atqui talis est simultanea polyandria. Sane finis primus est procreatio et educa-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

obligationem et potestatem; hic autem est consensus mutuus in ipsum matrimonium. Ergo. Quare consensus de essentia matrimonii esse dicendus est.

II. Quaeres II. Utrum matrimonium infidelium, cum ambo baptizantur, evadat sacramentum. Respondeo: matrimonium baptizatorum est sacramentum; atqui suscepto baptismo matrimonium praecedens perseverans est matrimonium baptizatorum: ergo. Neque necessarius consensus deest; eo ipso enim quod volunt baptizari consentiunt saltem implicite in eam vinculi indissolubilitatem, quae propria est matrimonii baptizatorum; matrimonium enim ratum speciali ratione est indissolubile propter significationem: consentientes autem in eam indissolubilitatem consentiunt quoque in vinculum: quare uterque consensus, eo signo externo, quod est susceptio baptismi, explicitus, sunt nova materia et nova forma sacramenti, dum fit. Cf. Sanchez L. II. D. 9.

III. Quaestio III. Utrum matrimonium fidelis cum infideli quando valet, sit sacramentum gratiam efficiens saltem in fideli. Quaestio est non de sola significatione, sed de efficientia gratiae. Respondet Sanchez ibid. D. 8: «dicendum ex parte neutrius esse sacramentum, quia matrimonium in utroque coniuge est unum numero sacramentum, sicut est unum numero matrimonium: ergo si in uno non est sacramentum, nec erit in altero». Et sane e sententia Gregorii XIII in litt. datis 25 Ian. 1585, haec matrimonia non videntur rata: ait enim: nos idcirco attendentes huiusmodi connubia inter infideles contracta vera quidem, non tamen adeo rata censeri, ut necessitate suadente dissolvi non possint, etc.» atqui matrimonium sacramentum est ratum.

Verum sententia quoque contraria probabilis videtur. Et 1) quidem repugnantia non apparet. Unus est enim contractus, qui causa est gratiae: gratiam vero efficit in eo qui est eius capax. Iam vero non repugnat quod gratiam unus recipiat, alter non; neque repugnat ut infidelis sit minister extraordinarius alicuius sacramenti, ut patet in baptismo: igitur non repugnat quod sacramentum uterque administret; illud tamen sit efficax gratiae solum quoad fidelem. Sane 2) si fidelis gratia sacramentali careret in hoc casu, non satis liquet cur Ecclesia primis seculis et identidem alicubi postremis quoque seculis (cf. Perrone De Matrim. L. II. Sect. I. c. 7. a. 2. p. 334), permiserit huiusmodi coniugia cum damno tanto fidelium. 3) Potissimum, si matrimonium fidelis cum infideli est purus contractus naturalis, is non legibus Ecclesiae, sed civilibus subiacebit; et tunc poterit quidem illud ab Ecclesia prohiberi fideli, propter ius quod ipsa in personam fidelem habet, sed non satis intelligitur cur sola

Ecclesia illud possit irritare: teste enim Pio VI, ratio cur Ecclesia sola possit irritare, est haec, quia nempe contractus est sacramentum: si ergo ille est contractus pure naturalis, non poterit ab Ecclesia sola irritari. Et sane (suppositis iis, quae de potestate Principum dicemus in ultimo capite) cur princeps irritare non poterit contractum pure naturalem, qui par est prorsus illi, qui inter infideles fieret? Iam vero tutum non est negare quod Ecclesia sola possit hunc contractum irritare; nam certum est omnia, quae nunc sunt, impedimenta dirimentia, inter quae est et istud, valorem habere ab Ecclesia; et ea cum ultimis seculis in certis missionibus potestatem fecit horum matrimoniorum, nullam mentionem iniecit potestatis secularis, ad cuius normam sit agendum, quamvis omnes conditiones necessarias accurate expresserit. Cf. Perrone l. c. Gregorius vero XIII non negat esse hoc matrimonium ratum, imo id implicite affirmat, sed negat esse *adeo ratum* etc.

Id quidem censuisse nobis videtur Innocentius III c. *Gaudemus De Divortiis* inquiens sacramentum matrimonii esse *inter fideles et infideles:* provocans enim ad verba Apostoli 1. Cor. VII. 12 satis significat se loqui de iis matrimoniis, quae inter fidelem et infidelem contrahuntur.

CAPUT III.

DE PROPRIETATIBUS MATRIMONII

Aggredimur nunc penitiores quaestiones, quae circa proprietates matrimonii versantur. Ea sunt *unitas* et *indissolubilitas*. Singillatim quae ad singula spectant persequemur.

§. I.

De Unitate

THESIS XII.

Polyandria simultanea iure naturae illicita est et irrita. Polyandria et polygamia successiva licita est et per se honesta.

I. Polyandria est coniunctio unius mulieris cum pluribus viris. Ea simultanea est vel successiva. Docemus polyandriam simultaneam esse illicitam et irritam ipso iure naturali (de polyandria successiva in p. seq. loquemur). Ea enim coniunctio, quae positive excludit fines omnes matrimonii, nequit esse matrimonium; atqui talis est simultanea polyandria. Sane finis primus est procreatio et educa-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tio prolis, et sic bonum matrimonii est *proles:* finis alter est refrenatio concupiscentiae utriusque coniugis, et sic alterum bonum matrimonii est *remedium concupiscentiae:* item finis est domestica societas, quae intelligi potest sub bono matrimonii quod est *fides:* et praeterea ex divina institutione est significatio unionis Christi cum Ecclesia: et sic comprehenso remedio concupiscentiae, quartum bonum matrimonii est sacramentum (cf. Th. II). Atqui primus finis excluditur; nam mulier commixta pluribus viris iisque vicissim utens ex physica naturae lege est generatim infecunda: « Plures feminae ab uno viro foetari possunt: una vero a pluribus non potest: haec est principiorum vis » ait Augustinus etc. De Bono coniugali n. 20. Potestas ergo sui corporis, quam mulier pluribus viris traderet quatenus tradit pluribus, eo spectaret per se ut mulier infecunda fieret, iusque haberent viri ad actum per se impeditivum generationis; atqui id directe pugnat cum ea potestate, cuius mutua traditione et acceptatione matrimonium continetur; est enim potestas ad actum, cuius primarius finis est procreatio prolis. Rursus ex ea potestate a muliere pluribus viris tradita sui corporis, fit ut viri ius habeant ad id quo prolis pater incertus redditur et quo proinde nequit proles a patre educari. Itaque per hanc unionem finis primarius usus matrimonii est exclusus, et quidem positive, quoniam ipsa coniunctio per se eidem repugnat. Neque mulier pluribus obnoxia viris potest omnibus cum petunt satisfacere ad eorum incontinentiam vitandam; neque pluribus pari iure potientibus et ab invicem independentibus subesse potest, fidemque debitam praestare: impeditur ergo saltem quam maxime hoc alterum bonum, quod est remedium concupiscentiae. Nulla autem pax esse potest in familia, in qua plura sunt capita; neque enim mulier quae subiecta est, potest viros ad unitatem revocare. « Occulta enim lege naturae amant singularitatem quae principantur. Subiecta vero non solum singula singulis, sed si ratio naturalis vel socialis admittit, etiam plura uni non sine decore subduntur » August. l. c. Quare hic alius quoque finis prorsus tollitur. Unio vero Christi cum Ecclesia, quae est unius cum una h. e. unius capitis sibi aptantis unum corpus, ut ideo sit unum, quia unum est caput, nequit ullo modo repraesentari ab unione plurium cum una; h. e. plurium capitum cum uno corpore. Id vero repugnat iuri positivo divino. Nullum est ergo huiusmodi matrimonium. Ergo ita adversatur haec coniunctio iuri naturae et divino quoque ut ne dum matrimonium sit illicitum, sed etiam irritum ex eodem iure.

II. Polygamia est coniunctio viri cum pluribus uxoribus: alia est simultanea, alia successiva. De hac altera primum loquimur: et quia

eadem in utraque est ratio, de polyandria quoque loquimur successiva. Quaestio est an nubere secundo et deinceps sit licitum iure divino ita ut et successivae uniones verae nuptiae sint iure divino ac honestae per se. Oportet autem eas esse verum matrimonium sicut prius, si iure divino licitum est iterum nubere h. e. iterare nuptias, id nempe quod prius factum est, quod erat verum matrimonium. Itaque licitam esse successivam polygamiam et polyandriam constat ex verbis Pauli 1. Cor. VIII. 8. *Dico autem non nuptis et viduis: bonum est si sic permanserint sicut et ego. Quod si se non continent, nubant; melius est enim nubere quam uri.* Et v. 39. *Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius vivit: quod si dormierit vir eius, liberata est, cui vult nubat, tantum in Domino.* Liquet 1° consulere Apostolum viduis ut nubant, et idcirco novum matrimonium, si se nequeunt continere; quia nimirum matrimonium est in remedium quoque concupiscentiae. Liquet 2° in altero testimonio simpliciter facere Apostolum potestatem mulieri, cuius vir defunctus est, transeundi ad secundas nuptias, idque tantum postulare ut nubat in Domino (cf. August. de adult. coniug. c. 25). Porro quod Apostolus consulit ad honestum finem, est certe iure divino licitum; licitumque pariter est quod tanquam positum in nostra potestate concedit Apostolus, quodque potest fieri in Domino: quod vero consulit Apostolus est matrimonium quod esse nequit inter christianos nisi consentiente iure divino. Iam vero 3° verba Apostoli universalia sunt: *dico viduis, mulier cuius vir dormierit,* quae vera sunt tum de viduis prima vice, tum secunda et deinceps. Ergo sequentes uniones maritales et verae nuptiae sunt et per se omnes sunt licitae. « Quis enim sum (ait Augustinus de Bono viduitatis n. 15) qui putem definiendum, quod nec Apostolum video definivisse? Ait enim: mulier alligata est legi quamdiu vir eius vivit. Non dixit: primus aut secundus aut tertius aut quartus; sed quamdiu *vir eius* vivit, si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est, cui vult, nubat.... quid huic sententiae, quantum ad hanc rem attinet, addi vel detrahi possit, ignoro ». Quod autem de mulieribus dicit Apostolus, viris quoque pari ratione competit: ergo polygamia et polyandria successiva tum prima tum aliis sequentibus vicibus est certe licita.

Nota perperam a Tournely (q. V. a. 1), afferri primum testimonium Apostoli ad probandum non suasisse unquam Ecclesiam secundas et ulteriores nuptias. Nam reapse Apostolus eas ibi suadet, non quidem per se, sed ratione vitandae fornicationis: hic enim est sensus eorum verborum, *si non se continent, nubant, melius est enim nubere quam uri.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

III. Haec est Ecclesiae doctrina. In Professione Fidei praescripta ab Innocentio III. Valdensibus, haec habes: «Hominem quoque cum sua coniuge salvari credimus et fatemur, nec etiam secunda et ulteriora matrimonia condemnamus ». Id sollemniter declaravit Eugenius IV in decreto pro Iacobitis (Labbaei Tom. 18 col. 12. 19). « Quoniam nonnullos asseritur quartas nuptias tanquam condemnatas respuere, ne peccatum ubi non est esse putetur, cum secundum Apostolum mortuo viro mulier sit ab eius lege soluta et nubendi cui vult in Domino habeat facultatem, nec distinguat mortuo primo vel secundo vel tertio, declaramus non solum secundas, sed etiam tertias et quartas atque ulteriores nuptias, si aliquod canonicum impedimentum non obstat, licite contrahi posse. Commendatiores tamen dicimus, si ulterius a coniugio abstinentes, in castitate permanserint: quia sicut viduitati virginitatem, ita nuptiis castam viduitatem laude ac merito praeferendam esse consemus ».

IV. Ita antiquitas docuit. Et quidem quoad secundas nuptias simpliciter, Epiphanius haer. 59 et Augustinus De haeresibus inter haereses Montani et Novatiani referunt, quod secundas nuptias damnarent, Synodus Nicaena eas aperte probavit. Sane ipsa lex ecclesiastica ab Apostolo promulgata, quae reiicit digamos a sacris ordinibus supponit licere christianis secundas inire nuptias: quemadmodum rite advertit Epiphanius n. 4 errasse Novatianos quod: « quae sacerdotio propter singularem functionis illius dignitatem praecipue tributa sunt, ea ad omnes communiter pertinere iudicant ». Evidens est ergo hac in re doctrina Ecclesiae. Nec movere debent quorumdam veterum dicta, qui ad commendandam honestatem christianorum prae ethnicis, illud praedicant quod iis erat proprium, ut nempe unicis nuptiis contenti forent, quod inter christianos frequenter videre erat. « Quisque vel qualis natus est manet, vel unicis in nuptiis », ait Athenagoras Legat. n. 33. Et Theophilus Antioch. L. 3. « Apud christianos, ait, monogamia servatur »: ac Minucius in Octavio: « cupiditatem procreandi aut unam sentimus aut nullam ». Cf. Cotelerii notam ad c. 4. Mandati 1[i] libri 2[i] Hermae.

V. At quod spectat ad iteratas saepius nuptias licet primum afferre generalem sententiam Hermae l. c. n. 4 docentis quod: « si vir vel mulier alicuius discesserit (ex hac vita coll. n. 1.), et nupserit aliquis illorum, qui nubit non peccat; sed si per se manserit, magnum sibi conquiret honorem apud Dominum ». Tum praedicator maximus virginitatis Hieronymus epist. 30 ad Pammachium ait. « Ego nunc libera voce proclamo, non damnari in Ecclesia bigamiam, imo nec trigamiam, et ita licere quinto et sexto et ultra quomodo et secundo marito nubere. Sed quomodo non damnantur istae nuptiae, ita nec

praedicantur. Solatia miseriae sunt non laudes continentiae. Omnia licent, sed non omnia expediunt. Non damno bigamos imo nec trigamos et si dici potest octogamos »: Ita Augustinus de Bono viduitatis n. 5. « de tertiis et quartis et ultra pluribus nuptiis solent homines movere quaestionem. Unde ut breviter respondeam: nullas nuptias audeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre ». Atque Epiphanius haer. LIX. n. 6. « Nam et prima uxor a Deo constituta est, ita imbecillitati hominum posterior indulta, quod si alteram praeterea sibi copulat, huius hac in parte toleratur infirmitas ». Fulgentius De Fide ad Petrum n. 43. « Si cui primo contigerit privari coniugio: si voluerit secundas vel etiam tertias inire nuptias, nullum de illis peccatum habebit, si eas caste servaverit ». Cf. et 2[a] epistolam Clementis ad Iacobum n. 7 et hom. 3. n. 68.

VI. Ut autem quidam dissensus qui inter Patres exstitisse videtur, intelligatur, distinguendum est inter ipsas nuptias, et affectum quem gerit vel gerere praesumitur, qui secundas et ulteriores nuptias affectat. Nimirum qui secundas et praesertim qui ulteriores nuptias init generatim videtur nimis voluptatem carnis sectari et impotenti libidine laborare: quae quidem hominis conditio non est laudabilis: sed tamen eo ipso honestum est nuptias inire, quia sunt in remedium concupiscentiae. Patres ergo plures Graeci considerantes sub eo respectu ulteriores nuptias, scilicet intendentes mentem in affectum contrahentium erga libidinem effusum huncque iudicantes non satis congruere cum sanctitate christiana, in eas nuptias, praesertim post secundas, vehementer identidem irruunt ita ut ipsas nuptias reprobare videantur. Hinc est quod Nazianzenus, qui orat. 39 in ss. Lumina n. 18 probat secundas nuptias, Orat. 37 in Matth. XIX. 1–17. n. 8 tertias nuptias dicat iniquas, et porcinos appellet qui quartas ineunt nuptias, et Basilius in Epistola Canonica 1[a] ad Amphilochium can. 4. tertias nuptias vocet coarctatam seu moderatam fornicationem, et can. 80. epist. 3[a] dicat videri sibi polygamiam peccatum maius fornicatione. Quo factum est ut in Ecclesia graeca, quae plusquam par est in hac re fuit severa, trigamos imo ipsos bigamos poenitentiae subiecerit, quin tamen separarentur sic coniugati, quod indicium est nuptias eas habitas fuisse validas atque etiam licitas etsi minus honestas dignasque proinde aliqua compensatione. Adverte polygamos a graecis dictos qui bigamiae mensuram excesserint. Cf. Basilium locis citatis et Balsamon ibidem. Porro de trigamis ait ibid. cn. 4[o] Basilius: « consuetudine accepimus in trigamis quinquennii segregationem, non a canonibus, sed ab usu eorum qui praecesserunt ». Ideo ait: « Oportere eos non omnino arceri ab Ecclesia, sed auditione dignari duobus vel tribus annis, ac posthac ipsis permit-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tere ut consistant quidem, abstineant vero a boni communione, et sic, exhibito poenitentiae aliquo fructu, communionis loco restituere» nulla mentione facta separationis. Canone vero 50, qui ultimus est epistolae 2ae canonicae, ait idem: « Trigamiae lex non est. Quare secundum legem matrimonium tertium non contrahitur. Ac talia quidem ut Ecclesiae inquinamenta nos consideramus, condemnationibus tamen publicis non subiicimus, eo quod eligibiliora sint quam soluta fornicatio»: Balsamon et Zonaras trigamiam publice non condemnari idem esse putant ac non dissolvi, aliter censent editores maurini cum Aristeno, censent enim id esse ac non poni in loco substratorum seu poenitentium, collato eiusdem Basilii can. 4°. At quidquid de hac quaestione sit, certum est trigamos non fuisse habitos ut fornicarios a Basilio in hoc canone. At aliud de trigamis et sequentibus 3ª epistola canonica cn. 80 statuit: « Polygamiam Patres silentio praeterierunt, ut belluinam prorsusque ab hominum genere alienam. Ea nobis videtur peccatum esse fornicatione maius; quapropter consentaneum est eos subiici canonibus, ut scilicet postquam anno fleverint et tribus substrati fuerint, sic suscipiantur». Malitia scilicet moralis in affectu supponitur et reprobatur, quae maior censetur aliquo fornicationis actu; at reapse nulla adhuc nullitatis et separationis certa mentio. Veteres canones graecos secutus est Basilius. Sane in can. 1 Conc. Laodiceni secundae nuptiae vocantur legitimae, iubentur tamen coniuges certo tempore orare et ieiunare. Item in Conc. Ancyrano cn. 19 supponitur digamis aliqua poenitentia constituta. Idem quoque cann. 3 et 7 Conc. Neocaesariensis statuitur de digamis et polygamis. Cf. Arcudium De Concordia L. VII. c. 28.

VII. Facile tamen eo progressa est Ecclesia graeca ut quartas nuptias prorsus tolerare noluerit sec. X easque sub poena excommunicationis vetuerit, irritas ipsas esse volens, haud tamen omnibus graecis consentientibus, nec unquam hoc decreto veluti certo et immutabili recepto. Iam Basilius Macedo prohibuerat auctoritate caesarea quartas nuptias tanquam lege Dei irritas (Novella: non fas esse quartas inire nuptias) abrogans legem Iustiniani eas pro clementia sua permittentis: eius vero filius Leo cognomento sapiens, his non contentus, tertias quoque prohibuit nuptias, aliis tamen, non sibi, qui tertia sua uxore defuncta, cum prole careret, quartam accepit. Exinde anno 906 ortum scandalum et schisma in Ecclesia graeca, operante potissimum Nicolao Mystico Patriarcha Constantinopolitano, quod tandem sublatum fuit Tomo seu decreto unionis primum quidem edito in Synodo sub eodem Patriarcha et sub Leonis filio Constantino anno 920, plene deinde omnibus consentientibus sub Constantino et Basilio anno 996 publicato et acceptato illo decreto. Illud decretum

statuebat ut tertiae quidem nuptiae sub certis conditionibus permitterentur; quartae autem omnino essent prohibitae, exclusis eas contrahentibus ab ecclesiastica communione donec in tali coniugio permanerent, ex quo intelligitur nuptias habitas fuisse nullas et irritas. Eundem sensum referunt plures litterae Nicolai Mystici Patriarchae Constantinopolitani, qui reprobatis quartis nuptiis Leonis eam commoverat tempestatem et proinde in exilium actus fuerat; postea vero restitutus, ac sub eo conditum decretum unionis. At licet in prioribus suis epistolis ad Romanos Pontifices quartas nuptias repraesentet ut nullas vi legis divinae, attamen in litteris posterioribus ad Ioannem X satis aperte significat censere se quod ex dispensatione Ecclesiae illae nuptiae iniri possint (lege eius epistolas editas ab Angelo Mai penes Migne P. G. Tom. CXI). Ex quo colligunt non inepte quidam reprobationem quartarum nuptiarum apud graecos innixam fuisse consuetudini ac legi ecclesiasticae dirimenti has nuptias.

Quocirca ne putes haesisse graecis hanc persuasionem de nullitate et malitia quartarum nuptiarum ex iure divino. Adverte enim quid Ioannes Veccus Patriarcha Constantinopolitanus cum sua Synodo litteris datis ad Rom. Pont. Ioannem XXI anno 1277 profiteatur. Postquam enim narraverit unionem Ecclesiae graecae cum Romana inchoatam, sub Gregorio X in Conc. Lugdunensi tandem esse absolutam, mox professione fidei emissa praesertim circa processionem Spiritus S. et primatum Rom. Sedis, ac de septem sacramentis, inter haec habet: « recipimus matrimonium, de quo tenet ipsa romana Ecclesia quod nec unus vir plures uxores, similiter nec una mulier simul habere permittitur plures viros: soluta vero lege per mortem alterutrius coniugum, secundas et tertias et deinceps nuptias legitime factas successive licitas esse dicit». Comparans hanc professionem Vecci cum professione edita ab Imper. Michaele Palaeologo in Lugdunensi concilio (secundas, inquit, et tertias successive nuptias licitas esse dicit R. E.) suspicatur Iosephus Simon Assemanus aliquid ex hac excidisse, quo alias nuptias praeter tertias licitas esse affirmaretur. Nam haec est doctrina Romanae Ecclesiae, quam se referre et sequi ait imperator.

VIII. Certe Romana Ecclesia nunquam probavit doctrinam hac in re graecorum, etsi olim, cum conditum est decretum illud unionis, toleraverit eam praxim pro bono pacis. Nam et Romanus Pontifex Sergius III, postulante Leone sapiente, probaverat eius quartas nuptias, Innocentius autem IV ante Lugdunense concilium in litteris ad Episcopum Tusculanum legatum suum in Regno Cypri id iubet sentire graecos de nuptiis: « Quia secundum Apostolum mulier mortuo viro liberam habet facultatem, secundas et tertias ac ulteriores

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

etiam nuptias graeci non reprehendant aliquatenus neque condemnent sed potius illas approbent inter personas, quae alias licite ad invicem matrimonio iungi possunt». Sic quoque statuit, ut vidimus, Eugenius IV: cui consentit Benedictus XIV in Constitutione *Etsi pastoralis* data pro italo-graecis. Cf. citatum Assemanum Bibliotheca Iuris Orientalis Lib. I. c. 13.

Attamen Ecclesia nuptiis bigamorum, si praesertim sit vel sola mulier bigama, non impertitur benedictionem (De secundis nuptiis cnn. 1 et 4. Cf. Rituale romanum de Sacramento Matrimonii, canonem quoque 7. Synodi Neocaesariensis), quae intra Missae celebrationem dari solet primis nuptiis; quia quamvis in se consideratae sint perfectum sacramentum, tamen consideratae in ordine ad primum, habent aliquid de defectu sacramenti, quia non habent plenam significationem, cum non sint perfecte unius ad unam, ait s. Thomas q. LXIII. n. 2.

Latini quidam, h. e. Hispani duram legem tulisse videntur cum in Conc. Toletano, an. 683 prohibuerunt ne vidua relicta Regis alteri nuberet, iubentes eam statim coenobio virginum mancipari; sed id ad Regni perturbationes cavendas constitutum est, cui legi uxores regiae, cum coniugium inirent, sponte se subiiciebant. Idem mos apud hebraeos viguisse videtur, ut censent eruditi. Cf. 3. Regum II. 13–25.

IX. Ex dictis liquet secundas atque ulteriores nuptias iure divino licitas esse, atque adeo esse honestas: quod enim Apostolus concedit, quod suadet, quod Ecclesia damnari vetat, licitumque esse docet, ac solum in comparatione maioris boni dicit esse minus commendabile: id per se est honestum.

Ratio vero est evidens: defuncto enim coniuge, coniux superstes sui iuris est et ad matrimonium idoneus non secus ac prius: finis matrimonii pariter intendi et obtineri potest; remedium autem, quod ipsum praestat, concupiscentiae, vel solum ratio esse potest cur rursus ineatur. Ne dicas argumentum istud vocari sophisma a Chrysostomo (in Serm. ad iuniorem viduam de non iterando coniugio. n. 2). Nam non hoc ipsum, quod nos colligimus, reprobat s. Doctor, sed illud argumentum, quo ex eo quod honestum sit primum nubere, colligebant quidam honestum pariter esse secundo, tertio et deinceps id facere, imo potiore iure laudandum esse qui crebrius matrimonio utitur, ac si status matrimonii praestaret viduitati. Ceterum idem Doctor, initio huius sermonis, postquam dixerat, alteras nuptias licere, verumtamen unas iteratis longe praestare, monuerat quod in hac comparatione, cum unum alteri praestare dicimus, nemo hoc ipsum quod inferiorem locum tenere dicimus, vitium putet.

THESIS XIII.

Polygamia simultanea iure divino illicita est et irrita christianis.

I. Nunc de polygamia simultanea. Porro haec est doctrina Conc. Trident. cn. 2. Si quis dixerit licere christianis plures simul habere uxores et hoc nulla lege divina esse prohibitum, A. S. Atque inter impedimenta dirimentia matrimonium est impedimentum ligaminis. Porro legem esse divinam, eamque nullum efficientem matrimonium cum altera vel altero coniuge, dum in vivis est prior coniux, probatur 1) ex verbis Christi Matth. XIX. 9. *Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur, et qui dimissam duxerit, moechatur.* Quae quidem Christi verba ita enarrat Innocentius III. c. *Gaudemus* De Divortiis: «Si ergo uxore dimissa, duci alia de iure non potest, fortius et ipsa retenta: per quod evidenter apparet pluralitatem in utroque sexu, cum non ad imparia iudicentur circa matrimonium, reprobandam». Principium hoc est in re matrimoniali tenendum, quod heic Innocentius refert, nempe pares esse virum et uxorem non quidem in omnibus (cf. Thomam q. LXIV. a. 5. q. LXII. a. 4), sed quoad potestatem in corpus alterius et obligationem ei respondentem: iuxta verba Pauli: *mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter vir potestatem non habet sui corporis, sed mulier* 1. Cor. VII. 4. Itaque ut ad textum Matthaei redeamus, ne praeoccupemus quaestiones non necessarias heic, advertimus quod multiplex excogitata fuit interpretatio eorum verborum *nisi ob fornicationem* h. e. *nisi sit unio fornicaria non verum coniugium,* vel *nisi ob adulterium uxoris, quo posito licet dissolvere matrimonium,* vel *nisi ob idem adulterium, propter quod saltem licet viro se separare ab uxore.* Cuiusmodi sit vera interpretatio et Ecclesiae consona traditioni, disputabimus postea. Nunc satis sit advertere quod priore admissa interpretatione, quaelibet superinductio alterius mulieris, priore licet dimissa, adulterium vocatur: admissa vero altera interpretatione, eatenus non haberetur adulterium quatenus prior unio fuisset soluta, et sic polygamiae non esset locus: admissa vero tertia interpretatione, possumus de vinculo matrimonii secundum sententiam Christi ratiocinari perinde ac si ea verba non exstarent, quod et valet in prima interpretatione. Itaque docet Christus quod qui, dimissa uxore, aliam ducit, non solum male agit, sed etiam irrite agit, moechatur enim: manet nempe vinculum prius, quod impedit vinculum cum alia:

etiam nuptias graeci non reprehendant aliquatenus neque condemnent sed potius illas approbent inter personas, quae alias licite ad invicem matrimonio iungi possunt». Sic quoque statuit, ut vidimus, Eugenius IV: cui consentit Benedictus XIV in Constitutione *Etsi pastoralis* data pro italo-graecis. Cf. citatum Assemanum Bibliotheca Iuris Orientalis Lib. I. c. 13.

Attamen Ecclesia nuptiis bigamorum, si praesertim sit vel sola mulier bigama, non impertitur benedictionem (De secundis nuptiis cnn. 1 et 4. Cf. Rituale romanum de Sacramento Matrimonii, canonem quoque 7. Synodi Neocaesariensis), quae intra Missae celebrationem dari solet primis nuptiis; quia quamvis in se consideratae sint perfectum sacramentum, tamen consideratae in ordine ad primum, habent aliquid de defectu sacramenti, quia non habent plenam significationem, cum non sint perfecte unius ad unam, ait s. Thomas q. LXIII. n. 2.

Latini quidam, h. e. Hispani duram legem tulisse videntur cum in Conc. Toletano, an. 683 prohibuerunt ne vidua relicta Regis alteri nuberet, iubentes eam statim coenobio virginum mancipari; sed id ad Regni perturbationes cavendas constitutum est, cui legi uxores regiae, cum coniugium inirent, sponte se subiiciebant. Idem mos apud hebraeos viguisse videtur, ut censent eruditi. Cf. 3. Regum II. 13–25.

IX. Ex dictis liquet secundas atque ulteriores nuptias iure divino licitas esse, atque adeo esse honestas: quod enim Apostolus concedit, quod suadet, quod Ecclesia damnari vetat, licitumque esse docet, ac solum in comparatione maioris boni dicit esse minus commendabile: id per se est honestum.

Ratio vero est evidens: defuncto enim coniuge, coniux superstes sui iuris est et ad matrimonium idoneus non secus ac prius: finis matrimonii pariter intendi et obtineri potest; remedium autem, quod ipsum praestat, concupiscentiae, vel solum ratio esse potest cur rursus ineatur. Ne dicas argumentum istud vocari sophisma a Chrysostomo (in Serm. ad iuniorem viduam de non iterando coniugio. n. 2). Nam non hoc ipsum, quod nos colligimus, reprobat s. Doctor, sed illud argumentum, quo ex eo quod honestum sit primum nubere, colligebant quidam honestum pariter esse secundo, tertio et deinceps id facere, imo potiore iure laudandum esse qui crebrius matrimonio utitur, ac si status matrimonii praestaret viduitati. Ceterum idem Doctor, initio huius sermonis, postquam dixerat, alteras nuptias licere, verumtamen unas iteratis longe praestare, monuerat quod in hac comparatione, cum unum alteri praestare dicimus, nemo hoc ipsum quod inferiorem locum tenere dicimus, vitium putet.

THESIS XIII.

Polygamia simultanea iure divino illicita est et irrita christianis.

I. Nunc de polygamia simultanea. Porro haec est doctrina Conc. Trident. cn. 2. Si quis dixerit licere christianis plures simul habere uxores et hoc nulla lege divina esse prohibitum, A. S. Atque inter impedimenta dirimentia matrimonium est impedimentum ligaminis. Porro legem esse divinam, eamque nullum efficientem matrimonium cum altera vel altero coniuge, dum in vivis est prior coniux, probatur 1) ex verbis Christi Matth. XIX. 9. *Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur, et qui dimissam duxerit, moechatur.* Quae quidem Christi verba ita enarrat Innocentius III. c. *Gaudemus* De Divortiis: «Si ergo uxore dimissa, duci alia de iure non potest, fortius et ipsa retenta: per quod evidenter apparet pluralitatem in utroque sexu, cum non ad imparia iudicentur circa matrimonium, reprobandam». Principium hoc est in re matrimoniali tenendum, quod heic Innocentius refert, nempe pares esse virum et uxorem non quidem in omnibus (cf. Thomam q. LXIV. a. 5. q. LXII. a. 4), sed quoad potestatem in corpus alterius et obligationem ei respondentem: iuxta verba Pauli: *mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter vir potestatem non habet sui corporis, sed mulier* 1. Cor. VII. 4. Itaque ut ad textum Matthaei redeamus, ne praeoccupemus quaestiones non necessarias heic, advertimus quod multiplex excogitata fuit interpretatio eorum verborum *nisi ob fornicationem* h. e. *nisi sit unio fornicaria non verum coniugium,* vel *nisi ob adulterium uxoris, quo posito licet dissolvere matrimonium,* vel *nisi ob idem adulterium, propter quod saltem licet viro se separare ab uxore.* Cuiusmodi sit vera interpretatio et Ecclesiae consona traditioni, disputabimus postea. Nunc satis sit advertere quod priore admissa interpretatione, quaelibet superinductio alterius mulieris, priore licet dimissa, adulterium vocatur: admissa vero altera interpretatione, eatenus non haberetur adulterium quatenus prior unio fuisset soluta, et sic polygamiae non esset locus: admissa vero tertia interpretatione, possumus de vinculo matrimonii secundum sententiam Christi ratiocinari perinde ac si ea verba non exstarent, quod et valet in prima interpretatione. Itaque docet Christus quod qui, dimissa uxore, aliam ducit, non solum male agit, sed etiam irrite agit, moechatur enim: manet nempe vinculum prius, quod impedit vinculum cum alia:

secus non foret moechia. At si moechatur qui priore dimissa, a qua identidem propter aliquas causas potest licita esse separatio, aliam ducit: moechabitur ergo et multo magis, qui priore retenta, aliam superinducit: si autem moechia est ea coniunctio, nullum est igitur vinculum coniugale, quod non nisi a priore vinculo manente impeditur. Et sane si polygamia licita et valida foret, non posset dici moechari qui, dimissa una, aliam ducit; ius enim, quod prius habebat nubendi alteri, adhuc maneret; unde nullum esset adulterium. Quocirca lege Christi nullum est prorsus alterum matrimonium.

II. Idem docet Paulus, a quo haec duo accipimus *a*) 1. Cor. VII. 4. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir, similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier:* nimirum aequam esse potestatem utriusque in alterum, aequalique iure utrumque gaudere: ut Innocentius III. c. super citato monuit; et declaravit Augustinus L. XXII contra Faustum, c. 31. «Quis enim nescit uxorem marito tanquam domino debere servire? Sed quod ad membra corporis attinet, quibus sexus ipse distinguitur, Apostolus dicit: Similiter et vir sui corporis potestatem non habet sed mulier; ut cum in ceteris actibus ad humanam pacem pertinentibus mulier viro debeat servitutem, huius rei, qua sexus utriusque carnali sorte discernitur et carnali commixtione concernitur, similem in se habeant potestatem vir in uxorem et uxor in virum». Idem Nazianzenus docet orat. 37 citata.

b) Ibid. 10. 11. *Iis autem qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus: uxorem a viro non discedere* μὴ χωρισθῆναι, *quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.* Χωρισθῆναι autem, ut solet, significationem activam *discedendi* habet; de passiva enim separatione mulieris sermo est in verbis postremis. Itaque ius divinum est praecipiens ut uxor a viro non discedat; et si discedit, maneat innupta nullique commisceatur, nisi velit rursus ad virum redire. Sermo heic est de uxore, quae sponte se separat a viro; huiusmodi est enim proprie quae discedit: ea autem, quae eiicitur a viro, dicitur *dimissa* in Scripturis et praeterea de muliere dimissa a viro sermo est in sequenti. Porro haec mulier, quae discedit a viro, est ea quae habet iustam causam discedendi, propter culpam e. g. viri. Probatur evidenter. Nam si sine causa discederet, non ei permitteret Paulus optionem aut manendi innuptam aut se reconciliandi cum viro; sed iuberet reconciliari et redire ad virum: est enim lex Domini, ut ait idem Apostolus, ut uxor a viro non discedat, et cum vir potestatem habeat in uxorem, nequit sine iniustitia suo iure absque causa privari. Sermo est ergo de muliere, quae iuste discedit a viro.

Atqui nullius alterius rei optio relinquitur ei nisi horum duorum, aut *maneat innupta,* aut *reconcilietur viro:* nuptiae aliae prorsus interdicuntur: *maneat innupta.* Id vero de iure esse divino testatur Apostolus: *praecipio non ego sed Dominus.* Quapropter mulier, si se separet etiam iuste a viro, innupta h. e. non alteri nubens, ex iure divino manere debet. Idem autem et de viro dicendum est, quod innuptus manere debet hoc est non aliam uxorem ducere, si se separet ab uxore; quod quidem liquet tum ex sequentibus: *Et vir uxorem non dimittat,* quae praecedentibus immediate subiuncta, videntur contractiore sermone illud idem praecipere viro quod praeceptum est mulieri: tum liquet ex eo principio prius statuto, quod aequale sit ius et aequalis obligatio alterius ad alterum quoad potestatem corporis. Is ergo, etiamsi iuste dimittat uxorem, nulli alteri nubere debet iure divino: multo ergo minus id debet nulla ratione exsistente separationis; nunquam itaque potest vir alteram uxorem ducere, priore vivente. Porro *mulier* (Rom. VII. 3) *vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro:* ergo ius divinum prohibens nuptias secundas mulieri, exsistente priore viro, ita prohibet ut irritet eas; adultera enim coniunctio nullum est matrimonium, ideoque Deus non coniungit quod homo coniungere vellet; adulter ergo erit vir, si fuerit cum alia uxore et haec altera coniunctio, exsistente priore, irrita est.

Praeterea Paulus viri et uxoris mentionem faciens, de utroque semper in singulari loquitur 1. Cor. VII. 2, unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum habeat: 39. Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius vivit: quod si dormierit vir eius, liberata est: Ephes. V. 23. Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae: 28, qui suam uxorem diligit, se ipsum diligit: 33. Unusquisque uxorem suam sicut se ipsum diligat, uxor autem timeat virum suum.

III. Constat 2) ex Traditione, cuius testes sunt Tertullianus in Apolog. n. 15. inquiens: «Christianus *uxori suae soli* masculus nascitur». Clemens. Alex. Stram. L. III. «Sed idem vir et Dominus (Christus) non amplius concedit polygamiam. Tunc enim (in lege Veteri) id exigebat Deus, quando oportebat augeri et multiplicari populum. *Monogamiam* autem introducit propter liberorum procreationem et domus curam gerendam, ad quam data est mulier adiutrix». Ambros. De Abraham L. I. c. 7. «Non licet tibi uxore vivente uxorem ducere. Nam et aliam quaerere, cum habeas tuam, crimen est adulterii». Augustinus de nupt. et concup. I. I. c. 10. «Hoc custoditur in Christo et in Ecclesia, ut vivens cum vivente in aeternum nullo divortio separetur. Cuius sacramenti tanta est obser-

vatio... in Ecclesia Christi.... ut cum procreandorum filiorum causa vel nubant feminae vel ducantur uxores, nec sterilem coniugem fas sit relinquere ut alia fecunda ducatur. Quod si quisquam fecerit, non lege huius seculi, ubi interveniente repudio, sine crimine conceditur cum aliis alia copulare connubia... sed lege Evangelii reus est adulterii, sicut etiam illa si alteri nupserit. Et usque adeo manent inter viventes semel inita iura nuptiarum, ut potius sint inter se coniuges qui ab alterutro separati sunt quam cum his, quibus aliis adhaeserunt. Cum aliis quippe adulteri non essent, nisi ad alterutrum coniuges permanerent ». Conc. Milevitanum 11. can. 17. « Placuit ut secundum evangelicam et apostolicam disciplinam nemo dimissus ab uxore, neque dimissa a marito, alteri coniungantur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad poenitentiam redigantur ». Habes ergo ex Patribus secundas nuptias priore vivente coniuge et a Deo prohibitas esse et adulteria esse, atque idcirco nullas coniunctiones matrimoniales. Idem docent Romani Pontifices Innocentius I epist. 4 ad Exuperium : « Qui uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse coniugium, ad aliam copulam festinarunt non possunt adulteri non videri ». Nicolaus I ad Consulta Bulgarorum c. 51. « Duas tempore uno habere uxores nec ipsa origo humanae conditionis admittit, nec lex christianorum ulla permittit ». Cf. et in Decretal. Titulum de sponsa duorum.

IV. Neque in tota antiquitate ullum documentum reperire est, quo polygamia simultanea ne dum probata, sed permissa fuerit. Distinguenda est enim haec quaestio ab ea, an propter adulterium uxoris liceat coniugium dissolvere. Nec sollicitos esse oportet edicti Valentiniani senioris imperatoris, quod refert Socrates Hist. L. IV. c. 31 quod credibile non est. Id enim ab usu et iure romano abhorrebat. Cf. Barnabae Brissonii tractatum De iure connubiorum in Thesauro Antiqq. romanarum Ioann. Georgii Graevii Tom. VIII. Ibi refertur dictum Plutarchi (in Collatione Demetrii et Antonii n. 3), quod : « Antonius duas uxores eodem tempore habuit, quod nemo romanorum antea ausus fuerat ». Sic vero disputat idem Brissonius: « an autem concubina (quae vera uxor licet secundo loco foret) uxori iure quiritium adiungi posset, dubitari scio. Hoc certe nec iura antiqua nec sua concedere Iustinianus scribit (non ergo concessit Valentinianus) L. ult. communia de manumissionibus. Ulpianus ait L. ult. in fin. De Divortiis, quod si patronus, qui libertam duxerit, ei concubinam adhibuisset, inde coniecturam capi nolle eam nuptam habere, quoniam cum uxore concubina haberi non posset. Idem ipsum Constantini M. constitutio prohibebat L. unica De Concubinis. Nemini licentia concedatur, constante matrimonio, concubinam

penes se habere ». Quamobrem Gellius eam, quae iuncta consuetaque esset cum eo, in cuius manu mancipioque alia matrimonii causa foret, probrosam habitam lege Numae ostendit (N. A. L. 4. c. 3), hasque mulieres, quae cum eo, cui uxor esset, corpus miscerent, pellices appellatas ibid. tradit ». Confutationem Socratis lege apud Baronium ad ann. 370 qui monet duas habere uxores iam prohibuisse Valerianum et Gallienum (L. 18. C. ad legem Iuliam de Adulteriis) atque Diocletianum et Maximianum (L. 2. C. De Incestis nuptiis) tum Theodosium M. idem prohibuisse Iudaeis (L. 7. C. De Iudaeis).

V. Quid vero de responso Gregorii II ad Bonifacium (epist. *Desiderabilem*. « Nam quod proposuisti, quod si mulier infirmitate correpta (al. corrupta) non valuerit debitum viro reddere, quid eius faciet iugalis? Bonum esset si sic permaneret, ut abstinentiae vacaret. Sed quia hoc magnorum est, ille qui se non poterit continere, nubat magis: non tamen subsidii opera subtrahat ab illa, quam infirmitas praepedit et non detestabilis culpa excludit ». Sebastianus Berardi (Gratiani Canones genuini Tom. II. p. 2. c. 68), censet Gregorium egisse de matrimoniis a Germanis contractis ante baptismum in infidelitate, quae, ut ipse credit, etiam post baptismum non evadunt rata, ac respondisse, seposita lege Evangelii, secundum normam naturalis honestatis, quae illud per se non prohibebat. Hoc alterum quidem probare non possumus, cum ab initio epistolae Gregorius affirmet se responsurum interrogationibus Bonifacii non ex se sed « eius gratia qui aperit os mutorum et linguas infantium facit disertas » ac traditurum « doctrinam apostolici vigoris ». Censemus praeterea (pag. 96) fieri ratum matrimonium in infidelitate contractum, suscepto baptismo. Nec decebat Apostolicam Sedem pro sui magisterii praerogativa interrogatam respondere e sententia hominum, non e sententia Christi. Quid ergo? Cum careamus epistola Bonifacii sciscitantis, non licet evidentem rei declarationem proferre. Aliunde vero constat certa sententia Gregorii II: polygamiam nempe simultaneam illicitam esse (in Instructione data suis Legatis in Bavariam): dissolutionem vero matrimonii consummati, testantibus successoribus eius, semper reprobavit Romana Ecclesia. Respondemus ergo quod probabiliter de matrimonio agebatur nondum consummato, quod proinde vel ex impotentia nullum erat, ut interpretari videtur hoc responsum Gregorii Caelestinus III c. *Laudabilem De Frigidis,* vel cum solum ratum esset, ex potestate sua solvit Romanus Pontifex et sic permisit viro alias inire nuptias, consulens tamen illi curam gerere relictae, quae citra culpam separabatur.

Addere tandem licet quod si creditum olim fuisset licere polygamiam simultaneam, nulla appareret ratio cur quaedam aversio

certusque horror plures occupasset erga polygamiam successivam. Hoc scilicet factum supponit creditum esse quod unus uni simultanee copulari tantum debeat.

VI. Constat 3) ex re significata. Matrimonium enim est signum unionis Christi cum Ecclesia ita ut vir debeat diligere uxorem suam eique adhaerere, sicut Christus Ecclesiam dilexit eique adhaesit: atqui Christus totum suum amorem in unam Ecclesiam transtulit ut unus uni adhaereret; sic ergo et vir Christianus diligere uxorem debet ut affectum maritalem non dividat in plures uxores, sed unus uni copuletur. Scilicet similitudo inter matrimonium Christianum et Christi cum Ecclesia coniugium non in eo est tantum quod vir et mulier uniantur in unum, fiantque una caro sive unum principium generationis: sed et in modo quoque quo vir adhaeret uxori ipsam diligens sicut Christus Ecclesiam: Christus autem ita dilexit eam ut unam diligeret. Haec ratio valet pro quovis matrimonio, quia significatio haec instituta est ab initio. Cf. quae dicemus in Th. seq. Quia vero significatio actualis est ex institutione Dei, nihil prohibet quod Deus aliquando, ante completam unionem Christi cum Ecclesia per incarnationem, dispensaverit ab lege monogamiae simultaneae, ut deinceps videbimus.

VII. Ex doctrina Scripturae et Patrum habes damnari irritasque declarari secundas simultaneas nuptias etiam in hypothesi separationis aut divortii, imo has potissimum directe reprobari, unde collegimus omnes simpliciter proscribi. Ergo eae secundae nuptiae, quas post divortium civili iure factum contrahunt christiani, vivente adhuc priore coniuge, sunt turpes concubinatus.

THESIS XIV.

Comparata polygamia cum iure naturali, eadem non adversatur primis eius praeceptis, quibus quae sunt essentialia praecipiuntur; adversatur autem iis, quibus suadentur quae sunt congruentia.

I. Distinguunt Theologi cum s. Thoma (q. LXV. a. 1), praecepta *prima* et *secunda*. Prima dicuntur ea, quae per se evidentia sunt omnibus et eum locum tenent in operabilibus, quem prima principia in speculativis. Secunda vocantur illa, quae ex primis derivantur, sicut conclusiones in speculativis ex principiis per se notis. Ait porro s. Doctor quod quidquid inconvenientem reddit actionem fini, quem natura ex opere aliquo intendit, contra legem naturae esse dicitur. Finis autem, cui actio non conveniens sit, potest esse vel principalis,

vel secundarius. Item modus, quo actio opponitur fini sive primario sive secundario, potest esse duplex, nam vel impedit prorsus finem, vel facit difficilem aut minus decentem perventionem ad finem. Iam vero si actio sit inconveniens fini, ut omnino impediat finem principalem, ea prohibetur primis praeceptis legis naturae: si autem actio faciat difficilem, vel minus congruam perventionem ad finem principalem, aut quocumque modo incompetens sit fini secundario, ea prohibetur praeceptis secundis legis naturae.

Distinctio praeceptorum in duplicem classem potest quoque hoc alio modo exhiberi, ut nempe quaedam praecepta sint, quae praecipiunt id quod est essentiale fini intento a natura, quod quidem est intrinsece bonum, et cuius oppositum est intrinsece malum: quaedam autem sint, quae praecipiunt vel suadent id quod est congruum fini, quod deinceps positiva lege firmari potest fierique prorsus necessarium.

II. Iam vero polygamiam non esse prorsus contra naturae legem, seu non opponi primis praeceptis, quae essentialia praecipiunt, et extrinsece et intrinsece probatur. Extrinsece, quia ea in lege vetere, Deo permittente, usurpabatur. Id 1° patet ex modo quo lex sequens proponitur. Deuter. XXI. 15 seq. Si habuerit homo uxores duas (כִּי תִהְיֶנָה לְאִישׁ שְׁתֵּי נָשִׁים) Si sint viro binae uxores, h. e. si habeat vir binas uxores (quod proprie de polygamia simultanea intelligitur; quod certe ex specie propositi casus manifestum est, ex quo apparet utriusque filium potuisse esse primogenitum) unam dilectam et alteram odiosam, genuerintque ex eo liberos, et fuerit filius odiosae primogenitus volueritque substantiam inter filios dividere; non poterit filium dilectae facere primogenitum et praeferre filio odiosae. Iura primogeniti vult Deus integra manere etsi is sit filius odiosae vel minus dilectae: id vero supponit Deum habuisse utramque mulierem pro vera uxore; iura enim primogeniti non nisi ad filios legitimos spectant. At si Deus habebat utramque pro vera uxore, erat ergo talis, h. e. verum matrimonium inter virum et ipsas exsistebat, ideoque licita erat ea coniunctio. Supponitur ergo odiosa, quae poterat etiam esse secundo nupta, esse uxor, sive utraque vera uxor habetur. Item ibid. c. XVII. 16 seq.: praeceptum fertur quoad regem: non multiplicabit sibi equos לֹא יַרְבֶּה־לּוֹ סוּסִים... non habebit uxores plures (יַרְבֶּה־לּוֹ נָשִׁים) quae alliciant animum eius neque argenti et auri immensa pondera (eadem occurrit phrasis): quibus verbis non una uxor praecipitur, sicut nec unus equus; sed immodicus excessus prohibetur; implicite vero aliqua multitudo uxorum permittitur. Sane 2) multi sanctissimi viri Deoque maxime cari uxores plures habuere, ut Abraham duas habuit Saram et Agar.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

certusque horror plures occupasset erga polygamiam successivam. Hoc scilicet factum supponit creditum esse quod unus uni simultanee copulari tantum debeat.

VI. Constat 3) ex re significata. Matrimonium enim est signum unionis Christi cum Ecclesia ita ut vir debeat diligere uxorem suam eique adhaerere, sicut Christus Ecclesiam dilexit eique adhaesit: atqui Christus totum suum amorem in unam Ecclesiam transtulit ut unus uni adhaereret; sic ergo et vir Christianus diligere uxorem debet ut affectum maritalem non dividat in plures uxores, sed unus uni copuletur. Scilicet similitudo inter matrimonium Christianum et Christi cum Ecclesia coniugium non in eo est tantum quod vir et mulier uniantur in unum, fiantque una caro sive unum principium generationis: sed et in modo quoque quo vir adhaeret uxori ipsam diligens sicut Christus Ecclesiam: Christus autem ita dilexit eam ut unam diligeret. Haec ratio valet pro quovis matrimonio, quia significatio haec instituta est ab initio. Cf. quae dicemus in Th. seq. Quia vero significatio actualis est ex institutione Dei, nihil prohibet quod Deus aliquando, ante completam unionem Christi cum Ecclesia per incarnationem, dispensaverit ab lege monogamiae simultaneae, ut deinceps videbimus.

VII. Ex doctrina Scripturae et Patrum habes damnari irritasque declarari secundas simultaneas nuptias etiam in hypothesi separationis aut divortii, imo has potissimum directe reprobari, unde collegimus omnes simpliciter proscribi. Ergo eae secundae nuptiae, quas post divortium civili iure factum contrahunt christiani, vivente adhuc priore coniuge, sunt turpes concubinatus.

THESIS XIV.

Comparata polygamia cum iure naturali, eadem non adversatur primis eius praeceptis, quibus quae sunt essentialia praecipiuntur; adversatur autem iis, quibus suadentur quae sunt congruentia.

I. Distinguunt Theologi cum s. Thoma (q. LXV. a. 1), praecepta *prima* et *secunda*. Prima dicuntur ea, quae per se evidentia sunt omnibus et eum locum tenent in operabilibus, quem prima principia in speculativis. Secunda vocantur illa, quae ex primis derivantur, sicut conclusiones in speculativis ex principiis per se notis. Ait porro s. Doctor quod quidquid inconvenientem reddit actionem fini, quem natura ex opere aliquo intendit, contra legem naturae esse dicitur. Finis autem, cui actio non conveniens sit, potest esse vel principalis,

vel secundarius. Item modus, quo actio opponitur fini sive primario sive secundario, potest esse duplex, nam vel impedit prorsus finem, vel facit difficilem aut minus decentem perventionem ad finem. Iam vero si actio sit inconveniens fini, ut omnino impediat finem principalem, ea prohibetur primis praeceptis legis naturae: si autem actio faciat difficilem, vel minus congruam perventionem ad finem principalem, aut quocumque modo incompetens sit fini secundario, ea prohibetur praeceptis secundis legis naturae.

Distinctio praeceptorum in duplicem classem potest quoque hoc alio modo exhiberi, ut nempe quaedam praecepta sint, quae praecipiunt id quod est essentiale fini intento a natura, quod quidem est intrinsece bonum, et cuius oppositum est intrinsece malum: quaedam autem sint, quae praecipiunt vel suadent id quod est congruum fini, quod deinceps positiva lege firmari potest fierique prorsus necessarium.

II. Iam vero polygamiam non esse prorsus contra naturae legem, seu non opponi primis praeceptis, quae essentialia praecipiunt, et extrinsece et intrinsece probatur. Extrinsece, quia ea in lege vetere, Deo permittente, usurpabatur. Id 1° patet ex modo quo lex sequens proponitur. Deuter. XXI. 15 seq. Si habuerit homo uxores duas (כִּי תִהְיֶנָה לְאִישׁ שְׁתֵּי נָשִׁים) Si sint viro binae uxores, h. e. si habeat vir binas uxores (quod proprie de polygamia simultanea intelligitur; quod certe ex specie propositi casus manifestum est, ex quo apparet utriusque filium potuisse esse primogenitum) unam dilectam et alteram odiosam, genuerintque ex eo liberos, et fuerit filius odiosae primogenitus volueritque substantiam inter filios dividere; non poterit filium dilectae facere primogenitum et praeferre filio odiosae. Iura primogeniti vult Deus integra manere etsi is sit filius odiosae vel minus dilectae: id vero supponit Deum habuisse utramque mulierem pro vera uxore; iura enim primogeniti non nisi ad filios legitimos spectant. At si Deus habebat utramque pro vera uxore, erat ergo talis, h. e. verum matrimonium inter virum et ipsas exsistebat, ideoque licita erat ea coniunctio. Supponitur ergo odiosa, quae poterat etiam esse secundo nupta, esse uxor, sive utraque vera uxor habetur. Item ibid. c. XVII. 16 seq.: praeceptum fertur quoad regem: non multiplicabit sibi equos לֹא יַרְבֶּה־לּוֹ סוּסִים... non habebit uxores plures (יַרְבֶּה־לּוֹ נָשִׁים) quae alliciant animum eius neque argenti et auri immensa pondera (eadem occurrit phrasis): quibus verbis non una uxor praecipitur, sicut nec unus equus; sed immodicus excessus prohibetur; implicite vero aliqua multitudo uxorum permittitur. Sane 2) multi sanctissimi viri Deoque maxime cari uxores plures habuere, ut Abraham duas habuit Saram et Agar.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Iacob quatuor, Liam, Rachelem, Balam, Zelpham. Elcana duas, Annam, Phenennam, David certe plures cf. 2. Reg. V. 13. XV. 16. 1. Paral. III. 1 seqq. Assur duas 1. Paral. IV. 5 etc. Iam vero haec non simplex tollerantia, sed permissio Dei dicenda est; nam existimare haud licet sanctos Patriarchas aut ignorasse quid eos facere ex iure naturae oporteret, aut contra conscientiam egisse, nulla vero unquam in Scripturis huius rei reprehensio aut reprobatio occurrit. Haec porro est plurium Patrum interpretatio. Quid quod Deus ipse, lege leviratus a se condita Deut. XXV. 5–9, occasionem frequenter dedit huiusmodi nuptiis? non enim excipitur, si frater defuncti iam sit uxoratus. Itaque Deus polygamiam simultaneam in L. V. permisit. Atqui Deus permittere nequid quod est intrinsece malum; huiusmodi autem est quod primis praeceptis iuris naturae prohibetur: ergo. Concubinae autem dicebantur quaedam, non quia non essent verae uxores, sed quia non essent matresfamilias, consortes honoris et iurium viri. Cf. 3. Reg. XI. 3.

III. Intrinsece quoque probatur a s. Thoma l. c. quia matrimonium habet pro fine principali prolis procreationem et educationem... pro fine secundario communicationem operum... et, in quantum est inter fideles, significationem Christi et Ecclesiae... Pluralitas autem uxorum neque totaliter tollit neque aliqualiter impedit matrimonii primum finem, cum unus vir sufficiat pluribus uxoribus fecundandis et educandis filiis ex ea natis. Secundum verum finem non totaliter tollit, quamvis multum impediat, eo quod non facile potest esse pax in familia, ubi uni viro plures iunguntur uxores; nec potest vir uxoribus petentibus semper satis facere. Tertium vero finem ait s. Thomas totaliter tolli, sed ipse ex iure naturae non est necessarius matrimonio. Ergo polygamia non est contra prima praecepta naturae, quae quod essentiale est praecipiunt, neque proinde est simpliciter contra naturam.

IV. Sane pluribus in locis Augustinus ab omni malitia immunem vult coniunctionem Abrahami cum Agar: « Quod attinet ad rem gestam, nullo modo est inurendum de hac concubina crimen Abrahae; usus est ea quippe ad generandam prolem, non ad explendam libidinem nec insultans, sed potius obediens coniugi, quae suae sterilitatis credidit esse solatium, si fecundum ancillae uterum, quoniam natura non poterat, voluntate faceret suum.... Nulla est hic cupido lasciviae, nulla nequitiae turpitudo (De Civ. Dei L. XVI. c. 25) ». Porro ea ratio Augustini valeret nihil, nisi ponatur nulla Dei lege id fuisse tunc prohibitum, seu quod perinde est, tunc a Deo fuisse permissum. Nam certe propter eam rationem non probasset Augustinus in lege Evangelii huiusmodi matrimonia. Cf. L. XXII. contr.

Faustum c. 32. L. II. contr. Adversarium legis et prophetarum c. 9. L. III. De Doct. Christ. c. 18. et l. I. De nuptiis et concup. c. 8.... « Sic (honeste scilicet, ut spiritualiter regenerandi carnaliter gignerentur) patres sanctos ex Abraham et ante Abraham, quibus Deus quod ei placuerint perhibet testimonium, usos fuisse coniugibus neminem oportet dubitare christianum: quando quibusdam etiam singulis plures habere concessum est, ubi ratio fuit prolis multiplicandae, non variandae appetitio voluntatis ». Et de Bono Coniugali n. 33 contra Manichaeos, qui patres V. T. de pluribus calumniabantur uxoribus, ait eos non aliquid commisisse « contra praeceptum, quia nulla lege prohibebantur ». Cf. Hieronymum epist. 123 ad Ageruchiam n. 12. Chrysost. hom. 56. in Gen. n. 3. « Audiens Iacobum accepisse maiorem natu et postea minorem ne turberis: neque secundum statum, qui nunc est, opera quae tunc facta sunt iudices. Tunc enim, quia principia erant, permissum est cum duabus vel tribus vel pluribus uxoribus misceri, ut humanum genus propagaretur ».

Ambrosius quidem Lib. I. De Abraham c. 4 improbare videtur unionem Abrahami cum Agar tanquam malam, at reapse non est ita. Ut enim facti huius rationem reddat, ait: « Sed consideremus primum quia Abraham ante legem Moysis et ante Evangelium fuit: nondum interdictum adulterium videbatur. Poena criminis ex tempore legis est, quae crimen inhibuit, nec ante legem ulla rei damnatio est, sed ex lege. Non ergo in legem praevenit. Deus in paradiso licet coniugium laudaverit, non adulterium damnaverat ». Si adulterium proprie accipis, habes ab Ambrosio aliquando ipsum licuisse nec naturae iure prohiberi: quod satis absurdum est, ipsique Ambrosio repugnans hoc eodem in libro c. 2. n. 8 asserenti e contrario id iure ac lege naturae vetitum esse, idque notum fuisse Pharaoni: censuit autem Ambrosius: « eandem a viro, quae ab uxore deberi castimoniam » heic l. c. Nempe adulterium hoc in loco est Ambrosio id quod sua aetate propter Christi legem erat et dicebatur adulterium, unio nempe viri habentis uxorem cum alia muliere. Id negat Ambrosius aetate Abrahami fuisse prohibitum, ideirco eum negat peccasse in legem. Permissionis huius ibid. eas rationes affert Ambrosius, quas et Augustinus. Alibi tamen non negamus Ambrosium satis clare significasse censere se quod Abraham hac in re peccaverit, ut lib. De Paradiso c. XIII. n. 65: at culpa, quam supponit Ambrosius, potest esse venialis, quae rei per se spectatae non excludat liceitatem.

V. Est tamen polygamia haec simultanea quodammodo contra legem naturae, quatenus opponitur praeceptis praecipientibus vel suadentibus quod congruum est matrimonio. Si enim spectetur finis

secundarius, maxime ipsi congruum est ut una sit mulier, tum quia difficilis est pax in familia pluribus uxoribus exsistentibus; communicatio enim plurium in re amata causat zelum et lites: tum quia congruum est ut vir satisfaciat uxori quotiescumque iure petit. Et praeterea, quamvis essentia matrimonii vera sit etiam in viro et singulis suis uxoribus; congruum est tamen ut quemadmodum uxor totam sui corporis potestatem tradit viro, ut non sibi reservet ius alteri tradendi, ita et vir plenam sui corporis potestatem tradat uxori, ut obligatio, quam contrahit, par sit potestati, quam accipit. Itaque polygamia est quodammodo contra naturam, quatenus minus congruit matrimonio.

Ut difficultates solvas contra hanc ultimam conclusionem, adverte cum s. Thoma l. c. ad 7^m^ quod vir per matrimonium non dat sui corporis potestatem uxori quantum ad omnia, sed solum quantum ad illa, quae matrimonium requirit. Non autem requirit matrimonium ut quolibet tempore uxori petenti vir debitum reddat, quantum ad id ad quod matrimonium principaliter est institutum, scilicet bonum prolis, sed quatenus sufficit ad impraegnationem. Requiritur autem hoc a matrimonio inquantum est ad remedium institutum, ut nempe quolibet tempore petenti debitum reddatur. Hic autem est finis secundarius matrimonii. Et sic patet quod accipiens plures uxores non se obligat ad impossibile considerato principali fine matrimonii. Et ideo pluralitas uxorum non est contra prima praecepta legis naturae. Rursus ad 8^m^. Illud praeceptum legis naturae: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris,* debet intelligi eadem proportione servata. Non enim si Praelatus non vult sibi resisti a subdito, ipse subdito resistere non debet. Et ita non oportet quod sicut vir non vult mulierem habere alium virum, ipse non habeat aliam uxorem. Quia hoc non est contra prima praecepta legis naturae, sicut illud. Et ad 9^m^. Non ita est contra naturalem inclinationem quod vir habeat plures uxores, quam quod uxor habeat plures viros. Unde affectus uxoris non tantum refugit consortium in viro, sicut e converso. Et ideo tam in hominibus quam in aliis animalibus invenitur maior zelus maris ad feminam, quam e converso.

VI. Adverte tandem quod ut polygamia, seposita etiam positiva lege prohibente, sit licita, necesse est ut propter honestos matrimonii fines, non propter effrenem libidinem contrahatur, atque ita ut uxoribus fas sit et ad prolem generandam et in remedium concupiscentiae uti matrimonio: quos quidem limites praetergressum esse Salomonem, qui millibus copulatus est, quis non videt?

THESIS XV.

Ratione tandem habita primitivae divinae institutionis, per eam monogamiae certe norma et exemplar praestitutum est eiusque congruentia significata: imo videtur quoque ibi lex eiusdem lata pro omnibus futuris matrimoniis, licet deinceps ab ea lege aliquo tempore sit dispensatum a Deo.

I. Quaestio est tandem an iure primitivae institutionis polygamia fuerit illicita et irrita; h. e. an in ipsa divina institutione matrimonii, lex a Deo lata fuerit de monogamia irritam faciens polygamiam. Certum est omnesque id facile concedunt, quod Deus, cum primum coniugium instituit nonnisi unam Hevam uni Adamo copulans, facto huiusmodi ostendit monogamiam hominis conditioni congruere, atque hunc statum esse homini maxime naturalem, sibique auctori naturae probari monogamiam. Primus enim parens alias uxores habere non poterat, quam quas Deus creasset; nimis enim naturae adversatur patrem ducere filiam: Deus autem unam tantum mulierem viro Adamo fabricatus coegit ipsum monogamum esse. Est vero prorsus secundum rationem quod Deus in ipsa institutione matrimonii exemplum normamque praestituere voluerit coniugiorum deinceps secundum naturae leges contrahendorum. Quaeritur autem utrum in ipsa institutione *lex proprie* lata a Deo fuerit praecipiens monogamiam, atque sic sanciverit praeceptum secundarium iuris naturae, ita ut deinde pro polygamia licite adhibenda opus fuerit *divina dispensatione.*

II. Disputant Theologi. Quidam id negant aiuntque solo iure positivo Evangelico polygamiam prohibitam fuisse. Innituntur ii potissimum auctoritati Patrum, qui huiusmodi primitivam legem videntur negare; ita Clemens Alex. Strom. L. III. l. c. qui docet Deum *exegisse* in vetere oeconomia polygamiam; Hieronymus epist. 69 ad Oceanum inquiens n. 5.: « Sciebat Apostolus *lege concessum,* et exemplo patriarcharum ac Moysi familiare populo noverat in multis uxoribus liberos spargere; ipsis quoque sacerdotibus huius licentiae patebat arbitrium ». Augustinus De Doct. Christ. L. III. c. 12. « Sufficiendae prolis causa erat uxorum plurium simul uni viro habendarum *inculpabilis consuetudo* ». De Civit. Dei L. XVI. c. 38. « Eo tempore multiplicandae posteritatis causa plures uxores *lex nulla* prohibebat ». Contra Faustum L. XXII. c. 47. « Alia sunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra praecepta. Quae cum ita sint, quid tandem est quod de pluribus simul habitis uxoribus

secundarius, maxime ipsi congruum est ut una sit mulier, tum quia difficilis est pax in familia pluribus uxoribus exsistentibus; communicatio enim plurium in re amata causat zelum et lites: tum quia congruum est ut vir satisfaciat uxori quotiescumque iure petit. Et praeterea, quamvis essentia matrimonii vera sit etiam in viro et singulis suis uxoribus; congruum est tamen ut quemadmodum uxor totam sui corporis potestatem tradit viro, ut non sibi reservet ius alteri tradendi, ita et vir plenam sui corporis potestatem tradat uxori, ut obligatio, quam contrahit, par sit potestati, quam accipit. Itaque polygamia est quodammodo contra naturam, quatenus minus congruit matrimonio.

Ut difficultates solvas contra hanc ultimam conclusionem, adverte cum s. Thoma l. c. ad 7^m^ quod vir per matrimonium non dat sui corporis potestatem uxori quantum ad omnia, sed solum quantum ad illa, quae matrimonium requirit. Non autem requirit matrimonium ut quolibet tempore uxori petenti vir debitum reddat, quantum ad id ad quod matrimonium principaliter est institutum, scilicet bonum prolis, sed quatenus sufficit ad impraegnationem. Requiritur autem hoc a matrimonio inquantum est ad remedium institutum, ut nempe quolibet tempore petenti debitum reddatur. Hic autem est finis secundarius matrimonii. Et sic patet quod accipiens plures uxores non se obligat ad impossibile considerato principali fine matrimonii. Et ideo pluralitas uxorum non est contra prima praecepta legis naturae. Rursus ad 8^m^. Illud praeceptum legis naturae: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris,* debet intelligi eadem proportione servata. Non enim si Praelatus non vult sibi resisti a subdito, ipse subdito resistere non debet. Et ita non oportet quod sicut vir non vult mulierem habere alium virum, ipse non habeat aliam uxorem. Quia hoc non est contra prima praecepta legis naturae, sicut illud. Et ad 9^m^. Non ita est contra naturalem inclinationem quod vir habeat plures uxores, quam quod uxor habeat plures viros. Unde affectus uxoris non tantum refugit consortium in viro, sicut e converso. Et ideo tam in hominibus quam in aliis animalibus invenitur maior zelus maris ad feminam, quam e converso.

VI. Adverte tandem quod ut polygamia, seposita etiam positiva lege prohibente, sit licita, necesse est ut propter honestos matrimonii fines, non propter effrenem libidinem contrahatur, atque ita ut uxoribus fas sit et ad prolem generandam et in remedium concupiscentiae uti matrimonio: quos quidem limites praetergressum esse Salomonem, qui millibus copulatus est, quis non videt?

THESIS XV.

Ratione tandem habita primitivae divinae institutionis, per eam monogamiae certe norma et exemplar praestitutum est eiusque congruentia significata: imo videtur quoque ibi lex eiusdem lata pro omnibus futuris matrimoniis, licet deinceps ab ea lege aliquo tempore sit dispensatum a Deo.

I. Quaestio est tandem an iure primitivae institutionis polygamia fuerit illicita et irrita; h. e. an in ipsa divina institutione matrimonii, lex a Deo lata fuerit de monogamia irritam faciens polygamiam. Certum est omnesque id facile concedunt, quod Deus, cum primum coniugium instituit nonnisi unam Hevam uni Adamo copulans, facto huiusmodi ostendit monogamiam hominis conditioni congruere, atque hunc statum esse homini maxime naturalem, sibique auctori naturae probari monogamiam. Primus enim parens alias uxores habere non poterat, quam quas Deus creasset; nimis enim naturae adversatur patrem ducere filiam: Deus autem unam tantum mulierem viro Adamo fabricatus coegit ipsum monogamum esse. Est vero prorsus secundum rationem quod Deus in ipsa institutione matrimonii exemplum normamque praestituere voluerit coniugiorum deinceps secundum naturae leges contrahendorum. Quaeritur autem utrum in ipsa institutione *lex proprie* lata a Deo fuerit praecipiens monogamiam, atque sic sanciverit praeceptum secundarium iuris naturae, ita ut deinde pro polygamia licite adhibenda opus fuerit *divina dispensatione.*

II. Disputant Theologi. Quidam id negant aiuntque solo iure positivo Evangelico polygamiam prohibitam fuisse. Innituntur ii potissimum auctoritati Patrum, qui huiusmodi primitivam legem videntur negare; ita Clemens Alex. Strom. L. III. l. c. qui docet Deum *exegisse* in vetere oeconomia polygamiam; Hieronymus epist. 69 ad Oceanum inquiens n. 5.: « Sciebat Apostolus *lege concessum,* et exemplo patriarcharum ac Moysi familiare populo noverat in multis uxoribus liberos spargere; ipsis quoque sacerdotibus huius licentiae patebat arbitrium ». Augustinus De Doct. Christ. L. III. c. 12. « Sufficiendae prolis causa erat uxorum plurium simul uni viro habendarum *inculpabilis consuetudo* ». De Civit. Dei L. XVI. c. 38. « Eo tempore multiplicandae posteritatis causa plures uxores *lex nulla* prohibebat ». Contra Faustum L. XXII. c. 47. « Alia sunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra praecepta. Quae cum ita sint, quid tandem est quod de pluribus simul habitis uxoribus

obiicitur sancto viro Iacob? Si naturam consulas, non lasciviendi sed gignendi causa illis mulieribus utebatur; si morem, illo tempore atque in illis terris hoc factitabatur: si praeceptum, *nulla lege* prohibebatur ». Theodoretus Quaest. 67 in Genes. « Rogavit Sara ea de causa Abraham ut cum Agar congrederetur, quo ipsa liberos inde susciperet: quid peccavit Abraham? maxime cum *neque natura, neque lex ulla tum scripta* plures ducere uxores prohiberet ». Haec sunt clariora testimonia quae afferuntur. Cf. Perrone De Matrim. L. III. Sect. c. 1. a. 3.

III. Alii e contrario docent in ipsa institutione Deum positiva lege sanxisse praeceptum secundarium naturae de monogamia; ideoque divina dispensatione factum esse ut polygamia aliquando liceret; hanc sententiam communem esse scholasticis tradit Bellarminus De Matrim. c. 11 eamque s. Thomas docere videtur q. LXV. a. 2. Primum argumentum hoc esse potest ex auctoritate Concilii Tridentini. Sess. XXIV. De Sacram. Matrim. ait quod: « hoc matrimoniali vinculo duos tantummodo copulari Christus *apertius docuit*, cum postrema illa verba (erunt duo carne una) tanquam a Deo prolata referens dixit: itaque iam non sunt duo, sed una caro, statimque eiusdem nexus firmitatem ab Adamo tanto ante praenunciatam his verbis confirmavit: quod ergo Deus coniunxit, homo non separet ». Porro Christus docens, idem iussit quod docuit; sive doctrina heic est doctrina practica, quid faciendum sit praescribens. Iam vero si verba Adami, quae sunt verba Dei, explicans Christus *apertius docuit* unitatem matrimonii: ergo eandem satis aperte docuerat h. e. iusserat ab initio Deus. Scilicet Tridentini Patres non tribuunt Christo quod ipse primus id docuerit, neque quod ipse primus id aperte docuerit, sed tantum quod apertius, quatenus nempe significavit (quod Moyses non notavit) Adamum ex spiritu Dei esse locutum; intulitque non amplius esse duo sed unam carnem neque hominem separare posse quod Deus coniunxit. Quod si verbis Adami doctrina haec practica sive lex Dei iam continebatur, arbitrari licet Adamum, qui ea verba protulit, eorum sensum seu legem eam intellexisse; quo posito ea lex capiti totius naturae promulgata fuisse dicenda est.

Argumentum alterum ex praxi Ecclesiae, quod Bellarminus l. c. et Sanchez L. VII. D. 82 adhibent. Nimirum si infidelis polygamus ad Baptismum veniat, cogitur dimittere ceteras mulieres praeter primam; censet ergo Ecclesia solum coniugium cum prima fuisse verum matrimonium. Si enim in infidelitate fuisset verum matrimonium cum secunda; illud non praescriberet Ecclesia, tum quia per sacramentum baptismi non solvuntur coniugia, sed crimina dimittuntur, ut ait Innocentius III. c. Gaudemus, de divortiis, tum quia lex

christiana prohibet dirimi vera matrimonia, ut Bellarminus monet. Praeterea, si id Ecclesia praeciperet tantum eo quod christianos non liceat plures habere uxores, censens tamen vera esse matrimonia cum pluribus contracta in infidelitate, potestatem faceret alterutram ex prioribus coniugibus retinendi: atqui praecipit primam (quae supponitur vera uxor) retineri, ceteris dimissis (Cat. Rom. De Matrim. n. 19. c. Gaudemus De divortiis); quamvis identidem dispensatum fuerit ut altera non prior retineretur quibusdam in casibus, cum nempe auctoritate Rom. Pontificis dissolutum est matrimonium contractum in infidelitate: sed tunc renovandus est debita forma consensus, quia prior consensus cum secunda muliere praestitus in infidelitate nullus fuit. Iam vero vel Ecclesia censet ea secunda coniugia in infidelitate esse nulla iure naturali tantum, vel iure etiam divino. Atqui non iure naturali tantum; quia ea opponuntur solis praeceptis secundis, quae quid honestius sit docent, non quid necessarium. Ius autem divinum vel est lex a Christo lata in Evangelio, vel lex lata a Deo in institutione primitiva; at lex Christi solos fideles obligat: ergo dicenda est lex esse lata ab initio: igitur Ecclesia censet tunc latam fuisse huiusmodi legem.

Tertio est auctoritas Innocentii III. c. d. Gaudemus; ait enim quod: « nulli unquam licuit in simul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum ».

IV. Si utriusque partis argumenta conferantur, liquet testimonia Patrum allata pro prima sententia posse ita accipi ut non repugnent secundae. Si enim dispensatio aliqua pro certo tempore eaque communis, quam secunda sententia necessariam fuisse putat et exstitisse censet, facta est a Deo; vere dici potest quod pro eo tempore iisque personis lex non exstabat, quatenus eius vis suspensa erat; neque ulla lex scripta aetate Abrahami certe erat, ut ait Theodoretus.

V. Verum si ita res est, ergo statim ac lex condita fuit, dispensatio universis ab eadem concessa est: si enim polygamia licuit post diluvium, etiam antea licuisse dicenda est, quod ex Lamechi quoque exemplo constat: ratio enim concessionis tunc quoque, imo multo magis valebat, multiplicatio scilicet humani generis; at cuiusmodi est lex, a qua, vix ac condita est, dispensatio generalis conceditur?

Respondeo 1) dato etiam quod statim dispensatio fuerit concessa, haec per se non repugnare invicem, quod lex fiat valitura semper et ubique, ac deinde, propter aliquem finem specialem, dispensatio pro certo tempore ab ea concedatur: per accidens enim se habet quod vel subito vel post aliquod tempus addatur legi dispensatio. 2) Certum non est quod statim ab initio concessa fuerit dispensatio huiusmodi. Nam *a*) non videtur sufficiens fuisse ratio eius di-

spensationis concedendae multiplicatio humanis generis; cum enim ipsum ab uno inceperit, idque voluerit Deus, in humani quoque generis positum erat conditione, idque Deus voluisse censendus est, ut paulatim augeretur et propagaretur. Sane *b*) ante diluvium non nisi unius Lamechi ex Caino fit mentio, qui plures habuerit uxores; isque propter hoc reprehenditur ab iis Patribus quoque, qui pro prima sententia citantur, ut ab Hieronymo epist. 79 ad Salvinam, a Tertulliano, de Monogamia c. 4: atque a Pontificibus Nicolao I ad Consulta Bulgar. n. 51. Innocentio III d. c. Gaudemus. Gregorio IX epist. VI ad Germanum Archiep. graecor. Cf. et Theodorum Abucaram opusc. 24 (Migne P. G. V. 97) De una uxore. *c*) Ratio huius dispensationis, quae affertur a Patribus, non est sola multiplicatio prolis, sed multiplicatio prolis ad cultum divinum: « Eâdem quippe (ait August. De bono coniugali n. 18-19-22) venâ caritatis nunc spiritualiter, tunc carnaliter, propter illam matrem Ierusalem propagandi erant filii... Nunc quippe nullus pietate perfectus filios habere nisi spiritualiter quaerit: tunc vero ipsius pietatis operatio erat etiam carnaliter filios propagare, quia illius populi generatio nuncia futurorum erat et ad dispensationem propheticam pertinebat. Illi homines istum naturae mortalis affectum... longe sanctiore mente superabant, qui de suis nuptiis propter Christum prolem quaerebant ». Unde ait s. Thomas (q. LXV. a. 2 ad 4), « quod veniente Christo fuit tempus plenitudinis gratiae, per quam cultus Dei in omnes gentes spiritali propagatione diffusus est. Et ideo non est eadem ratio dispensationis, quae erat ante Christi adventum, quando cultus Dei carnali propagatione multiplicabatur et conservabatur ». Scilicet ante Christi adventum populus Dei carnali generatione propagabatur, at post Christum spirituali generatione verbique praedicatione: ut idcirco: « Christo non officio pariendi, sed studio continendi, nec coniugalibus fetandis visceribus, sed castificandis moribus serviretur » (August. De Bono viduitatis n. 10). Quare collatis his sententiis Patrum possumus saltem tanquam probabilius censere dispensationem polygamiae factam esse post diluvium, qua damnum ab eo illatum citius repararetur; ex ipsa enim institutione humani generis iam oportebat ipsum esse ubique diffusum: repararetur autem multiplicatione prolis divino cultui mancipatae, qui est finis generationis; ideoque hanc potestatem per se factam esse iis, qui prolem hoc modo propagaturi essent, patriarchis scilicet Deum colentibus. Facta autem directe hac permissione hominibus iustis populoque Dei, videtur eam concessionem indirecte extendisse Deus ad omnes etiam infideles. Nam res erat in facto publico posita, nulla autem lex aderat publice promulgata, ex qua intelligi posset eam concessionem ad solos fideles spectare: infideles autem, intercedente praesertim ignorantia primitivae legis et iure naturae non penitus refragante, arbitrari facile poterant sibi licere quod iusti et sancti faciebant: his autem conditionibus exsistentibus, si Deus voluisset solis fidelibus hoc privilegium concedere, exclusis prorsus aliis, id clare declarasset, ne turpis concubinatus praetextu aliquo rationabili ex ipsa concessione Dei orto defenderetur. Censere ergo licet Deum permisisse ut privilegium per se fidelibus concessum ab infidelibus quoque usurparetur. Ex eo autem id erat consequens ut ipsi illo privarentur, vix ac esset illud pro populo Dei sublatum, ita ut ignorantia eos quidem excusaret adhuc, non autem valide plures uxores habere amplius possent. Ita componi posse videntur sententiae Bellarmini et Sanchez l. c.; ille enim putat probabilius esse quod et gentibus ea dispensatio concessa sit, non solis Hebraeis: hic e contrario probabilius censet non esse gentibus factam eam potestatem, quia in iis dispensationis ratio non militabat, nempe fidelis populi multiplicatio.

VI. Quomodo ergo haec dispensatio facta est? Respondet Bellarminus post s. Thomam et Innocentium III, quod opus non fuit externa aliqua locutione vel scriptura, sed requirebatur peculiaris inspiratio Dei. Ratio primi est, « quia qualis est lex talis etiam dispensatio requiritur: lex autem prohibens polygamiam tempore Patriarcharum non erat scripta in ullo libro, sed solum impressa in mentibus » traditione propagata. Ratio secundi est, « quia lex prohibens polygamiam non erat solum naturalis, quia conformis rationi rectae, sed quia Deus speciali inspiratione docuerat Adamum quae esset natura matrimonii a se instituti, et proinde se velle ut monogamiam contineret. Nam secundaria ista praecepta iuris naturae non habent vim coactivam, nisi specialiter a Deo vel ab aliquo principe sanciantur.... sicut igitur speciali inspiratione sancita fuerat a Deo lex monogamiae, ita speciali inspiratione opus fuit in eius dispensatione ». Quae inspiratio interior (ait s. Thomas l. c.) « principaliter Patribus sanctis facta est, et per eorum exemplum ad alios derivata ».

VII. Ergo ne iis verbis ab Adamo prolatis clara lex monogamiae continetur? Verba Adami sunt: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea: haec vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem suam et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una.* Iam vero 1° his verbis fit tantum mentio duorum, h. e. unius cum una: 2° nexus est inter unionem horum duorum (erunt duo in carne una) cum unione Adami et Hevae; nexus nempe qui est inter typum et ectypum: quod ea particula causali *quamobrem* significatur. Scilicet:

eo quod Deus mulierem ex me formavit mihique dedit in uxorem לְאִשָּׁה (cf. vers. 22 cum 24), hinc naturae lege et institutione divina homo relinquet patrem et matrem et adhaerebit uxori suae eruntque duo in una carne, sicut ego et Heva sumus una caro. Porro si hic nexus intercedit inter unionem duorum in carne una, et unionem primam Adami et Hevae, duo accipiendi sunt exclusive ut nempe sint tantum duo, masculus et femina, talis enim fuit ea unio primitiva; nec alia esse poterat, cum Deus unam Hevam formaverit nec liceret Adamo filias suas sibi matrimonio copulare. Et sane 3° perfecte saltem una caro ex duobus fit, si vir uni tantum mulieri unitur. Sunt enim una caro, unus homo, non solum ratione actualis commixtionis carnalis sed et quatenus sunt habitualiter unum principium generationis, atque id sunt ita ut alter sit alterius, vir uxoris et uxor viri. Atqui haec unitas perfecta non servatur, si vir pluribus uxoribus copulatur; quatenus enim adhaeret secundae mulieri et eius est, non est prioris: quare non est alicuius perfecte, quia cuiusque ex parte est et ex parte non est. Idcirco perfectae unitati matrimonii polygamia quoque adversatur, qua caro viri dividitur quodammodo et separatur ab uxore. Porro perfectam unitatem significatam esse verbis *erunt duo in carne una* ex ipso typo satis ostenditur: maxima enim fuit unitas Adami et Hevae, quae ab ipso sumpta est. Itaque his verbis monogamia proponitur. Cum autem haec sint verba Dei (Matth. XIX. 4), vel quod perinde est, ab Adamo instinctu speciali Dei eum illustrantis et docentis prolata, et verba sint sancientia ius et legem: ad ea enim Christus (ibidem) tanquam ad legem provocat, et ut ait s. Asterius Amasenus Episcopus hom. in Matth. XIX. 3: « quaecumque circa protoplastos acciderunt, ταῦτα τοῦ ἀχολούτου γένους φύσις ἐγένετο, haec sequentis generis natura evaserunt », sequitur his verbis tum legem monogamiae promulgatam fuisse, quam certe Adamus novit, qui novit quo spiritu loqueretur.

Itaque secunda sententia, propter argumenta allata et Innocentii III auctoritatem, certa aut saltem probabilior nobis videtur. Et sane certum est polygamiam infidelium et illicitam et invalidam nunc esse; id vero ex solo iure naturali, ut et Bellarminus modo advertit, esse nequit: aliqua ergo lex divina requiritur, dici autem nequit quod lex Evangelii obliget directe infideles; lex porro divina praeter legem institutionis nulla est: hac igitur obligantur infideles. Verum etsi dicas Christi legem quae ad matrimonium spectat valuisse quoque pro gentilibus; neque enim ipsi quoad hoc auctoritas deerat et res agebatur omnibus communis; etiam in hac hypothesi advertas velim quod Christus nihil aliud fecit quam primitivam legem revocare, apertius nobis, ut Tridentinum loquitur, eam declarando. Lex ergo primitiva aderat, quae monogamiam sancivit.

Ex dictis habes certiora esse argumenta probantia polygamiam iure divino illicitam christianis, quam quae illicitam probant infidelibus: nam quoad fideles hoc certum est de fide propriisque argumentis demonstratur. Cf. Th. XIII.

VIII. Restat ut quasdam haeretici hominis fallacias expediamus. Marcus Antonius De Dominis Episcopus Spalatensis (De repub. ecclesiastica L. V. c. XI. a. 58), distinguens duplicem concubinatum, alterum hominis ingenui cum propria ancilla seu quae in eius dominio sit, alterum hominis ingenui cum ingenua; quaerit quoad primum an sit licitus usus ancillarum ad prolem suscipiendam, ita ut homo potestatem habeat in corpus suae legitimae ancillae etiam qui legitimo coniugio sibi propriam ingenuam habet uxorem copulatam. Ait vero quaedam a sacris Scripturis exempla videri suadere id esse licitum. Exempla scilicet sunt Agar ancillae, ad quam Abrahamus ingressus est, et Balam ancillae, ad quam Iacobus est ingressus, licet Abrahamus et Iacobus suas proprias haberent uxores. Verum manifestum est ex sacro textu Abrahamum et Iacobum ingressos esse ad eas iure non dominii in ancillam, sed iure maritali: testatur enim Scriptura Gen. XVI. 3. XXX. 4 ancillas istas datas fuisse eis in uxores; ideoque unionem fuisse contractam perennem verumque matrimonium exstitisse.

Quoad alteram speciem concubinatus affirmat primum simpliciter idem auctor ipsum non licere homini iam propriam uxorem habenti eo quod iure divino ab Adamo promulgato et a Christo declarato instituta sit monogamia: subdit tamen: « sed an haec ratio cesset ubi uxoratus uxore sua uti non potest ex incurabili eius aliquo morbo vel absentia irrecuperabili vel simili aliqua causa ex iis, propter quas etiam divortium ei liceret, uxorem tamen nolit aut non possit dimittere, sed omnino teneatur retinere, aliquis putabit non liquere, nonnulli etiam ambiguitati locum relinquent multo plus de homine libero et soluto nulloque coniugio alligato, an possit ille sibi concubinam adiungere, ubi neque vires neque opportunitas ei permittit ut uxorem suo gradu dignam habeat matronam ». Dubitatur scilicet a Spalatensi an ab uxorato aut soluto haberi possit concubina, quae non sit uxor, pro procreanda prole. Sed vere id nec post Christum nec ante Christum unquam licuit. Nunquam enim licuit commercium fornicarium, quod est inter personas solutas, nec unquam licuit adulterium, quod est inter coniugem alterius et personam solutam vel altero matrimonio ligatam. Licuit quidem plures

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

habere uxores, quibuscum scilicet obligatio perennis exsisteret, sed hoc prorsus est aliud ac id quod Spalatensis comminiscitur: concubina enim, de qua loquitur, non est uxor. Id quidem leges civiles olim permiserunt aut tolerarunt; at nullam vim habent huiusmodi leges.

IX. Nequa vero difficultas e veterum quorumdam sententiis petatur, advertendum est in primis *concubinae* nomen duplicem olim habuisse significationem: nimirum *concubina* dicebatur quae non esset ullo modo uxor, sed pellex; atque *concubina* dicebatur quoque quae uxor esset inferiori gradu, h. e. non ducta sollemnitatibus adhibitis dotalium tabularum nec ad familiam regendam resque familiares administrandas admissa, non esset scilicet matrona, quae *uxor* simpliciter aut *iusta uxor* appellabatur (cf. Benedictum XIV. De Sy. h. IX. c. 12). Id colligitur ex iure romano L. Donationes ff. De Donationibus, et L. 144. De verborum signif. ac Iustiniani Novella 18. Id quoque liquet ex usu loquendi Scripturarum, ut iam indicavimus.

Porro de huiusmodi concubinis loquitur auctor constitutionum Apostolicarum L. VIII. c. 32. « Concubina cuiuspiam infidelis mancipii illi soli dedita admittatur (ad Baptismum): si autem etiam cum aliis petulanter egit, reiiciatur. Item Concilium Toletanum 1. ann. 400 (cf. Gratianum in Can. Is qui. Dist. 34. c. 17) « si quis habens uxorem fidelem, concubinam habeat, non communicet. Ceterum is qui non habet uxorem, et pro uxore concubinam habet, a communione non repellatur, tantum ut unius mulieris aut uxoris aut concubinae, ut ei placuerit, sit coniunctione contentus. Alias vivens abiiciatur, donec desinat et ad poenitentiam revertatur ». Rursus Isidorus (cf. ibid. can. 5): « Christiano non dicam plurimas, sed nec duas simul habere licitum est, nisi unam tantum aut uxorem, aut certe loco uxoris (si coniux deest) concubinam ». Cf. Natalem Alexandrum sec. 1. Diss. 28ª. Sic enim accipiendas esse huiusmodi sententias persuadet fides, qua semper creditum est unius tantum cum una debere esse coniugium, ac certe contextus hanc prorsus admittit interpretationem.

Aliter e contrario h. e. secundum priorem concubinae significationem enarrare oportet verba Leonis M. in epist. 167ª ad Rusticum Narbonensem Episcopum n. 4. « Non omnis mulier iuncta viro uxor est viri, quia nec omnis filius (puta filius naturalis ex fornicatione) heres est patris. Nuptiarum autem federa inter ingenuos sunt legitima et inter aequales, multo prius hoc ipsum Domino constituente quam initium romani iuris exsisteret (a quo etiam lex ista lata est). Itaque aliud est uxor, aliud concubina, sicut aliud ancilla, aliud li-

bera.... Igitur cuiuslibet loci clericus, si filiam suam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum est quasi eam coniugato dederit: nisi forte illa mulier et ingenua facta et dotata legitime et publicis nuptiis honestata videatur ». Patet s. Pontificem non habere tanquam legitimam ac validam hanc unionem, de qua loquitur, inter ingenuum et ancillam. Respicere videtur scilicet ad legem Constantini (Cod. de incestis et inutilibus nuptiis Leg. 2ª): « Cum ancilla non potest esse connubium; nam ex huiusmodi contubernio servi nascuntur etc. » Cur vero s. Leo non habet ut legitimam hanc unionem? Quia nimirum supposita ea lege ita interpretatur voluntatem viri, ut noluerit indissolubili nexu eam sibi copulare, si mulier ingenua facta non sit nec dotata ac publicis nuptiis honestata. Cui sententiae intelligendae id quoque conducit quod paulo post n. 6 habet: « quia aliud est nupta, aliud concubina, ancillam toro abiicere et uxorem certae ingenuitatis accipere, non duplicatio coniugii, sed profectus est honestatis ». Itaque ancilla assumpta toro heic eadem est ac concubina, eamque non legitime copulatam supponi a Pontifice patet, quia negat alia ducta exsistere coniugium alterum. Haec porro est ea concubina, quae scortum dicitur. Quod clarissime indicant verba Leonis n. 4 citato ante conclusionem: « Unde cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut praeter duorum coniunctionem haberet in se Christi et Ecclesiae sacramentum, dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium », quod est significatio indissolubilis unionis Christi cum Ecclesia per nexum indissolubilem viri et mulieris: ea ergo mulier, cui deest nuptiale mysterium, est mulier solubili temporaneo nexu sociata viro, h. e. concubina secundum turpem significationem, seu scortum. Sed et cf. quae ad haec verba Leonis dicemus in Appendice.

X. De talibus concubinis loquitur Augustinus Serm. 392. « Concubinas vobis habere non licet. Et si non habetis uxores, non licet vobis habere concubinas, quas postea dimittatis (sic legunt omnes mss. codices; editi habent: quas postea ducatis uxores, omisso: *Dimittatis ut*) ut ducatis uxores; quanto magis damnatio vobis erit, si habere volueritis et concubinas et uxores ». Hunc concubinatum semper dissertis verbis reprobavit Augustinus. In Lib. de Bono coniugali c. 5 ait: « Solet etiam quaeri, cum masculus et femina, nec ille maritus, nec illa uxor alterius, sibimet non filiorum procreandorum, sed propter incontinentiam solius concubitus causa copulantur, ea fide media, ut nec ille cum altera, nec illa cum altero id faciat, utrum nuptiae sint vocandae. Et potest quidem fortasse non absurde hoc appellari connubium, *si usque ad mortem alterius eorum et inter eos pla-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cuerit et prolis generationem (quamvis non ea causa coniuncti sint) *non tamen vitaverint, ut vel nolint sibi nasci filios vel etiam opere aliquo malo agant ne nascantur. Ceterum si vel utrumque vel unum horum deest, non invenio quemadmodum has nuptias appellare possimus* ». Coniunctio scilicet perpetua seu indissolubilis inita causae vitandae incontinentiae, est verum matrimonium. Cf. ibid. c. 14. n. 6: « nec concubinae ad tempus adhibitae, si filiorum causa concumbant, iustum faciunt concubinatum suum ».

Quaeres quid sit quod ait (ibid. n. seq.): « Tunc uxoris voluntati adhibere aliam, unde communes filii nascantur, unius commixtione ac semine, alterius autem iure ac potestate, apud antiquos Patres fas erat; *utrum et nunc fas sit non temere dixerimus* ». Significat scilicet se timere ne temerarium sit id affirmare: quid vero? habere nimirum uxores duas, quarum utraque quidem sit uxor tua, quemadmodum erat illis Patriarchis, altera tamen iure prioris uxoris tibi sit tradita, ut fecit Sara, quae ancillam suam dedit Abrahamo. Verum in ea phrasi *non temere dixerim* est quaedam μείωσις et est locutio non dubitantis, sed modeste negantis: temerarium videlicet esset id dicere. Certa enim erat Augustino sententia pluritatem simultaneam uxorum interdictam esse, quam sententiam hoc quoque in loco immediate antea docet. Docet enim quod etiam causa sterilitatis non licet coniugem dimittere; quod si fiat et aliud coniugium ineatur, adulterium fit, quia primum coniugium manet. Atqui si plures uxores habere liceret, etsi prius coniugium maneret, nullum adulterium foret, si alia uxor acciperetur. Cf. praeterea eundem Augustinum in Lib. I. De Sermone Domini in monte n. 49 ubi id ipsum, quod heic ait se non temere dicturum, simpliciter negat; quamvis n. seq. in medio relinquat quaestionem aliam huic tamen affinem, quam lege sis. Ceterum non erit abs re advertere quid Augustinus de se testetur in alio opere multo post haec scripto: De adulterinis coniugiis L. I. n. 32: nempe: « quaestionem de coniugiis obscurissimam et implicatissimam esse non nescio. Nec audeo profiteri omnes sinus eius vel in hoc opere vel in alio me adhuc explicasse vel iam posse, si urgear, explicare ».

§. II.

De Indissolubilitate

THESIS XVI.

Distincta indissolubilitate intrinseca et extrinseca, statuimus primo dissolubilitatem intrinsecam permissam simpliciter arbitrio coniugum ex qualibet causa repugnare naturae iuri: quamdam vero determinatam intrinsecam dissolubilitatem repugnare quidem secundariis naturae iuribus non vero primariis.

I. Duplex distinguenda est dissolubilitas contractus, alia, quae dicitur intrinseca, alia, quae extrinseca. Ea est, cum ipsorum contrahentium potestate contractus initus dissolvi potest, quae ideo intrinseca dicitur, quia in ipsius contractus natura situm est, ut eae obligationes, quae consensu contrahuntur, contraria voluntate dissolvantur Tit. 30. lib. 3. Instit. *quibus modis tollitur obligatio* §. 4: quamvis certi ritus a iure positivo praescribi possint, ut dissolutio contractus licite et valide fiat; quod quidem non tollit consensum eorum, qui contraxerunt, esse causam dissolutionis, sicut consensus contrahentium est causa contractus, licet certa sollemnitas a iure exigatur ut consensus sit licitus et validus. Extrinseca dissolubilitas est, cum auctoritate superioris solvitur contractus, seu obligatio tollitur. Hinc et duplex distinguenda est indissolubilitas: intrinseca, qua fit ut contrahentium potestate nequeat contractus initus dissolvi; extrinseca, qua fit ut non possit dissolvi voluntate superioris. Cum prior indissolubilitas contractui competit, ipse dicitur merito indissolubilis *per se*, quamvis *per accidens* extrinsece dissolvi possit: ea enim per se contractui competunt, quae ex ipso consensu, quo contractus fit, oriuntur, cum ergo talis est consensus, ut valide deinceps possit a contrahentibus retractari, contractus est per se dissolubilis; et e contrario cum talis est consensus, ut non possit amplius valide retractari, contractus est per se indissolubilis. Hoc autem non impedit quin auctoritate superioris puta Dei, cui contractus et contrahentes subsunt, possit dissolvi contractus; qui tunc dissolvitur (quod notandum est) non per consensum contrahentium, sed per potestatem, quam superior habet tollendae obligationis ortae ex priore consensu. Quare hic actus potestativus superioris tollentis obligationem distinguendus est ab eo, quo permitteret vel potestatem faceret contrahentibus ut ipsi contractum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cuerit et prolis generationem (quamvis non ea causa coniuncti sint) *non tamen vitaverint, ut vel nolint sibi nasci filios vel etiam opere aliquo malo agant ne nascantur. Ceterum si vel utrumque vel unum horum deest, non invenio quemadmodum has nuptias appellare possimus* ». Coniunctio scilicet perpetua seu indissolubilis inita causae vitandae incontinentiae, est verum matrimonium. Cf. ibid. c. 14. n. 6: « nec concubinae ad tempus adhibitae, si filiorum causa concumbant, iustum faciunt concubinatum suum ».

Quaeres quid sit quod ait (ibid. n. seq.): « Tunc uxoris voluntati adhibere aliam, unde communes filii nascantur, unius commixtione ac semine, alterius autem iure ac potestate, apud antiquos Patres fas erat; *utrum et nunc fas sit non temere dixerimus* ». Significat scilicet se timere ne temerarium sit id affirmare: quid vero? habere nimirum uxores duas, quarum utraque quidem sit uxor tua, quemadmodum erat illis Patriarchis, altera tamen iure prioris uxoris tibi sit tradita, ut fecit Sara, quae ancillam suam dedit Abrahamo. Verum in ea phrasi *non temere dixerim* est quaedam μείωσις et est locutio non dubitantis, sed modeste negantis: temerarium videlicet esset id dicere. Certa enim erat Augustino sententia pluritatem simultaneam uxorum interdictam esse, quam sententiam hoc quoque in loco immediate antea docet. Docet enim quod etiam causa sterilitatis non licet coniugem dimittere; quod si fiat et aliud coniugium ineatur, adulterium fit, quia primum coniugium manet. Atqui si plures uxores habere liceret, etsi prius coniugium maneret, nullum adulterium foret, si alia uxor acciperetur. Cf. praeterea eundem Augustinum in Lib. I. De Sermone Domini in monte n. 49 ubi id ipsum, quod heic ait se non temere dicturum, simpliciter negat; quamvis n. seq. in medio relinquat quaestionem aliam huic tamen affinem, quam lege sis. Ceterum non erit abs re advertere quid Augustinus de se testetur in alio opere multo post haec scripto: De adulterinis coniugiis L. I. n. 32: nempe: « quaestionem de coniugiis obscurissimam et implicatissimam esse non nescio. Nec audeo profiteri omnes sinus eius vel in hoc opere vel in alio me adhuc explicasse vel iam posse, si urgear, explicare ».

§. II.

De Indissolubilitate

THESIS XVI.

Distincta indissolubilitate intrinseca et extrinseca, statuimus primo dissolubilitatem intrinsecam permissam simpliciter arbitrio coniugum ex qualibet causa repugnare naturae iuri: quamdam vero determinatam intrinsecam dissolubilitatem repugnare quidem secundariis naturae iuribus non vero primariis.

I. Duplex distinguenda est dissolubilitas contractus, alia, quae dicitur intrinseca, alia, quae extrinseca. Ea est, cum ipsorum contrahentium potestate contractus initus dissolvi potest, quae ideo intrinseca dicitur, quia in ipsius contractus natura situm est, ut eae obligationes, quae consensu contrahuntur, contraria voluntate dissolvantur Tit. 30. lib. 3. Instit. *quibus modis tollitur obligatio* §. 4: quamvis certi ritus a iure positivo praescribi possint, ut dissolutio contractus licite et valide fiat; quod quidem non tollit consensum eorum, qui contraxerunt, esse causam dissolutionis, sicut consensus contrahentium est causa contractus, licet certa sollemnitas a iure exigatur ut consensus sit licitus et validus. Extrinseca dissolubilitas est, cum auctoritate superioris solvitur contractus, seu obligatio tollitur. Hinc et duplex distinguenda est indissolubilitas: intrinseca, qua fit ut contrahentium potestate nequeat contractus initus dissolvi; extrinseca, qua fit ut non possit dissolvi voluntate superioris. Cum prior indissolubilitas contractui competit, ipse dicitur merito indissolubilis *per se*, quamvis *per accidens* extrinsece dissolvi possit: ea enim per se contractui competunt, quae ex ipso consensu, quo contractus fit, oriuntur, cum ergo talis est consensus, ut valide deinceps possit a contrahentibus retractari, contractus est per se dissolubilis; et e contrario cum talis est consensus, ut non possit amplius valide retractari, contractus est per se indissolubilis. Hoc autem non impedit quin auctoritate superioris puta Dei, cui contractus et contrahentes subsunt, possit dissolvi contractus; qui tunc dissolvitur (quod notandum est) non per consensum contrahentium, sed per potestatem, quam superior habet tollendae obligationis ortae ex priore consensu. Quare hic actus potestativus superioris tollentis obligationem distinguendus est ab eo, quo permitteret vel potestatem faceret contrahentibus ut ipsi contractum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dissolverent; in hac enim altera hypothesi consensus eorum foret causa dissolutionis.

Indissolubilitati intrinsecae adversatur directae facultas in utroque vel alterutro alteri coniugi repudium dandi, quo fit distractio unius ab altero, qua vinculum quoque solvatur omnisque desinat potestas et obligatio alterius ad alterum.

II. Quaeritur utrum matrimonium gaudeat supradicta intrinseca indissolubilitate et quo iure eadem illi competat et utrum cuicumque matrimonio competat. Singillatim quaestiones solvemus.

Quaeritur itaque primo quamdiu mutua coniugum obligatio durare debeat. Itaque negari non potest contractum matrimonialem exigere quamdam stabilitatem, quam alii contractus non exigunt. Ea est enim de essentia eius. Finis eius est procreatio et educatio prolis, est societas animorum, est familia; atqui haec esse nequeunt, nisi matrimonium sit permanens; stabilitas ergo quaedam seu perpetuitas exigitur. Verum quia videntur hi fines obtineri identidem posse vel iis non repugnare, quamvis matrimonii vinculum inter coniuges aliquando dissolvatur, pressius inquirendum est utrum et qua ratione dissolubilitas intrinseca, de qua tantum loquimur, repugnet iuri naturae. Itaque certum est quod huiusmodi dissolubilitas repugnabit ex iure naturae, quatenus repugnet essentiae matrimonii. Porro in iure naturae distinguenda sunt iura primaria exigentia id quod est essentiale, et secundaria exigentia id quod est congruum et magis conveniens (Th. XIV. n. I).

Hoc posito. 1) Dissolubilitas intrinseca permissa simpliciter arbitrio utriusque coniugis vel alterutrius, quae ex quolibet motivo fieri possit, repugnat primariis naturae iuribus. Cum nempe nulla lege extrinseca determinante certa motiva, nullo auctoritatis independentis interventu probantis dissolutionem regitur hic actus, ut proinde quilibet coniuges quotiescumque volunt, qualibet ex causa, dummodo velint, solvant coniugii vinculum, sive sufficiat voluntas unius, sive saltem utriusque consensus requiratur. Haec quidem dissolubilitas in nulla parum exculta natione probata fuit. Etsi enim Iustinus Iunior Novella sua constitutione data an. 566 concesserit coniugia solvi ex consensu coniugum mutuo, haec tamen lex recepta non fuit a Graecis ipsis, sed alia opposita, quam prius ediderat Iustinianus Novella 117. Cf. Assemani Bibl. iuris orient. Tom. III. pag. 329 seqq. Et sane hac amplissima exsistente in coniugibus potestate dissolvendi matrimonii, tollitur re essentia matrimonii, quamvis specie tenus servetur. Essentia enim matrimonii sita est in mutua potestate et obligatione ad usum corporis et ad communem vitam agendam ideoque in potestate et obligatione quadam *stabili*, quam exigit finis, qui est so-

cietas familiae et procreatio et educatio prolis: unde per matrimonium constituitur certa et determinata familia, ad quam pater, mater et proles spectent. Atqui ea exsistente potestate dissolvendi coniugii penes alterum coniugem vel penes ambos simul, desinit ea mutua obligatio stabilis, quam fines matrimonii exigunt. In hac sane hypothesi fieri per se posset ut proles careret debita educatione, si antequam rite educetur, solvatur coniugium quotiescumque libet contrahentibus. Communis quoque vita seu communicatio operum tolleretur et nulla esset certa familia, quoniam fidei servandae fundamentum deesset. Quare haec potestas adversatur directe fini illius potestatis et obligationis, in qua matrimonium consistit. Et re quidem vera si ad libitum coniugum solvi posset coniugium, induceretur hoc ipso vaga fornicatio, quae iuri primario naturae adversatur et est intrinsece mala; quidquid enim praeter nomen in fornicantibus seu vagos concubitus quaerentibus reperitur, in talibus matrimoniis locum haberet. Sane societas, quae ad libitum contrahentium solvi potest, nequit esse ratio cur sociati vinciantur vinculo arctissimae amicitiae, communicatione affectuum et bonorum ac vitae prosperae pariter et adversae: atqui matrimonium tale est ut per se possit et natura docente debeat esse ratio huius penitissimae unionis animorum, ut manifeste patet vel ex historia universi humani generis, ubi mores non fuerint evidentissime corrupti: ergo nequeunt haec duo componi, societas matrimonialis et potestas illimitata penes singulos vel ambos solvendi coniugii.

III. Dices hanc intrinsecam dissolubilitatem permissam fuisse a Deo Hebraeis; nam Deuter. XXIV. 1. seqq. permissum fuit viris dare uxoribus libellum repudii easque dimittere ita ut eae valerent aliis nubere, porro id integrum erat viro propter aliquam foeditatem, si oderit eam, quae sunt loquendi formulae universalissimae: haec tandem dimissio fiebat privata auctoritate viri absque ulla forma iudiciali, quin publica auctoritas valorem actui conferret quippe qui per se validus erat. Cum igitur tamen matrimonia Hebraeorum essent vera matrimonia, sequitur quod talis dissolubilitas essentiae eiusdem haud repugnet.

Respondeo in hac re satis difficili tria esse quae in quaestionem veniunt. 1 an in eo loco Deut. habeatur vera permissio Dei licitam faciens eam dimissionem, de qua ibi est sermo: 2° quid permissum fuerit, utrum sola separatio et dimissio uxoris a domo viri, an praeterea dissolutio vinculi coniugalis: 3° quaenam sunt causae, propter quas, permittente Deo vel tollerante, licebat viro dimittere uxorem.

1) Ad 1ᵐ quaestionem quod spectat, proferamus primum verba legis prout habet vulgatus: *si acceperit homo uxorem et habuerit*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

eam et non invenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam foeditatem, scribet libellum repudii et dabit in manu illius et dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam dederitque libellum repudii, et dimiserit de domo sua vel certe mortuus fuerit: non poterit prior maritus recipere eam in uxorem quia polluta est et abominabilis facta est coram Domino, ne peccare facias terram tuam. In textu autem originali sic legitur: *si acceperit homo mulierem et duxerit uxorem, et contigerit quod ipsa non invenerit gratiam in oculis eius quia invenit in ea foeditatem* עֶרְוַת דָּבָר *et scripserit* (LXX. καὶ γράψει) *ei libellum discissionis* סֵפֶר כְּרִיתֻת *et dederit in manu eius et dimiserit eam de domo sua et haec egressa de domo eius abierit et fuerit cum viro alio.... non poterit maritus prior, qui dimisit eam, rursus accipere eam ut sit ei in uxorem postquam polluta est* אַחֲרֵי אֲשֶׁר תֻּטַּמָּאָה ; *quia abominatio est coram Domino et non peccare facies terram* etc. Si vulgatum sequeris, duo legislator statuit, primum quod vir scribat libellum repudii et det in manu uxoris, alterum quod nequeat vir dimissam uxorem rursus accipere si haec cum altero fuerit: cetera hypothetice dicuntur a Moyse. At in textu originali omnia dicuntur hypothetice praeter ultimum ex illis duobus, ipsa scilicet scriptio libelli et porrectio eius in manu uxoris pertinet ad hypothesim, pro qua lex statuitur, idque unum praecipitur ne prior vir recipiat rursus mulierem a se dimissam, quae fuerit cum alio viro. Ex qua animadversione inferunt quidam eruditi (cf. Ioan. Buxtorfium de Sponsalibus et Divortiis) non haberi in lege permissionem aut mandatum de libello repudii et dimissione uxoris, sed legislatorem factum tantum narrare illudque explicite non improbare, ideoque dici posse ad summum quod haec praxis tollerata fuerit. Verum praeter auctoritatem ipsius vulgati interpretis, quam nolumus admodum urgere, afferre quoque licet auctoritatem Christi Matth. V. 31 aientis: dictum est, quicumque dimiserit uxorem suam, *det ei* δότω αὐτῇ libellum repudii ἀποστάσιον; quae verba Christi non referri ad legem Moysis Deut. XXIV. 1 sed ad subintroductas postea opiniones quorumdam doctorum haud facile suadebis. Verum hoc quoque omisso, clara sunt verba eiusdem Christi Matth. XIX. 8. Moyses ad duritiam cordis vestris permisit ἐπέτρεψεν vobis dimittere uxores vestras; quod quidem Christus affirmavit respondens obiectioni Pharisaeorum: *quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii et dimittere?* emendans quidem illam phrasim *mandavit* per τὸ *permisit*, sed idcirco disserte affirmans permissionem dimissionis per libellum scilicet repudii, de qua solum loquebantur Pharisaei in illa interrogatione. Satis autem intelligitur quod permittente Moyse per-

misit Deus, cuius vices in lege condenda agebat Moyses, et cuius sola auctoritate poterat Moyses aliquid permittere contra institutionem praecedentem Dei. Porro verba *ad duritiam cordis vestri* exhibent quidem rationem, propter quam id Deus permisit (solent enim boni legislatores non imperare quod perfectius est seu permittere minus perfectum ratione habita dispositionum subiecti, quod perfectiora non ferret); at non excludunt permissionem proprie dictam, quae et auferat actus inhonestatem. « Quamvis duritia cordis non excusaret a peccato, tamen permissio ex duritia facta excusat » ait s. Thomas in 4ᵉ D. XXXIII. q. 2. a. 2. ql. 3 ad 4. Penes Marcum vero vehementiora sunt verba, quibus utitur idem Marcus X. 5 referens sermonem Christi respondentis illi eidem interrogationi Pharisaeorum: ad duritiam cordis vestri *scripsit* (Moyses) vobis praeceptum istud τὴν ἐντολὴν ταύτην; nisi dicatur praeceptum materialiter sumi, pro eo nempe quod est scriptum in lege. Ceterum si vel sola verba Moysis considerentur, facile patet ibi permissionem contineri saltem implicite. Etenim cum haec praxis libelli repudii dandi iam vigeret in eo populo aetate Moysis, vel saltem censerent Hebraei ius se ad hoc habere, et Moyses de hac re in lege mentionem faciat eamque saltem non improbet, hoc ipso censetur eam permisisse licitamque fecisse illis. Nam, ut ait s. Thomas ibid. a. 1: « si repudiando uxores peccassent, hoc saltem iis per legem (lex enim erat sancta et per eam cognitio peccati) aut prophetas indicari debuisset (Isaiae LVIII. Annuntia populo meo scelera eorum); nam alias viderentur nimis neglecti, si ea, quae necessaria sunt ad salutem, quae non cognoscebant, nunquam eis nuntiata fuissent. Quod non potest dici, cum iustitia legis suo tempore observata vitam mereretur aeternam ». Quin vero alibi haec praxis reprobetur, confirmatur potius Malach. II. 15. 16. Uxorem adolescentiae tuae noli despicere (heb. noli perfide agere cum uxore adolescentiae tuae): si odio habueris, dimitte. Et re quidem vera non poterat non videre Moyses quod ea praxi aut persuasione in populo iam exsistente, cum ipse eiusdem dissertam mentionem faceret nec tamen ullo modo significaret se illam improbare, eo ipso arbitrati essent Iudaei id sibi permitti a lege licitumque putari. Cum adeo probabile esset hoc ratiocinium, nisi illud ipsum Moyses voluisset permittere, sive si censuisset illud vere esse peccatum coram Domino, debuisset id explicite significare, ne occasione ab ipsa lege accepta in ea Iudaei prolaberentur, quae Deo displicerent. Colligimus igitur ex his omnibus permissum fuisse a Moyse et per Moysem a Deo hebraeis scribere libellum repudii et dimittere uxores suas. Quod autem permittit Deus in lege, id hac ipsa permissione licitum evadit. Distinguenda est enim duplex per-

missio Dei, altera quae propria est *Providentiae*, qua malum Deus sinit fieri, altera permissio *legis* seu *legislatoris*, qua aliquid in lege conceditur. Haec rursus duplex distinguenda; vel est enim *pure politica*, quia aliquis actus sociali vindicta non punitur, licet malus sit talisque censeatur: vel est etiam *ethica*, quia per eam aliquis actus eximitur a censu eorum, qui sunt moraliter mali. Iam vero quae argumenta attulimus propter verba Moysis, si quid probant, probant hanc permissionem ethicam: quod et verba Christi magis confirmant. Hanc enim permissionem dicit Christus non fuisse ab initio. An ab initio erat aliqua lex socialis sanciens poenam dimittentibus uxores, quae poenae sanctio postea in desuetudinem abierit idque passus sit Moyses, vel eam ipsam Moyses abrogavit? Hanc autem legem poenalem ab initio exstitisse oporteret ut haberetur oppositio inter permissionem Moysis et primitivam institutionem Dei, si permissio ea fuit tantum politica. At Christus provocans ad institutionem primitivam, nullius sanctionis poenae mentionem facit, sed solum obligationis perpetuae unius ad unam, quae morali ordine continetur, qua illicita redditur dimissio. Itaque permissio per Moysem facta censenda est permissio ad ordinem moralem spectans, h. e. *ethica*: quia vero permittente Moyse permittebat Deus, et permissio Dei in quandam derogationem legis a se olim latae licitum reddit coram ipso Deo h. e. immune a culpa id quod permittitur, idcirco concludimus licitum ethice fuisse Iudaeis dimittere libello repudii uxores suas.

2) Videndum est proinde cuiusmodi fuerit haec dimissio permissa, vel quinam fuerit effectus permissi libelli repudii. Sunt enim non pauci inter veteres et recentiores interpretes christianos, qui censeant eam non fuisse nisi separationem tori et convictus, manente vinculo coniugali, ut idcirco nequiret mulier alteri nubere, etsi vir posset aliam ducere uxorem, eo quod tunc liceret plures habere uxores. Rationes huius sententiae, praeter auctoritatem quorumdam Patrum, quae non admodum recte affertur, ad has duas revocantur. Prima ipsius rei naturae innititur. Aiunt nimirum permissionem factam a Moyse talem esse ut integrum esset viro dimittere uxorem qualibet ex causa: ait enim *si non invenerit mulier gratiam in oculis eius, si oderit eam:* foeditas vero, propter quam dicitur mulier non invenire gratiam in oculis viri, est quidquid viro displicere potest sive morale sive physicum. Nam non potest intelligi sola foeditas moralis in adulterio sita; haec enim non dimissione, sed morte plectebatur (Deut. XXII. 22): non suspicio adulterii, nam pro hac avertenda instituta erat probatio aquae amarissimae (Num. V. 12 seqq.): nec generatim aliquid tantum moraliter foedum; cum eadem phrasis

עֶרְוַת דָּבָר occurrat in cp. praeced. 14. ubi physicam foeditatem significat. Et sane cum in libello repudii causa dimissionis non indicaretur nec ulla lege ad id vir teneretur, hoc ipso permittebatur viro propter quamlibet causam, propter quam ei uxor non amplius probaretur, dimittere eam. Atque ita legem plures sapientes ex hebraeis aetate Christi interpretabantur, quod et patet ex Pharisaeorum interrogatione. Atqui fieri non potuit ut Deus potestatem fecerit viro dimittendi auctoritate sua qualibet ex causa uxorem; nam hoc pacto, ut superius demonstratum est, fuisset reapse abolitum coniugium, cum nulla stabilis obligatio ex parte viri locum amplius habuisset. Altera ratio ex ipsis verbis Moysis colligitur. Ait enim quod mulier dimissa, quae nupserit alteri, polluta est et abominabilis coram Domino: pollutio vero ista est certe moralis, cum propter eam sit mulier abominabilis Deo: cur vero mulier dimissa dicitur polluta si alteri nupsit, nisi quia uxor exsistens viri, a quo dimissa est, non poterat alteri uniri? Ergo non coniugii vinculum sed sola societas convictus solvebatur libello repudii.

Iam vero si certum esset quod prior ratio contendit, permisisse Moysem ut vir posset auctoritate sua ex qualibet causa dimittere uxorem, fatemur nos quoque in eam concessuros esse sententiam, quod effectus libelli repudii non fuerit vinculi coniugalis solutio, idque propter allatam rationem. Verum illud demonstratum nobis haud videtur ex verbis Moysis, ut in 3ª quaestione declarabimus: neque enim confundenda est interpretatio quorumdam rabbinorum seu doctorum hebraeorum cum vero sensu legis, si praesertim ii recentes sint eorumque interpretatio non sit communis, sed ab aliis sapientibus impugnata, quemadmodum hac in re contigit. Alterum quoque argumentum vi demonstrativa carere videtur nobis. Nam citra adulterium uxoris, quae secundo nupsit, videmur nobis intelligere satis eam pollutionem et abominationem, de qua est sermo. Et in primis advertendum est quod verbum טָמֵא non de sola immunditia morali dicitur, sed et de legali hominum ac bestiarum: cf. Gesenium ad v. Item quoad verba, quae vulgatus reddit: *abominabilis facta est,* si textum originalem consulamus, verba textus הִוא תּוֹעֵבָה sic transferre potius licet, *abominatio est hoc ante Dominum,* (תּוֹעֵבָה enim substantivum est, et הִוא vel הִוא vice verbi substantivi frequenter fungitur) quod nempe vir rursus accipiat uxorem, quam repudiavit. Sane advertendum est quod quae heic de uxore dimissa dicuntur, non dicuntur de ea in quavis hypothesi, sed in hac sola quod redeat ad priorem virum, a quo fuit repudiata. Non enim reprehenduntur secundae eius nuptiae, nec ipsa prohibetur ad tertium virum accedere, postquam alter vir vel dimisit

eam vel mortuus est: sed hoc tantum heic exhibetur Deo exosum quod rursus uniantur qui repudio separati fuerant postquam mulier fuerit cum alio viro. Abominatio ergo est, vel si vis secundum vulgatum, mulier est abominabilis Deo non absolute spectata, sed relative, prout nempe redit ad priorem virum, postquam alteri nupserit; atque hoc est quod Deus prohibet. Cuius rei rationem attigisse nobis videtur Chrysostomus hom. XVIII in Matth. n. 4. « Lex, ait, erat vetus, eum, qui quacumque ex causa uxorem suam odisset, illam repudiare et aliam ducere non prohiberi. Neque tamen illud simpliciter facere lex iubebat, sed post datum uxori libellum repudii, ita ut iterum ad illum revertere nequiret, ut saltem matrimonii figura maneret. Nisi enim hoc praecepisset et si licuisset illam repudiare et aliam accipere ac deinde priorem reducere, magna futura erat confusio omnibus alienas uxores alternis vicibus frequenter accipientibus, adulteriumque manifestum id prorsus fuisset ». Introducta scilicet fuisset sub specie matrimonii quaedam promiscua permutatio uxorum vagusque concubitus. Hoc profecto nefas est et sub hac ratione mulier, quae has vicissitudines subiret, abominabilis esset coram Domino. Sed cur dicitur *polluta*, cum cognita fuerit ab alio viro? Putamus quod etsi huius uxor vera fuerit, potuit a Deo dici polluta. Nam quamvis Deus permiserit repudium, id tamen « non voluntate Dei sed peccantium necessitate concessum est (Hieronymus in Matth. XIX. 3) » h. e. Deus non ex voluntate antecedente sed consequente permisit, ob duritiam nempe cordis hebraeorum: res ergo erat, quam per se spectatam Deus non probabat, in qua certam quamdam inordinationem et certum defectum verae munditiae cernebat: quod ut Deus in ipsa permissione repudii significaret hebraeis, vocavit pollutam eam mulierem, quae cognita fuerit a secundo marito. Quae quidem verba in textu hebraico solum indicant factum, non rationem proprie legis: *postquam polluta est*, ait, non: *quia polluta est*.

Eandem interpretationem adhibendam censemus verbis Ieremiae III. 1. *Vulgo dicitur: si dimiserit vir uxorem suam et recedens ab eo duxerit virum alterum, numquid revertetur ad eum ultra? numquid non polluta et contaminata est mulier illa?* Praestat tamen advertere quod in textu hebraico non *mulieris* sed *terrae* mentio fit: nonne profanando profanata est terra ista? alludit scilicet forte ad verba Moysis: *ne peccare facias terram tuam* l. c. cf. Hieronymum comm. in Ierem. L. I. c. 3. v. 1. Quod vero Malachiae II. 16 postquam dictum est: *cum odio habueris (uxorem), dimitte, dicit Dominus Deus Israel*, subditur immediate: *operiet autem iniquitas vestimentum eius:* licet ex hebraico vertere: *ipse autem*

iniuria operit uxorem suam: quod, utra sit dimissio, verum esse potest.

E contrario sententia affirmans quod libello repudii dissolvebatur vinculum matrimonii his vehementer suadetur. 1° Probatum est permisisse Moysem libellum repudii cum hypothetice loquens ait: si scripserit libellum repudii etc. atqui eodem pacto pergens ait: *cum (illa) egressa alterum virum duxerit:* ergo et hoc permissum fuisse dicendum est: atqui nequibat validum esse coniugium secundum mulieris nisi soluto primo; polyandria enim simultanea nunquam fuit licita et valida: ergo. 2° Hic alter vir dare potest libellum repudii: atqui non adulterae sed uxori aut sponsae libellus repudii poterat dari. 3° Mulieres immeritae fuissent in pessima conditione; quia in illius sententiae hypothesi potuissent eiici ex qualibet causa (arg. 1°) nec tamen alteri nubere, ut cogerentur ad arbitrium virorum servare virginitatem praeter populi morem. 4° Mulier dimissa, si postea alteri nupserit, prohibetur non quidem, hoc altero mortuo, alium ducere, sed redire ad priorem maritum: atqui si vinculum prius manebat, nulla erat ratio sufficiens cur id prohiberetur; haec enim prohibitio pugnabat cum obligatione ipsius mulieris erga virum, qua manente, impediri non poterat reconciliatio: pugnabat insuper cum lege honestatis; sic enim mulier periculo moechiae exponebatur, non est autem honestum impedire ne hoc periculum removeatur. 5° Praeterea Lev. XXI specialis lex fertur pro coniugio sacerdotum et summi Sacerdotis, ut ipsis illud interdicatur, quod aliis licitum est; vel illud imperetur, ad quod alii non tenentur. Iubetur summus Sacerdos scilicet ducere virginem: prohibetur ducere viduam, repudiatam, sordidam, meretricem (v. 14). Ratio huius legis est ratio specialis; quia nempe super caput eius effusum est oleum unctionis, quia manus eius in sacerdotio consecratae sunt (v. 10). Analogice ratio affertur pro aliis sacerdotibus (v. 6). Ergo et lex specialis est, non omnibus hebraeis communis. Et sane nemo e populo prohibebatur ducere corruptam, viduam, meretricem. Igitur et prohibitio ne ducatur repudiata, ad Sacerdotem maximum ceterosque sacerdotes solum pertinebat: ceteris permissum erat repudiatam ducere uxorem. At si ita est, dissolutum ergo erat vinculum repudiatae cum priore viro. Et re quidem vera si repudiatam ducere nulli licuisset, quorsum in lege sacerdotum, qua peculiaria eis praescribuntur, edictum fuisset ne ab ipsis repudiata duceretur? nonne ad id iam se teneri noverant, eo quod de populo essent hebraeorum? 6° Hebraei ita interpretati sunt legem; aetate enim Christi disputabatur quidem de causis dimissionis: sed in hoc omnes conveniebant mulierem dimissam libello repudii posse alteri nubere. Cf.

Iosephum Achaeol. L. IV. c. 8. Ipse Christus: 7° opponit Matth. XIX permissionem libelli repudii simpliciter spectatam primitivae institutioni, affirmans eam ab initio non exstitisse: atqui sola permissio dimissionis sine solutione vinculi non adversatur primitivae institutioni; nam et nunc ea christianis licet, penes quos revocata est integra primitiva institutio. Probabilius est igitur libello repudii solutum fuisse vinculum.

In hac re sententiae Patrum divisae videntur. Hieronymus quidem in Malachiam c. II. 16 videtur censere non fuisse absque culpa dimissionem omnem penes hebraeos, excepta causa fornicationis: non tamen constat an quae dicit, velit referre solum ad christianos an etiam ad hebraeos, qui ante Christum fuerunt. Ambiguum est pariter quod dicit in Matth. XIX. 8. Ambrosius quoque in Luc. lib. VIII. n. 7° solutionem potius vinculi supponit permissam Iudaeis, quam negat christianis. Augustinus autem qui lib. XIX contra Faustum c. 26 late exponit oeconomiam institutionis libelli repudii, de eodem loquens l. 1 De Sermone Domini in monte c. 14 ait quod « quantumvis durus esset qui vellet dimittere uxorem, cum cogitaret libello repudii dato iam sine periculo eam posse alteri nubere, facile placaretur ». Putabat ergo Augustinus solvi coniugium. Cum vero dicit (De Bono coniugali c. 8) in ea permissione Moysis exprobrationem divortii magis quam approbationem apparere, de approbatione Dei loquitur secundum voluntatem antecedentem, quae profecto deerat, imo secundum eam exprobratio habebatur, nam solum ex causa hominum, ob duritiam nempe ipsorum, permissum fuerat repudium. Basilius quidem can. 9. epist. CXCVIII, et can. 21. epist. seq. verba Ieremiae referens ex c. III. 1 mulierem dimissam, quae alteri nupserit, de qua ibi sermo est, vocat adulteram: at manifestum est s. Doctorem non interpretari data opera legem Moysis, sed obiter verba Ieremiae referre, quae seorsim sumpta congruere poterant rei, quam tunc Basilius pertractabat. Cyrillus Alex. in Malachiam II. 14. 16 ex eo quod lex permiserit libellum dare repudii negat consequi ut qui dant sint extra culpam, qui idcirco dant ut alienis copulentur. Forte peccatum in eo collocat quod non bona intentione ducantur viri repudiantes suas uxores.

In apparatu biblico plures Dissertationes continente collectas a quodam Carmelita discalceato anno 1705, exstat Tom. 3. Disputatio De ritibus nuptiarum penes Iudaeos: et ibid. a. 8 defenditur vehementer sententia negans permissum fuisse Iudaeis permissione, quae auferret peccatum, dimittere uxores suas per libellum repudii ita ut vinculum coniugale solveretur, huiusque negationis praecipua ratio est auctoritas s. Thomae, qui id dicitur negasse. Id quidem probatur

tum pluribus eius adductis testimoniis, tum ex eiusdem principio, quod scilicet, auctore Thoma, lege naturae repugnet dissolutio matrimonii. Verum 1° s. Thomas utramque opinionem hac in quaestione recitat, et eam, quam nos defendimus, probabilem vocat; imo et defendit, solutis pro ea argumentis contrariis: solum aliam sententiam communiorem dicit, in eamque se magis ferri ostendit. Cf. in 4° D. XXXIII et 1ª 2ae q. CV. a. 4 ad 5. Quod vero aiunt Thomam ex solita sibi modestia probabilem vocare sententiam oppositam, non intelligimus quo spectet: neque enim credimus voluisse s. Doctorem ob modestiam asserere probabile id quod probabile non videbat. Igitur si vellemus etiam sola auctoritate s. Thomae quaestionem dirimere, nihil heic certi haberemus.

At 2° principium illud s. Thomae perperam producitur. Nam habenda est prae oculis distinctio praeceptorum iuris naturae in *prima* et *secunda*, quam dedimus in Thesis XIV. n. 1. non ex nostro penu, sed ex ipso s. Thoma. Cum ergo Thomas in lib. 3° contr. Gentes c. 123 plura argumenta producit, quibus probat lege naturae non congruere dissolubilitatem coniugii, dicimus ipsum loqui de secundis praeceptis legis naturae, quibus quod magis conveniens est, proponitur. Idque evidenter demonstramus ex eo quod censuerit probabile factam fuisse Iudaeis a Deo potestatem dissolvendi coniugii: quod certe non censuisset, si arbitratus esset eam esse contra primaria legis naturae praecepta, a quibus nec Deum dispensare licet. Quod igitur Thomas l. c. docet, illud est, quod nos quoque cum eo in p. seq. docebimus.

Quid ergo tandem habemus? sententiam, quae negat permissum fuisse a Deo Iudaeis per libellum repudii dimittere uxores ita ut vinculum solveretur, fuisse aetate Thomae inter Theologos communiorem, eamque ipsi placuisse magis. Verum haec nondum satis sunt Theologo pro plena quaestionis solutione. Sententiam e contrario quam defendimus, plures primique subsellii Theologi vel ut certam vel ut probabiliorem defenderunt. Sanchez l. X. D. 1. Bellarminus De Matr. L. I. c. 17. Bonfrerius in c. 24 Deuter. Cornelius a Lapide ibid. imo et ex Thomistis Gonetus in Tom. V. Clypei D. 5 et Caietanus in Deuter. c. 24. Propria ergo argumenta proferenda sunt petita ex analysi accurata textus reique natura, quod nos e virili nostra parte praestare conati sumus.

Dices nihilominus Paulum disserte docere quod in V. T. mulier alligata erat legi viri quamdiu is viveret, ut proinde vocaretur adultera, si fuisset cum alio viro. Hoc enim ex lege (nempe Moysis) assumit ad probandum quod lex in homine dominatur, quanto tempore vivit Rom. VIII. 1-3. Ergo secundum Moysis legem

uxor quoque dimissa manebat obligata viro dimittenti quamdiu is viveret.

Respondeo primum. Haec obligatio mulieris erga virum praedicatur rursus ab Apostolo iisdem pene verbis 1. Cor. VIII. 39 eamque is tradit inter praecepta propria oeconomiae christianae, ita ut istud quoque praeceptum videatur eiusdem oeconomiae proprium esse. Quocirca liceret forte suspicari legem, ad quam (Rom. VII) provocat, esse potius legem christianam.

Respondeo secundo. Verba parenthetica: *scientibus enim legem loquor,* fas est ita interpretari: *scientibus* scilicet *vim legis, quaecumque ea sit, loquor,* quae vis legis in eo est nimirum ut lex homini dominetur quamdiu vivit. Id porro declarat exemplo uxoris obligatae viro suo: hoc tamen exemplum a lege quoque christiana mutuari poterat; quoniam hoc in loco, si eam recipis interpretationem, de lege mosaica non agebatur.

Respondeo tertio. Si vis τὸν νόμον Rom. VII. 1 esse legem Moysis, adverte primum quod talis lex de obligatione mulieris erga virum totidem verbis in tota lege non reperitur. At exstat secundum sensum: ubinam vero? nescio an alium locum invenias praeter Gen. II. 23. 24, ubi lex institutionis matrimonii profertur. Iam vero si ad hunc locum respexit Apostolus, quid habes? lege nempe institutionis obligatam esse indissolubiliter uxorem viro et virum uxori: id nos libenter damus imo suo loco infra probabimus. At de hac re nunc non agitur: sed quaeritur utrum dispensatio ab hac lege (et cum dispensationem dicimus, profecto supponimus anteriorem legem) concessa fuerit hebraeis, qua possent viri dimittere uxores cum solutione vinculi. Id probamus ex loco Deuteronomii, ubi permissum aliquid fuisse secus ac ab initio institutum fuerat, testatur ipse Christus: neque quod nos contendimus negat Apostolus, qui solum legem institutionis aetate sua unice valentem utpote a Christo revocatam, citat.

3° Quae ergo erant causae, propter quas libellus repudii dari poterat a viro uxori secundum permissionem Moysis? Respondemus certum haud esse quod qualibet ex causa iuxta arbitrium viri concesserit Moyses libellum repudii. Sane advertatur primo quod aetate Christi dissensio erat de hac ipsa re inter duas Iudaeorum scholas, schola Hillelis affirmante id licere qualibet ex causa vel minima, schola vero Schammai defendente id licere solum ex gravi causa non quidem solius adulterii, sed et eorum, quae illi plus minus accederent et quibus fides debita a muliere violaretur. Ex hoc porro concludimus: ergo illa aetate non erat Iudaeis certa ista interpretatio legis mosaicae ut qualibet ex causa liceret viris dare libellum

repudii, neque fuerat certa antea multoque minus exstiterat unquam aliqua huius rei declaratio authentica: sic enim nec fuisset locus quaestioni. Cum ergo per plura secula Iudaei non viderint in lege hac Moysis id quod tamen quidem recentes interpretes se adeo clare videre putant, dicendum est reapse huiusmodi interpretationem adeo certam non esse. Etsi autem non pauci ex doctoribus hebraeorum aetate Christi ita sint interpretati verba Moysis, facile quisque dabit, puto, confundendam non esse sententiam Moysis cum interpretationibus recentium auctorum hebraeorum, qui plura commenti sunt alienissima a Moyse. Imo ipsa ratio disputandi scholae Hillelis ostendit eam opinionem fuisse novam; eam enim probabat ineptissimo argumento, cum vellet verba עֶרְוַת דָּבָר quae sunt in statu constructo ideoque unum quid significant, accipi seorsim ac si diceretur vel עֶרְוָה vel דבר (cf. Seldenum de uxore hebraica L. III. cc. 18. 20).

Si ipsa verba Moysis consideremus, nihil est quod cogat tam amplam adhibere interpretationem. Nam non dicitur simpliciter: *si non invenerit (mulier) gratiam in oculis viri,* sed additur determinatio quaedam, h. e. *propter aliquam foeditatem, propter rem foedam:* quae determinatio merito subintelligitur et in altero commate, cum rursus dicitur: *si vir oderit eam;* nam de eadem re prorsus agitur h. e. de dimissione uxoris. Itaque quaestio redit ad vim huius phrasis עֶרְוַת דָּבָר foeditas rei h. e. foedum quid. Concedimus non solum adulterium significari, contendimus autem commode accipi de aliqua re sive actione inhonesta contra fidem matrimonii. Proprie enim עֶרְוָה est *nuditas,* hinc turpitudo; quae cum de uxore dicuntur et trahuntur ad significandam causam, cur uxor odio habeatur a viro, pronum est ut de morali turpitudine contra matrimonii fidem intelligantur. Et licet eadem phrasis occurrat cap. praeced. v. 15 in sensu foeditatis physicae, non est tamen consequens hanc ipsam heic quoque significari; ex diversis enim adiunctis sermonis suppositio vocis variatur. Quocirca pro assequendo sensu huius phrasis nobis satis est supponere haec duo: *a*) quod Moyses de re iam nota loquutus sit, ut patet ex modo quo rem proponit: cum vero Christus dicat id fuisse hebraeis permissum ob duritiam cordis, ostendit in id proclives fuisse hebraeos et in praxim identidem induxisse: ut Moyses idcirco usurpaverit eam phrasim secundum sensum iam penes hebraeos determinatum cum de uxore adhiberetur; opus est supponere *b*) quod haec phrasis hunc sensum, quem dicimus, tunc habuerit, quem certe, spectata ipsius etymologia, poterat habere. Historia quidem Scripturis contenta nihil suppeditat quo suadeatur aliam fuisse interpretationem practicam hebraeorum: imo fere nullum exemplum occurrit huiusmodi repudiorum (in 1° quidem Paral. VIII. 8 exemplum huius rei

exhibetur), ex quo, si aliquid colligere licet, potius colligendum est quod non adeo facile fuerit secundum legem Moysis repudium dare, ideoque non fuerint tot causae eiusdem. Interrogatio vero Pharisaeorum Matth. XIX non ostendit persuasionem fuisse populi licere viro dimittere uxorem qualibet ex causa, neque ostendit id putasse Pharisaeos qui interrogabant: ut enim tentantes Christum, ipsum id interrogarent, satis erat eos nosse hanc opinionem vigere apud aliquos doctores suae gentis, et cum Christum tentare vellent, poterant profecto urgere quoque argumenta partis sibi adversae. Non negamus tamen fieri potuisse ut phrasis usurpata olim a Moyse, deinde lapsu temporis nacta sit penes hebraeos ampliorem significationem, et secundum hanc etiam res in praxim deducta, quemadmodum postremis temporibus a non paucis doctoribus hebraeis factum est; sed, ut iam monuimus, quaestio non est de rabbinorum interpretatione, sed de ipsa sententia Moysis.

Concludimus ergo certum haud esse quod Moyses permiserit viro repudium dare uxori *qualibet ex causa*, et probabile satis esse quod solum permiserit ex causa gravi violante fidem matrimonii, ut schola quoque Schammai interpretabatur. His statutis patet responsio ad difficultatem propositam ex lege Moysis. Nam non ex qualibet causa Moyses permisit viro dimittere uxorem, aut saltem id nequit certo affirmari: neque certum est id, cum licuit, factum fuisse a viro absque ullo interventu personae cuiusdam publicae cognoscentis actum, aut certe testium, ut volunt Rabbini (cf. Seldenum l. c. c. 25), et forte libellum ipsum persona publica scribebat, ut vult Augustinus l. c. ex L. XIX contra Faustum: etsi id nondum in hebraeorum commentariis compertum esse putet Seldenus l. c. Atqui haec est prorsus alia ratio repudii ac ea quam nos superius impugnavimus: ergo.

V. At dissolubilitas intrinseca ex certis tantummodo causis, quibus bona propria matrimonii non impediantur, quae certis legibus regatur potiora incommoda caventibus actumque difficiliorem ac rarum reddentibus, fiatque cum consensu independentis auctoritatis, non repugnat primario naturae iuri. Argumentum primum pro hac doctrina peti potest ex permissione repudii facta hebraeis a Deo, si vere repudium eo spectabat ut matrimonii vinculum solveretur. Nam in hac hypothesi vere erat vir qui dimittebat uxorem, liberam eam esse iubens per libellum repudii: servabatur quidem forma praescripta a lege, sed dimissio et repudium auctoritate viri fiebat; ideoque erat dissolutio intrinseca. Porro in ea lege non plures erant certe cautiones quam quas nos posuimus in enunciatione nostrae assertionis. Cum ergo Deus potestatem dandi libelli repudii permiserit

omnibus viris hebraeis, nec tamen in populo suo matrimonii essentiam destruxerit, consequitur quod aliqua potestas dissolutionis seu dissolubilitas intrinseca non repugnet naturae legibus saltem primariis. Et quia per se quoad potestatem in corpus alterius, qua vinculum coniugale constituitur, par est ius in utroque coniuge, hinc quod viro licet, licet quoque per se uxori.

Et sane fac filiis iam esse quoad educationem et victum satis provisum, fac uxorem esse sterilem, difficile probabis (ait Bellarminus De Matrim. c. 4) essentiae matrimonii repugnare dissolutionem: imo nihil est quod spectato solo naturae iure ipsam repugnare demonstret: petitur enim haec demonstratio ex finibus talis unionis. Fac praeterea alterum coniugum moechari; cum naturali horrore refugiat coniux a contractu et familiaritate partis, quae adeo fidem violavit, an si praesertim nulli adhuc sunt filii, lex primaria naturae alteri parti offensae negat ius se separandi et alias contrahendi nuptias ut contra votum innupta maneat et ex culpa alterius privetur bono prolis et freno concupiscentiae? Postulari quidem potest ut certis limitibus coerceatur haec potestas, certisque legibus independentibus ab arbitrio singulorum regatur, qua in re nihil amplius postulari posse arbitramur quam quod exposuimus ab initio in enunciatione huius partis: at his positis nequis probare iure naturae repugnare essentiae matrimonii dissolubilitatem intrinsecam in huiusmodi casibus, nisi probes eidem repugnare quamlibet dissolubilitatem; quod tamen falsum est. Quodcumque enim argumentum efficias, huc redibit ut vel ex finibus matrimonii vel ex natura ipsa obligationis coniugum ab initio susceptae demonstres repugnare primario naturae iuri hanc dissolubilitatem. Iam vero ex finibus id nequis demonstrare, ut vidimus: si vero arguis ex natura obligationis, cum haec eadem semper sit, efficies esse contra primarium naturae ius quamlibet dissolutionem, eo quod adversetur illi obligationi: si autem concedis cum natura illius obligationis posse componi aliquam eiusdem dissolutionem, tunc quomodo probas etiam hanc dissolubilitatem, de qua loquimur, repugnare primario naturae iuri? Porro aliquam dissolutionem pati vinculum coniugale certum est et inferius videbimus.

Haec, quam defendimus, est certe sententia Augustini, qui indissolubilitatem plenam censet propriam esse matrimonii christiani eo quod sacramentum est, imo in ea ponit rem sacramenti (loquitur autem Augustinus de indissolubilitate praesertim intrinseca: nam extrinseca quaedam matrimoniis christianis competit, ut postea videbimus): ergo eam Augustinus non agnovit in matrimonio, spectato solo naturae iure.

VI. Haec tamen intrinseca dissolubilitas, de qua modo locuti

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sumus, opponitur secundariis naturae iuribus. Quod enim essentiae matrimonii per se est congruum et conveniens magis, ita ut oppositum plus minus dedeceat, illud secundariis iuribus naturae praecipitur. Porro congruit certe et maxime convenit matrimonio, ut intrinsece sit prorsus indissolubile. Sane abhorret a matrimonio quod coniux, dum est ligatus, cogitet de alio matrimonio ineundo; minuitur enim hoc ipso illa mutua amicitia, quae tamen sponte sequitur ex tam arcta et naturali communicatione, quam alter sui facit alteri: atqui nisi indissolubilis sit unio, illud non tantum ex vitio hominis, sed per se consequi posset et consequeretur. Praeterea uxor est quadam certa ratione caro viri, et vir quoque caro mulieris; sunt enim una caro: atqui *nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam* (Ephes. V. 2); ergo natura divortium refugit, sicut odium propriae carnis, cum aliquo quidem discrimine, secundum quod coniux et caro proprie differunt. Rursus indissolubilitate matrimonii per se bono prolis certius providetur ac pudori uxoris honestius consulitur: sic communio vitae, unio animorum, status familiae ac affinitatum necessitas firmior et sanctior est. Tandem hoc pacto distinctio familiarum certior ac pax inter diversas familias tutior est et ita bono societatis humanae melius consulitur. Quod si aliquando contingit decere ut solvatur vinculum, id non est opus fieri potestate coniugum, sed fieri potest auctoritate superioris, ideoque extrinsece. Quare merito haec indissolubilitas sancita est lege institutionis.

Obiici solent inconvenientia quaedam, quae locum habent posita indissolubilitate matrimonii cum odium seu fastidium successerit amori: verum 1) haec non praeponderant iis quae ex dissolubilitate orirentur: 2) haec sunt incommoda singularum personarum; ea vero quae a dissolubilitate oriuntur, adversantur plus minus ipsi matrimonio finique intento per ipsum a natura: 3) haec non per se exsistunt sed ex mala hominum voluntate, qui liberi cum sint, possunt ea impedire ex quibus originem ducunt; illa vero per se ex dissolubilitate orirentur. Ceterum confer quae de hoc argumento disputabimus data opera in Th. XXIII.

Iuxta modo dicta intelligimus iure damnatam proposit. 67 in Syllabo Pii IX. « Iure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest ».

THESIS XVII.

Traditione catholica constat matrimonium christianum non solum consummatum sed et ratum tantum esse intrinsece *indissolubile in causa quoque adulterii.*

I. Nunc speciatim de indissolubilitate matrimonii christiani. Advertе plures Theologos (cf. Sanchez L. II. D. 13) in hac quaestione non uti hac distinctione indissolubilitatis in intrinsecam et extrinsecam, idque unum spectare pro affirmanda sive neganda indissolubilitate, utrum matrimonium solvi possit. Cum autem negant omne matrimonium esse prorsus indissolubile solumque matrimonium consummatum christianorum tale esse affirmant, spectant reapse indissolubilitatem eam, quam extrinsecam diximus, qua matrimonium ratum fidelium et consummatum quoque infidelium carere potest. Convenit tamen inter omnes matrimonium consummatum fidelium esse prorsus indissolubile, non vero consentiunt in assignanda huius rei intrinseca ratione, nimirum an id sit iure naturae, an iure positivo Dei, an ecclesiastico, an ratione sacramenti, an ratione certae significationis. Primum oportebit veritatem demonstrare, tum eius rationem investigare. Dicimus ergo matrimonium christianum sive ratum sive consummatum esse intrinsece indissolubile etiam in causa adulterii alterutrius coniugis. Difficultas est ex verbis Matthaei XIX et ex praxi Graecorum et quorumdam Patrum sententiis, an scilicet christianis propter fornicationem vel adulterium coniugis facta sit potestas, quae ob alias quoque causas Iudaeis competebat, dissolvendi nempe vinculum coniugale.

II. Doctrina est asserta a Trid. Conc. De Matrim. cn. 5. Si quis dixerit propter haeresim aut molestam cohabitationem aut affectatam absentiam a coniuge, dissolvi posse matrimonii vinculum, A. S. et cn. 7. Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit et docet, iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero coniuge vivente, aliud matrimonium contrahere moecharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit et eam, quae dimisso adultero, alii nupserit: A. S. In his canonibus sermo est simpliciter de matrimonio, quod saltem est matrimonium christianorum ad quos spectant hi canones; nulla distinctione facta inter ratum et consummatum. Potestas quae negatur, est certe potestas, quae ipsis coniugibus competat; si haec enim adsit, falsi sunt per se et sim-

sumus, opponitur secundariis naturae iuribus. Quod enim essentiae matrimonii per se est congruum et conveniens magis, ita ut oppositum plus minus dedeceat, illud secundariis iuribus naturae praecipitur. Porro congruit certe et maxime convenit matrimonio, ut intrinsece sit prorsus indissolubile. Sane abhorret a matrimonio quod coniux, dum est ligatus, cogitet de alio matrimonio ineundo; minuitur enim hoc ipso illa mutua amicitia, quae tamen sponte sequitur ex tam arcta et naturali communicatione, quam alter sui facit alteri: atqui nisi indissolubilis sit unio, illud non tantum ex vitio hominis, sed per se consequi posset et consequeretur. Praeterea uxor est quadam certa ratione caro viri, et vir quoque caro mulieris; sunt enim una caro: atqui *nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam* (Ephes. V. 2); ergo natura divortium refugit, sicut odium propriae carnis, cum aliquo quidem discrimine, secundum quod coniux et caro proprie differunt. Rursus indissolubilitate matrimonii per se bono prolis certius providetur ac pudori uxoris honestius consulitur: sic communio vitae, unio animorum, status familiae ac affinitatum necessitas firmior et sanctior est. Tandem hoc pacto distinctio familiarum certior ac pax inter diversas familias tutior est et ita bono societatis humanae melius consulitur. Quod si aliquando contingit decere ut solvatur vinculum, id non est opus fieri potestate coniugum, sed fieri potest auctoritate superioris, ideoque extrinsece. Quare merito haec indissolubilitas sancita est lege institutionis.

Obiici solent inconvenientia quaedam, quae locum habent posita indissolubilitate matrimonii cum odium seu fastidium successerit amori: verum 1) haec non praeponderant iis quae ex dissolubilitate orirentur: 2) haec sunt incommoda singularum personarum; ea vero quae a dissolubilitate oriuntur, adversantur plus minus ipsi matrimonio finique intento per ipsum a natura: 3) haec non per se exsistunt sed ex mala hominum voluntate, qui liberi cum sint, possunt ea impedire ex quibus originem ducunt; illa vero per se ex dissolubilitate orirentur. Ceterum confer quae de hoc argumento disputabimus data opera in Th. XXIII.

Iuxta modo dicta intelligimus iure damnatam proposit. 67 in Syllabo Pii IX. « Iure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest ».

THESIS XVII.

Traditione catholica constat matrimonium christianum non solum consummatum sed et ratum tantum esse intrinsece *indissolubile in causa quoque adulterii.*

I. Nunc speciatim de indissolubilitate matrimonii christiani. Advertе plures Theologos (cf. Sanchez L. II. D. 13) in hac quaestione non uti hac distinctione indissolubilitatis in intrinsecam et extrinsecam, idque unum spectare pro affirmanda sive neganda indissolubilitate, utrum matrimonium solvi possit. Cum autem negant omne matrimonium esse prorsus indissolubile solumque matrimonium consummatum christianorum tale esse affirmant, spectant reapse indissolubilitatem eam, quam extrinsecam diximus, qua matrimonium ratum fidelium et consummatum quoque infidelium carere potest. Convenit tamen inter omnes matrimonium consummatum fidelium esse prorsus indissolubile, non vero consentiunt in assignanda huius rei intrinseca ratione, nimirum an id sit iure naturae, an iure positivo Dei, an ecclesiastico, an ratione sacramenti, an ratione certae significationis. Primum oportebit veritatem demonstrare, tum eius rationem investigare. Dicimus ergo matrimonium christianum sive ratum sive consummatum esse intrinsece indissolubile etiam in causa adulterii alterutrius coniugis. Difficultas est ex verbis Matthaei XIX et ex praxi Graecorum et quorumdam Patrum sententiis, an scilicet christianis propter fornicationem vel adulterium coniugis facta sit potestas, quae ob alias quoque causas Iudaeis competebat, dissolvendi nempe vinculum coniugale.

II. Doctrina est asserta a Trid. Conc. De Matrim. cn. 5. Si quis dixerit propter haeresim aut molestam cohabitationem aut affectatam absentiam a coniuge, dissolvi posse matrimonii vinculum, A. S. et cn. 7. Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit et docet, iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero coniuge vivente, aliud matrimonium contrahere moecharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit et eam, quae dimisso adultero, alii nupserit: A. S. In his canonibus sermo est simpliciter de matrimonio, quod saltem est matrimonium christianorum ad quos spectant hi canones; nulla distinctione facta inter ratum et consummatum. Potestas quae negatur, est certe potestas, quae ipsis coniugibus competat; si haec enim adsit, falsi sunt per se et sim-

pliciter canones; atque de hac quaestio erat, cum hi canones sunt editi. Enumerantur causae, quae maxime valere possent pro dissolvendo vinculo, quaeque ab haereticis afferebantur pro dissolutione eiusdem. Ex altero canone habemus 1) Ecclesiam, non hanc aut illam, sed simpliciter Ecclesiam, idest catholicam docuisse et docere matrimonii vinculum non posse dissolvi propter adulterium alterius coniugis: 2) id docuisse et docere iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam: 3) anathema esse, qui in hac doctrina dixerit Ecclesiam errare. Refert Pallavicinus L. XXII. c. 4 fuisse antea propositum simplicius decretum, quo dicebatur anathema ille qui diceret matrimonia consummata propter adulterium posse dissolvi. Si sententiam spectas, eadem fere doctrina traditur in utroque decreto. Nam nequit Ecclesia non errare cum docet matrimonium non posse dissolvi, nisi id sit verum, et quidem verum iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam; nam secundum hanc id se docere testatur Ecclesia: ergo hoc ipso tridentini Patres significant id esse verum revelatum. Et sane qui affirmaret posse dissolvi in eo casu coniugium, affirmare quoque deberet errare Ecclesiam, quae id negat. Idque Protestantes faciebant. Verum Graeci, minus logici, contenti sua praxi dissolvend ea coniugia, abstinebant ab hac calumnia erga Ecclesiam latinam. Ex hac porro speciali ratione cogitandi graecorum fiebat ut ii non percellerentur anathemate, si anathema tantum diceretur eis, qui dicerent hac in re Ecclesiam errare. Ut ergo Concilium morem gereret oratoribus venetis, qui flagitabant ne anathema ferretur in Graecos, admisit eam alteram formulam propositam ab iisdem oratoribus. Non ergo est mutata doctrina, sed mutata ratio infligendi anathema, et conditio propter quam anathema incurratur. Ceterum canonem esse *doctrinalem* nemo negare potest. Asseritur enim indissolubilitatem matrimonii esse doctrinam Ecclesiae, doctrinam iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam, h. e. revelatam, Ecclesiam in hac doctrina tradenda infallibilem esse, et haereticos esse qui id negant. Porro canon proponens doctrinam revelatam et ab Ecclesia infallibiliter assertam, est certe doctrinalis. Imo et *dogmaticus* est, astruens scilicet fidei dogma ab omnibus credendum: cuius tamen obiectum directum est inerrantia Ecclesiae in ea re docenda; indirectum vero ipsa res seu indissolubilitas coniugii. « Quis catholicus (ait Pius VI epist. ad Episc. Agriensem) doctrinae caput non in eo agnoscat, quod Ecclesia docuit et docet iuxta Evangelium et apostolicam doctrinam, et in quo docendo certum sit imo expresse definitum eam non errare».

Ut vindicemus doctrinam Concilii, demonstrare oportet illam esse reapse evangelicam et apostolicam. Id vero tum ex verbis Christi atque Apostoli, ad quae alludit certe Trid. Conc. tum ex constanti

Traditionis consensu probari potest. Cum potissimum quaestio sit utrum in causa adulterii coniuges habeant potestatem dissolvendi coniugii, qua negata, sponte sequitur negandum eam esse in ceteris casibus; hanc quaestionem praecipue agemus: quamvis quae proferemus, tum implicite tum explicite valebunt universaliter pro quocumque casu. Nota insuper quod licet nunc disserentes agamus tantum de indissolubilitate intrinseca, nolumus dicere quod haec tantum competat et haec tantum a testimoniis afferendis asseratur matrimonio, de quo loquimur, sed utrum alia quoque competat, disputabimus disserte postea.

III. Sit argumentum primum ex Traditione. Constans Ecclesiae sensus quod haec sit divina revelata doctrina, si ab aetate Conc. Flor. ascendamus ad initium, ita patet. 1) In ea Synodo Florentina latini Romanusque Pontifex aperte significarunt improbare se methodum graecorum solvendi vinculum nuptiarum causa fornicationis: idemque Pontifex in Instructione pro Armenis docuit quod « quamvis ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit ». Ita in iure canonico sancitum est, et quidem tanquam lex evangelica, allatis verbis Christi et Apostoli, *c. Ex parte, de Sponsalibus et Matrimoniis,* et *c. Gaudemus De Divortiis*, quae quidem rescripta sunt alterum Alexandri III, alterum Innocentii III. Ante hos Ioannes VIII, his verbis scripserat ad Ederetum Archiep. Anglorum, an. 877: « His autem quos asseris uxores proprias contra praeceptum Domini relinquere, praecipimus neque virum ab uxore, neque uxorem a viro, nisi causa fornicationis discedere: quod si *ob hoc* discesserit, manere innuptum vel innuptam, aut sibi mutuo reconciliari; quoniam dicente Domino: quod Deus coniunxit homo non separet et ideo cum priorem legitimo sibi matrimonio iunctam quisque deserere nequeat, *nulla ratione illi prorsus conceditur aliam*, vivente priore, conducere ». Ante hunc Nicolaus I epist. ad Adonem Archiep. Viennensem an. 862. « Requiritis si dimissa uxore, quam legitime sponsatam quis duxerit, quia nomen malum postmodum ei imposuit, absque decreto generalis Synodi, liceat ei aut aliam accipere contra auctoritatem evangelicam, aut illa superstite, pro uxore concubinam habere. Quibus nos apostolica auctoritate fulti secundum evangelicam sanctionem omnino resistimus, et nec alius uxoris copulam eis qui talia agunt, dimissa superstite, habere concedimus neque concubinam habendi licentiam tribuimus ». Photius in Syntagmate Canonum Tit. XIII. c. 4 recitat canonem Concilii Milevitani mox afferendum. Idem statuitur in Capitularr. ex Collectione Benedicti L. II. n. 87 et 235, quo id decer-

nitur: « qui causa fornicationis dimissis uxoribus suis alias ducunt, Domini sententia adulteri esse notantur ». Idem seculo praecedente statutum est in Concilio Foroiuliensi, addita hac ratione. « Nam etsi legatur in sacris evangelicis paginis, sola fornicationis causa dixisse Dominum dimittere virum uxorem suam, non tamen legitur concessisse aliam, vivente illa, in coniugio sibi sociare: prohibuisse quidem modis omnibus non ambigitur. Ait enim: quicumque etc. » Idem eodem seculo statuit Stephanus II responsis datis ad Episcopos Galliarum, renovans decreta Innocentii I et Leonis M. Idem seculo praecedente decretum est in Concilio Herudfordiensi in Anglia sub Theodoro Archiep. Cantuariensi c. 10. « Nullus coniugem propriam, nisi, ut sanctum Evangelium docet, fornicationis causa, relinquat. Quod si quisquam propriam expulerit coniugem legitimo sibi matrimonio coniunctam, si christianus esse recte voluerit, nulli alteri copuletur; sed ita permaneat, aut propriae reconcilietur uxori ». Seculo autem V Concilium Milevitanum II canonem edidit, qui tribuitur etiam Conc. Carthaginiensi anno 407. Canon est 8. « Placuit, ut secundum evangelicam et apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito, alteri coniungantur: sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad poenitentiam redigantur. In qua causa legem imperialem petendam promulgari ». Item Innocentius I ad Exuperium Tolosanum Episc. « De his etiam requisivit dilectio tua, qui interveniente repudio, alii se matrimonio copularunt. Quos in utraque parte adulteros esse manifestum est, qui vero vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse coniugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri, in tantum, ut etiam hae personae, quibus tales coniunctae sunt, etiam ipsae adulterium commisisse videantur secundum illud quod legimus in Evangelio: qui dimiserit uxorem suam et duxerit aliam, moechatur, similiter et qui dimissam duxerit, moechatur ». Conc. Illiberitanum an. 305. can. 9 id statuit. « Fidelis femina, quae adulterum maritum reliquerit fidelem, et alterum ducit, prohibeatur ne ducat: si autem duxerit non prius accipiat communionem, nisi quem reliquerit prius de seculo exierit, nisi forte necessitas infirmitatis dare compulerit ». Tandem canon Apostolicus 48[us] secundum recensionem Dionysii Exigui decrevit: « Si quis laicus, uxore sua reiecta, aliam perceperit, vel ab alio dimissam (aut solutam), segregetur ». Neque heic interpretes Graeci Theodorus Balsamon et Aristenus audiendi sunt, qui pro suae Ecclesiae praxi tunc temporis firmanda, addunt limitationem, nempe si eiecerit *praeter rationem* vel *sine aliqua causarum legibus sancitarum.*

IV. Seriei decretorum parallela est series testimoniorum Patrum ad aevum usque apostolicum pertingens. Ut potiora testimonia afferamus ab antiquioribus incipientes, primus occurrit Hermas, qui L. II. Mand. 4 ita Pastorem loquentem inducit: « Si sciverit vir uxorem suam deliquisse, et non egerit poenitentiam mulier et permaneat in fornicatione sua et convivit cum illa vir; reus erit peccati eius et particeps moechationis eius. Et dixi illi: quid ergo si permanserit in vitio suo mulier? Et dixit: dimittat illam vir et per se maneat. Quod si dimiserit mulierem suam et aliam duxerit, et ipse moechatur ». Iustinus Martyr in 1ª Apologia n. 15 doctrinam Christi circa castitatem commendans, haec ex Evangelio recitat testimonia « qui inspexerit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo.... qui ducit repudiatam ab altero viro, moechatur ». Tum subdit. « Quemadmodum etiam ii, qui ex lege humana duplex matrimonium ineunt, ita et qui mulierem adspiciunt ad concupiscendam eam, peccatores sunt apud magistrum nostrum ». Ergo ex Christi lege vinculum manet inter repudiatam et repudiantem; et quamvis humanae leges permittant alterum matrimonium inire, priore soluto, hoc tamen apud Christum peccatum est. Idem docet Athenagoras in Legat. pro christianis n. 33. « Quicumque, inquit Christus, dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, moechatur; nec eam dimitti sinens, cuius virginitati finem quis imposuit, nec aliam insuper duci ». Tertullianus autem in lib. de Patientia c. 12 ait patientiae virtutem hoc conferre bonum utrique coniugi, cum propter adulterium unius disiunctum est matrimonium, ut alter emendetur, alter (h. e. innocens) non fiat adulter ». Non posset vero fieri talis, nisi adhuc vinculum maneret et non liceret illud dissolvere. Et in lib. de Monogamia hanc refert sententiam catholicorum, quos impugnat « Deum, vivo marito, nolle repudiatam alii viro iungi ». Clemens Alexan. Strom. L. II. c. 23 docet ex verbis Christi moechari eum, qui dimissam propter fornicationem, uxorem sibi accipit: « Scriptura legem aperte constituit, non dimittes uxorem nisi propter fornicationem. Adulterium autem existimat coniungi matrimonio, vivo altero ex separatis.... Qui autem dimissam accipit uxorem, moechatur, inquit ». Origenes in Matth. Tom. 14 monet quod « contra Scripturae legem mulieri, vivente viro, nubere quidam Ecclesiae rectores permiserunt, agentes contra id quod scriptum est: Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius vivit, et contra illud: Igitur vivente viro mulier vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; non omnino tamen permiserunt sine ratione; haec enim contra legem ab initio latam et scriptam, ad vitanda peiora, alieno arbitrio morem gerentes eos permisisse verisimile est ». Agebatur

ergo de mulieribus repudiatis vel repudiantibus, quod repudium arbitrium legum et potestatum civilium permittebat, cui arbitrio, ob peiora mala vitanda, morem gessisse Episcopos putat Origenes. Neque enim privatorum arbitrio etiam contra civiles leges morem gessisse censendi illi sunt; nam non potuissent putare se vitare peiora mala, cum hoc esset maximum malum; neque opus fuisset ut id permitterent, cum lex quoque civilis praeter casus a se permissos divortium prohiberet; neque proinde si id fecissent digni essent excusatione. Eandem doctrinam exhibet Cyprianus L. III. Testim. ad Quirinum, n. 90 et Ambrosius, qui in Lucam L. VIII. 2–5 in ea verba: omnis qui dimittit uxorem etc. reprehendit fideles quod putent licere sibi dimittere uxores, quia id humanae leges permittebant: « Dimittis uxorem quasi iure, sine crimine, et putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet; sed divina prohibet. Qui hominibus obsequeris, Deum verere; audi legem Domini, cui obsequuntur etiam qui leges ferunt: quod Deus coniunxit homo non separet ». Tum Iudaeum esse monet n. 7 non christianum qui provocat ad permissionem factam a Moyse, quam Christus abrogavit. Docet praeterea ibidem (n. 6) quod si repudiata (utique secundum leges humanas ideoque etiam in causa adulterii) alteri nubat, coniugium eius adulterium est ». In lib. I vero de Abraham c. 4 statuit principium, quod « non viro licet quod mulieri non licet ». Basil. in Moral. reg. 73. c. 2: « quod non licet, ait, viro, uxore dimissa, aliam ducere: nec fas est repudiatam a marito, ab alio duci uxorem ». Atque ad id probandum citat Matth. XIX. 9 sicut est in vulgato (Cf. lib. praeced. De Fide n. 6). Nazianzenus epist. CXLIV ad Olympium (edit. maurin.) consulens cuidam Venerio ne divortium faceret, subdit: « quod legibus nostris prorsus improbatur, etiamsi romanae aliter decernant ». Adversabatur scilicet christianis legibus haec permissio iuris romani, quod non qualibet ex causa, sed certis tantum ex causis, inter quas adulterium, divortium cum solutione vinculi permittebat. Ita Chrysostomus in Matth. hom. XVII interpretans verba Christi c. V. 32 docet quod eiecta a viro manet eiicientis uxor; « expulsa quoque, ait, perseverat esse uxor eius, qui eam eiecit ». Et in Serm. de libello repudii perpendens verba Pauli: Mulier alligata est legi, ait « vide quanta cum diligentia verborum usus sit proprietate. Non enim dixit: cohabitet viro quoad vixerit, sed mulier alligata est legi quanto tempore vir eius vivit: atque adeo etiamsi libellum repudii det, etiamsi domum relinquat, etiamsi ad alium abeat, legi adstricta adulteraque est. Quando igitur vir eiicere vult uxorem aut uxor relinquere virum, huius memor sit dicti et Paulum putet esse praesentem et clamantem: *Mulier adstricta est legi:* quae autem serva est et subdita legi, etiamsi millies libellum repudii accipiat, adulterii ligabitur lege. Ne mihi leges ab exteris conditas legas; neque enim iuxta illas iudicaturus est te Deus in die illa, sed secundum eas quas ipse statuit ». Ergo et dato repudio secundum civiles leges, quae ob adulterium id permittebant, dimittens manet adhuc vinculo ligatus, et qui dimissam ducit, moechatur. Huc quoque facit quod ibidem uxorem ab uno repudiatam, et ab altero acceptam, nec prioris nec alterius esse uxorem dicit: adultera enim nullius est uxor. Nam si vinculum solveretur, esset reapse coniux secundi. Non est ergo *de facto* seu secundum affectum coniux prioris, quia non agnoscitur: non est alterius *de iure,* quia vinculum prius manet. In libro autem De Virginitate aperte docet n. 40, quod etsi uxor sit improba, maledica, loquax, sumptuosa, aliisque malis pluribus referta, vir pariter sit ferox, iracundus, superbus, qui liberam eodem loco habeat quo servam, alter ab altera vicissim tollerandus sit et si discedit mulier, innupta maneat aut viro reconcilietur: quod si nolit in gratiam redire, mortem viri exspectet: vinculum matrimonii invicem subiicere coniuges: coniugem nullum sui iuris esse: velint nolint coniuges viri et feminae, ferendam iis esse servitutem. Theodoretus in 1. Cor. VII. vv. 10. 11 ait: « hoc autem, *maneat innupta, vel viro reconcilietur,* non est contrarium illi: *nolite fraudare vos invicem, nisi forte ex consensu.* Illa enim dicta sunt iis, qui non propter aliam causam, sed propter solam continentiam separantur: hoc autem iis legem statuit, qui de aliis rebus contendunt. Et conatur quidem infractum servare matrimonii vinculum: cedens autem imbecillitati, ei qui se separaverit continentiam praecipit, hac etiam ratione prohibens matrimonii disiunctionem. Cum enim alteri coniungi prohibet, utramque partem ad prius matrimonium redire compellit ». Hieronymus (qui in Orientali Ecclesia eruditus ac plurimam vitae partem ibi degens, Ecclesiae quoque Orientalis sensa referre censendus est) ep. LV ad Amandum n. 3. 4. « Responde non nostram sed Apostoli sententiam: *ergo vivente viro adultera erit* etc. et in alio loco: *mulier alligata est legi* etc. Omnes igitur causationes Apostolus amputans apertissime definivit, vivente viro adulteram esse mulierem, si alteri nupserit... Quandiu vivit vir, licet adulter sit, licet sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, et ab uxore propter haec scelera derelictus, maritus eius reputatur, cui alterum virum accipere non licet. Nec Apostolus haec propria auctoritate decernit, sed Christo in se loquente, Christi verba sequutus est, qui ait in Evangelio: qui dimittit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam moechari, et qui dimissam acceperit, adulter est. Sive ipsa dimiserit virum, sive a

viro dimissa est, adulter est qui eam acceperit ». Licet de muliere potissimum loquatur s. Pater, quia talis erat quaestio ei proposita, tamen et ad virum spectare quod de muliere affirmat, satis ostendit cum provocat ad verba Christi, quae de viro loquuntur, et cum exinde arguendo concludit, tum etiam cum epist. LXXVII ad Oceanum n. 3 ait. « Aliae sunt leges caesarum, aliae Christi, aliud Papinianus, aliud Paulus docuit. Apud illos viris impudicitiae frena laxantur.... apud nos quod non licet feminis, aeque non licet viris, et eadem servitus pari conditione censetur ». Atque ibid. Fabiolam excusat, quae repudiando maritum adulterum alteri nupserat, eo quod « Evangelii vigorem non noverat, in quo nubendi universa causatio, viventibus viris, feminis amputatur ». Et in Matth. XIX. 9. « Ubicumque est fornicatio et fornicationis suspicio, libere uxor dimittitur.... sic priorem dimittere iubetur uxorem, ut secundam, prima vivente, non habeat ». Augustinus L. II ad Pollentium c. 4°. Haec verba Apostoli (*Mulier alligata est legi* etc.) toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plena sunt, nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desiverit. Esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir eius, non si fornicetur: licite itaque dimittitur coniux ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterii, qui dimissam duxerit etiam ob causam fornicationis ». Lege utrumque librum, et De Bono coniugali. Difficultas autem, quam se in hac re Augustinus fatetur experiri ad Pollentium L. I. c. 25; non versatur circa quaestionem an ita res sit, in qua dissertissime affirmantem partem semper tuetur, sed est tum in quaestione exegetica quoad ea verba Christi *nisi ob fornicationem,* quae difficultas nulla esset nisi certa esset affirmatio prior; tum in quaestione cur ita sit sive in reddenda intrinseca ratione rei, quam ipse a ratione sacramenti petit. « Usque adeo foedus illud initum nuptiale *cuiusdam sacramenti res est,* ut nec ipsa separatione irritum fiat.... siquidem interveniente divortio non aboletur illa confoederatio nuptiarum, ita ut sibi coniuges sint, etiam separati: cum illis autem adulterium committant, quibus fuerint etiam post suum repudium copulati vel illa viro, vel ille mulieri. *Nec tamen nisi in civitate Dei nostri, in monte sancto eius talis est causa cum uxore.* Ceterum aliter se habere iura gentium quis ignorat? » Beda in 1. Cor. VII. 10. « Fieri potest ut vir dimittat uxorem causa fornicationis, quam Dominus exceptam esse voluit. Iam vero si nec illi nubere conceditur vivo a quo recessit, neque huic alteram ducere viva uxore quam dimisit; multo minus fas est illicita cum quibuslibet stupra committere ». In Capitularibus Caroli M. Ludovici et Lotarii ab Ansegiso collectis hic est canon 42.

Lib. I. « Item in eodem (h. e. concilio Africano) ut nec uxor a viro dimissa alium accipiat virum, vivente viro suo, nec vir aliam accipiat, vivente uxore priore ».

Eadem doctrina elucet ex ritibus nuptiarum. Ita in rituali Gelasiano exoratur Deus « qui foedera nuptiarum blando concordiae iugo, et insolubili pacis vinculo nexuisti ». Et in ordine graecorum pro Sponsalibus, Deus dicitur σύνδεσμον διαθέσεως τιθεὶς ἄῤῥηκτον. Cf. ceteros libros rituales penes Marthene.

Ex his omnibus monumentis liquet doctrinam hanc de indissolubilitate intrinseca coniugii etiam in causa adulterii semper exstitisse in Ecclesia tum latina atque olim certe in graeca habitamque fuisse ut doctrinam revelatam, ex Christi verbis et Apostoli promanantem, remque esse divina immutabili lege sancitam, contra quam nihil valeant oppositae caesarum leges.

THESIS XVIII.

Vim demonstratae catholicae Traditionis non imminuunt quae magno apparatu ab adversariis proferuntur.

I. Occurrunt nihilominus non pauca, quae rem facere videntur impeditam et quibus adversarii abutuntur (Launoius De regia in Matrim. potest. Tom. 1. p. 2. Adamus Braun Dissert. utrum matrimonii vinculum et in casu adulterii alterius coniugum iure divino, an solo iure ecclesiastico sit insolubile). Ut ea expediamus, iuverit primum haec advertere. 1) Nullius Patris aut Scriptoris aut Synodi, cuius aliqua sit in Ecclesia auctoritas afferri testimonium, de quo certo liceat affirmare quod doceat posse virum, dimissa ob adulterium uxore, eaque vivente, aliam ducere uxorem. 2) Rem primis Ecclesiae seculis non fuisse authentico magisterio definitam; unde nil mirum si quidam erraverint et errantes non habiti fuerint haeretici. 3) Certum fuisse in hac materia Patribus principium: par esse ius utriusque coniugis in alterum quoad hanc rem; quod ex allatis testimoniis satis constat, quibus et hoc Basilii (ep. canonica cn. 9) addi potest: « Aeque viris et mulieribus convenit secundum sententiae consecutionem quod a Domino pronuntiatum est (Matth. XIX) ». Quare quod de uxoribus ab iis dicitur, ad viros quoque transferendum erit. 4) Cum leges poenales feruntur, non semper quidquid in aliquo genere malum est, punitur, sed pro conditione hominum, id quod gravius videtur vel facilius emendabile, plectitur poena: hinc non licet inferre quod censeantur honesta et permissa ea quae a poena immunia relinquuntur. Si id advertens legas Illi-

viro dimissa est, adulter est qui eam acceperit ». Licet de muliere potissimum loquatur s. Pater, quia talis erat quaestio ei proposita, tamen et ad virum spectare quod de muliere affirmat, satis ostendit cum provocat ad verba Christi, quae de viro loquuntur, et cum exinde arguendo concludit, tum etiam cum epist. LXXVII ad Oceanum n. 3 ait. « Aliae sunt leges caesarum, aliae Christi, aliud Papinianus, aliud Paulus docuit. Apud illos viris impudicitiae frena laxantur.... apud nos quod non licet feminis, aeque non licet viris, et eadem servitus pari conditione censetur ». Atque ibid. Fabiolam excusat, quae repudiando maritum adulterum alteri nupserat, eo quod « Evangelii vigorem non noverat, in quo nubendi universa causatio, viventibus viris, feminis amputatur ». Et in Matth. XIX. 9. « Ubicumque est fornicatio et fornicationis suspicio, libere uxor dimittitur.... sic priorem dimittere iubetur uxorem, ut secundam, prima vivente, non habeat ». Augustinus L. II ad Pollentium c. 4°. Haec verba Apostoli (*Mulier alligata est legi* etc.) toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plena sunt, nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desiverit. Esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir eius, non si fornicetur: licite itaque dimittitur coniux ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterii, qui dimissam duxerit etiam ob causam fornicationis ». Lege utrumque librum, et De Bono coniugali. Difficultas autem, quam se in hac re Augustinus fatetur experiri ad Pollentium L. I. c. 25; non versatur circa quaestionem an ita res sit, in qua dissertissime affirmantem partem semper tuetur, sed est tum in quaestione exegetica quoad ea verba Christi *nisi ob fornicationem,* quae difficultas nulla esset nisi certa esset affirmatio prior; tum in quaestione cur ita sit sive in reddenda intrinseca ratione rei, quam ipse a ratione sacramenti petit. « Usque adeo foedus illud initum nuptiale *cuiusdam sacramenti res est,* ut nec ipsa separatione irritum fiat.... siquidem interveniente divortio non aboletur illa confoederatio nuptiarum, ita ut sibi coniuges sint, etiam separati: cum illis autem adulterium committant, quibus fuerint etiam post suum repudium copulati vel illa viro, vel ille mulieri. *Nec tamen nisi in civitate Dei nostri, in monte sancto eius talis est causa cum uxore.* Ceterum aliter se habere iura gentium quis ignorat? » Beda in 1. Cor. VII. 10. « Fieri potest ut vir dimittat uxorem causa fornicationis, quam Dominus exceptam esse voluit. Iam vero si nec illi nubere conceditur vivo a quo recessit, neque huic alteram ducere viva uxore quam dimisit; multo minus fas est illicita cum quibuslibet stupra committere ». In Capitularibus Caroli M. Ludovici et Lotarii ab Ansegiso collectis hic est canon 42.

Lib. I. « Item in eodem (h. e. concilio Africano) ut nec uxor a viro dimissa alium accipiat virum, vivente viro suo, nec vir aliam accipiat, vivente uxore priore ».

Eadem doctrina elucet ex ritibus nuptiarum. Ita in rituali Gelasiano exoratur Deus « qui foedera nuptiarum blando concordiae iugo, et insolubili pacis vinculo nexuisti ». Et in ordine graecorum pro Sponsalibus, Deus dicitur σύνδεσμον διαθέσεως τιθεὶς ἄῤῥηκτον. Cf. ceteros libros rituales penes Marthene.

Ex his omnibus monumentis liquet doctrinam hanc de indissolubilitate intrinseca coniugii etiam in causa adulterii semper exstitisse in Ecclesia tum latina atque olim certe in graeca habitamque fuisse ut doctrinam revelatam, ex Christi verbis et Apostoli promanantem, remque esse divina immutabili lege sancitam, contra quam nihil valeant oppositae caesarum leges.

THESIS XVIII.

Vim demonstratae catholicae Traditionis non imminuunt quae magno apparatu ab adversariis proferuntur.

I. Occurrunt nihilominus non pauca, quae rem facere videntur impeditam et quibus adversarii abutuntur (Launoius De regia in Matrim. potest. Tom. 1. p. 2. Adamus Braun Dissert. utrum matrimonii vinculum et in casu adulterii alterius coniugum iure divino, an solo iure ecclesiastico sit insolubile). Ut ea expediamus, iuverit primum haec advertere. 1) Nullius Patris aut Scriptoris aut Synodi, cuius aliqua sit in Ecclesia auctoritas afferri testimonium, de quo certo liceat affirmare quod doceat posse virum, dimissa ob adulterium uxore, eaque vivente, aliam ducere uxorem. 2) Rem primis Ecclesiae seculis non fuisse authentico magisterio definitam; unde nil mirum si quidam erraverint et errantes non habiti fuerint haeretici. 3) Certum fuisse in hac materia Patribus principium: par esse ius utriusque coniugis in alterum quoad hanc rem; quod ex allatis testimoniis satis constat, quibus et hoc Basilii (ep. canonica cn. 9) addi potest: « Aeque viris et mulieribus convenit secundum sententiae consecutionem quod a Domino pronuntiatum est (Matth. XIX) ». Quare quod de uxoribus ab iis dicitur, ad viros quoque transferendum erit. 4) Cum leges poenales feruntur, non semper quidquid in aliquo genere malum est, punitur, sed pro conditione hominum, id quod gravius videtur vel facilius emendabile, plectitur poena: hinc non licet inferre quod censeantur honesta et permissa ea quae a poena immunia relinquuntur. Si id advertens legas Illi-

beritanos canones 8^m 9^m 10^m (hunc quidem secundum emendationem Mendoza, cuius lectionem probabiliorem saltem arbitramur) et canones aliquos Basilii, quos postea expendemus, intelliges non ideo probari aut permitti quasdam separationes coniugum, quia nulla poena plectuntur a Patribus circa principaliora sollicitis.

II. His praemissis ex Patribus aut scriptoribus, qui nobis obiiciuntur, *a*) quidam facta legis Christi mentione, quae solum ob fornicationem permittit dimittere uxorem, non subdunt explicite, haud licere viris aliam ducere uxorem; quod tamen ipsos censuisse arbitrari licet. Ita Nazianzenus Orat. XXXVII. n. 6, qui ait: « Circa hanc quaestionem plerosque male affectos cerno, ac legem eorum iniquam nec sibi constantem. Quid enim causae fuit cur mulierem coerceret (lex nempe eorum h. e. Caesarum), marito contra indulgeret eumque liberum relinqueret? Et mulier quidem, quae improbum consilium adversus viri sui cubile susceperit, adulterii piaculo constringatur; vir autem qui fidem uxori datam per adulterium violaverit, nulli supplicio obnoxius sit? (cf. legem Constantini M. in Cod. Theod. Lib. III. Tit. 16. n. 1). Hanc legem haudquaquam probo, hanc consuetudinem minime laudo. Viri erant, qui hanc legem sanxerunt.... At Deus non sic. Enim vero lex omnes ob causas libellum dat repudii. At Christus non ob omnes, sed ab impudica tantum et adultera uxore viro separari permittit.... Ergo impudicam quidem, quia genus corrumpit et adulterat, expellamus; cetera omnia patienter, moderate et sapienter feramus ». Ubi nota non dici quod Christus det libellum repudii, sed quod permittat separari in causa fornicationis; quod per se minus est. Censuisse vero Nazianzenum vinculum hoc quoque in casu non solvi, quamvis heic non dicat, liquet 1) ex eius carmine de virginibus, ubi incommoda matrimonii enarrans, vocat malam uxorem odiosam τυκτὸν κακὸν οὐὸ' ἀπόπεμπτον, malum scilicet adscitum nec reparabile, quatenus nunquam possit vinculum solvi. Liquet 2) ex eius sententia circa divortia, quae lex romana permittebat, in epist. 144 superius citata.

b) Aliquorum afferuntur testimonia quaedam, quorum tamen exstant alia clarissima vel satis clara testimonia pro catholica doctrina, cuiusmodi sunt Tertullianus et Origenes: quae autem obiiciuntur testimonia, si accurate perpendantur, non adversariis, sed nobis favent. Tertulliani locus est in IV. contra Marcionem c. 34. Marcion ut probaret auctorem legis Evangelicae alium esse a Creatore auctore veteris Testamenti, proferebat permissionem repudii factam a Moyse et abolitionem eius a Christo. Tertulliani responsio huc redit: 1) Christus non opponitur Creatori, quia abolens divortium quod Moyses tantum permiserat, restituit primitivam legem Creatoris, ut

liquet ex Matthaeo, cuius tamen Evangelium perperam, ut iam probaverat Tertullianus, reiiciebat Marcion solo Luca contentus. Sic enim « et Moysi constitutionem protexit, ut sui, et Creatoris institutionem direxit, ut Christus ipsius ». 2) In ipsa abolitione repudii Christus non contrariatur Moysi, nam et ipse Christus divortium permisit, nec prohibuit ipsum simpliciter, sed tantum prohibuit conditionaliter, h. e. si ita divortium fiat, ut alia ducatur. En verba, quae adversarii obiiciunt: « Dico enim illum *conditionaliter* nunc fecisse divortii prohibitionem si ideo (en conditio sub qua prohibitum est divortium) quis dimittat uxorem ut aliam ducat: qui dimiserit, inquit, uxorem et aliam duxerit, adulterium committit, et qui a marito dimissam duxerit, aeque adulter est: ex eadem utique causa, quia non licet dimitti ut alia ducatur, illicite enim dimissam pro indimissa ducens, adulter est ». Manifestum est, quod Tertullianus, ut ostendat auctorem Evangelii non adversari auctori legis, inde secundo argumentum colligit quod et ipse Christus aliquo modo divortium permittat, nempe tori et victus, dummodo alia non ducatur, « si conditionaliter prohibuit dimittere uxores, non in totum prohibuit; et quod non prohibuit in totum, permisit. Aliud est ubi causa cesset, ob quam prohibuit ». Porro Marcion, qui solum Lucam citabat, supponebat *absolute in totum* prohiberi a Christo repudium seu divortium. Poterit quibusdam argumentum hoc non sufficiens videri, sed primo hoc est per se falsum: deinde non erat opus argumento demonstrativo, cum iam priore argumento res esset effecta; neque rara sunt in Tertulliano huiusmodi argumenta; et tandem nobis non licet mutare sententias claras auctorum, quia nobis non satis probantur. Porro si quid est clarum in hac disputatione, hoc est prohibitionem divortii factam esse non absolute, sed sub conditione, nempe *si dimittatur uxor ut alia ducatur;* sive, quod idem est, *permissum esse dummodo alia non ducatur*. Quaeri potest quid significent ea verba: *illicite enim dimissam pro indimissa ducens, adulter est*. Dixerat nempe adulterum esse qui dimissam ducit, idque propter eamdem causam propter quam non licet dimittere, scilicet ut *alia ducatur;* sicut ergo non licet dimittenti aliam ducere, et si ducit, adulter est, ita adulterat qui dimissam ducit, quia illicite ducit dimissam. Sed quid est illud *pro indimissa?* Forma haec loquendi *ducere dimissam pro indimissa* huic videtur aequivalere *ducere dimissam ac si esset indimissa,* vel *quatenus est indimissa*. Porro hic mulier indimissa non est uxor non dimissa: quis enim in uxorem sibi accipiat uxorem alterius quatenus est alterius? sed ea est, quae nunquam dimissa fuit, quia nunquam fuit uxor. Sensusque est: illicite ducens dimissam ac si esset soluta, adulter

est. Idque probat sequentibus. « Manet enim matrimonium quod non rite diremptum est: manente matrimonio nubere, adulterium est »: quae verba non hunc sensum fundunt: non manere matrimonium si rite dirimatur, ac si dirimi a coniuge possit, ut non sit adulter aliam ducens; hoc enim cum antecedentibus non cohaeret; *non enim licet dimittere ut alia ducatur:* sed sensus legitimus est manere matrimonium quia nunquam rite dirimi potest. Itaque habemus non negare Tertullianum quod Christus prohibuerit divortium, sed negare quod prohibuerit in totum; ideoque illud ex parte concessisse, nempe conditionaliter, h. e. si alia non ducatur. Haec autem est doctrina catholica. Iam vero secundum praecedentia sunt intelligenda quae sequuntur, ubi Tertullianus ad hominem arguit contra Marcionem. « Aut si omnino negas permitti divortium a Christo, quomodo tu nuptias dirimis? » Et rursus « certe quid facit apud te maritus, si uxor eius commiserit adulterium. Habebit ne illam? sed nec Apostolum tuum sinere scis coniungi prostitutae membra Christi ». Quibus verbis docemur posse maritum, imo aliquando debere se separare ab adultera, separatione tamen quoad torum vel etiam habitationem. 3) Docet legem Moysi a Christo confirmari. « Iam hinc confirmatur ab illo (Christo) Moyses eodem titulo *prohibens* (?) repudium, quo et Christus: si inventum fuerit in muliere negotium impudicum. (Etsi omnes ita legant, non intelligimus quomodo dixerit Moysem prohibuisse repudium, permisit enim illud Moyses viro, si invenerit in muliere negotium impudicum Deut. XXIV. 1; quamvis non permiserit proprie propter adulterium; nam adulteram praeceperat lapidari: et praeterea si Moyses dicatur repudium prohibuisse, sententiae Tertulliani non cohaerent, qui probat Christum confirmasse Moysem, eo quod permiserit quoddam divortium in causa adulterii: an legendum est *permittens?*) Nam et in Evangelio Matthaei, qui dimiserit, inquit, uxorem suam praeter causam adulterii, facit eam adulterari etc. Ceterum praeter ex causa adulterii nec Creator (h. e. Deus quidem, sed prout auctor veteris foederis) disiungit quod ipse scilicet coniunxit, eodem alibi (Deuter. XXII. 29) Moyse constituente eum, qui ex compressione matrimonium fecerat, non posse dimittere uxorem in omne tempus; quod si ex violentia coactum matrimonium stabit, quanto magis ex convenientia voluntarium? » Locus est paululum obscurus. Si singulae partes seorsim sumantur, habes recitari a Tertulliano verba Christi, eoque sensu proinde ab eo accipi, quo iam superius est interpretatus: cum matrimonium initum propter violentiam illatam indissolubile esset ex lege Moysis, multo magis aequum esse ut matrimonium ex conventione voluntaria contractum non dissolvatur. Adverte opus contra Marcionem

scriptum à Tertulliano esse iam Montanista, sicut et librum De Monogamia. Liquet ex L. I. c. 29.

Ad Origenem quod spectat, ipse in eodem loco superius citato in Matth. scilicet Tom. XIV proponit sibi difficultatem ex verbis Domini: « Dicit fortasse iudaicus quispiam vir, Iesum ipsum cum dixit: omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari, repudiandae uxoris potestatem fecisse haud secus ac Moyses: respondet autem 1) advertendo quod *foeditas* (Deuter. XXIV. 1) inventa in muliere, propter quam repudiari poterat ex lege Moysis, nequibat esse adulterium, quia propter hoc lapidabatur mulier. 2) Profert sententiam Christi, quod nempe *ab initio non fuit sic.* 3) Monet Christum non propter aliud flagitium quam fornicationem concessisse facultatem connubii solvendi. Porro cuiusmodi est haec solutio connubii? si est etiam vinculi dissolutio, cur prius reprehendit illos Episcopos, qui eam permittebant? Cur *iudaicus* dicitur qui eam ex Christi verbis adstruebat? Sed et sequentia consideranda sunt. Sequitur porro 4) interiecta disputatio, utrum propter alias causas, e. g. propter veneficium, vel infantis interfectionem, expilationem domus, vel aliam quamlibet caedem, dimitti possit uxor an non: et utrumque absurdum videri dicit, absurdum affirmare, eo quod Christus solam excepit fornicationem, absurdum negare, quia ea crimina peiora censeri possunt adulterio. Nihil tamen ipse definit. Quaerit deinde cur Christus non sit usus hac forma: *Nemo uxorem, excepta fornicationis causa, repudiet,* sed illa: *qui dimiserit uxorem, excepta fornicationis causa, facit eam moechari,* advertens quod certe facit moechari uxorem, h. e. periculo moechiae exponit, qui uxorem dimittit adulterii minime ream, nam vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: repudiatae autem datur occasio iterum nubendi; dubitat vero an excusari ab hac culpa possit qui propter veneficium dimitteret uxorem. Tum occasione huius quaestionis incidentis monet viros etiam non dimittentes uxores, eis multas causas praebere adulterii, cum eas non custodiunt ut oportet vel cum nolunt reddere debitum. His absolutis redit 5) ad priorem quaestionem eamque peremptorie resolvit his verbis: « Quemadmodum autem adultera est uxor, etiamsi viro alteri nupta videatur, priore etiamnum vivo; ita et virum repudiatam duxisse visum (apparens enim, non verum est matrimonium) non tam ipsius maritum, quam adulterum esse a Servatore nostro demonstratum est ». Loquitur universim *de repudiata et de eo,* qui ducit vel potius *putat se ducere* repudiatam mulierem, quam Christus quidem ob fornicationem repudiari permiserat; quam tamen repudiare utrum ex aliis causis liceat, Origenes fatetur se nescire. Quare certe cum repudia-

tam simpliciter nominat, eam intelligit quam Christus ob adulterium dimitti permisit. Quocirca doctrina Origenis est prorsus catholica.

c) Afferuntur quoque testimonia quorumdam, qui clare non sunt locuti; ut Theodoretus, qui (De Graec. Affect. Curat. Serm. IX De Legibus) allatis verbis Christi penes Matthaeum, ait: « quibus verbis cetera uxoris vitia ferri iubet, seu loquax sit illa, seu temulenta, seu conviliosa, sin vero nuptiarum leges transiliat in aliumque procax intendat, *tum denique copulam* τὴν ζεύγλην solvi iubet ». Idem praeterea in Lib. V. Haeret. fab. c. 16 novam legem veteri opponens in hac re ait: nova adulterium appellat *repudium citra fornicationem:* qui enim, inquit, uxorem suam dimittit, excepta fornicationis causa, moechari eam facit, et qui dimissam duxerit moechatur. Et ibid. c. 25 ait « Christum legem matrimonii confirmasse, ut eum, qui excepta fornicationis causa matrimonium solvere velit, alia lege inhibeat: quicumque, inquit, uxorem suam dimittit, nisi ob fornicationem, facit eam moechari ». Quibus videtur Theodoretus censere posse ob fornicationem solvi coniugium. Verum quoad primum testimonium dubitari merito potest qualis sit haec dissolutio copulae: potest enim accipi pro separatione societatis seu tori et habitationis sive usus coniugii; hic est enim proprie copula, idque etiam proprie significare potest ζεύγλη quae est *iugum;* cum enim coniux innocens liber est ab obligatione reddendi debitum, solutus a iugo quodam h. e. onerosa societate merito dicitur. Praeterea id suadet quoque antithesis; nam ferre uxorem loquacem, temulentam, vitiosam est eius conversatione et contubernio uti, solvere ergo copulam est separari quoad torum et victum. Sane hanc separationem Deus certis in casibus iubet, at divortium proprie dictum posset dici Deum ad summum permittere, non vero *iubere.* In aliis autem testimoniis non affirmat quidem Theodoretus disserte verbis suis vinculum haud solvi posse causa fornicationis; at affirmat allatis verbis Christi: *qui dimissam duxerit, moechatur,* quae certe intellexit et probavit. Idque clare docet in com. 1. Cor. VII. 10. 11 quod citavimus.

Item Asterius Amasenus Episcopus in hom. in ea verba: *An liceat homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa,* illos vehementer reprehendens, qui, ut ipse ait, « ceu vestes, uxores mutabant, levique statim offensione repudii libellum conscribebant », haec habet: « Hoc ratum ac omnino persuasum habete, exceptis morte et adulterio, nulla ex causa matrimonium dirimi »: ubi adulterium comparatur morti, quae certe vinculum solvit. Verum novum non est idem de pluribus praedicari, sed non eodem modo at cum quadam accommoda subiecto significatione. Etsi ergo dicatur adulterium et mors dirimere matrimonium, non est consequens quod eadem sit

diremptio; est enim quaedam propria utriusque. Ita autem accipienda esse verba Asterii, suadetur 1° ex eo quod nusquam in eo sermone affirmet licere coniugi dimittenti aliam ducere uxorem: quod 2° leges romanas ea aetate vigentes reprobet aliter pro feminis adulteris ac pro viris adulteris sancientes, quae de adulterio viri sollicitae haud erant et potestatem faciebant viris dimittendi uxores adulteras, non autem uxoribus adulteros viros. Cf. quae monuimus ab initio Thesis.

His addi potest Hilarius Pictaviensis, qui in c. V Matth. ad ea verba: quicumque dimiserit etc. ait: « aequitatem in omnes concilians, manere eam maxime in coniugiorum pace praecipit, legi addens plura, nihil demens. Nec sane profectus argui potest. Nam cum lex libertatem dandi repudii ex libelli auctoritate tribuisset, nunc marito fides evangelica non solum voluntatem pacis indixit, verum etiam reatum coactae in adulterium uxoris imposuit, si alii ex discessionis necessitate nubenda est: *nullam aliam causam desinendi a coniugio praescribens, quam quae virum prostitutae uxoris societate pollueret* ». Quibus ultimis verbis videtur asserere licere divortium in causa fornicationis. At reapse id non dicit; sed affirmat in causa fornicationis licere dimittere uxorem fornicariam ita ut reatus, quem postea ipsa contrahat si alteri nubat, non imputetur marito: dimissa vero ob alias causas, reatum illum marito imputari.

Huc forte spectat s. Epiphanius, qui haer. LIX de secundis nuptiis disserens, dicitur in re nostra obscure loqui: indicat tamen satis clare, si bene consideretur, doctrinam catholicam. Ait enim « ita profecto se res habet, ut post Christi adventum eos omnes, qui post priores nuptias, mortua uxore, alterius se nuptiis alligarint, sanctissima Dei disciplina reiiciat (scilicet a clero). In populo, propter eius imbecillitatem, tollerari istud potest, ut qui uxore prima contenti esse non possunt, ea mortua, secundam sibi copulent. Quamquam qui unam dumtaxat habuit, maiori, Ecclesiae iudicio, honore dignus sit. Sed cui mortua una non sufficit, cum occasione aliqua stupri adulteriique aut alterius flagitii cum ea divortium fecerit, is si alteram duxerit, aut alteri viro mulier nupserit, sacrarum literarum auctoritas ab omni culpa illos absolvit.... Non ita tamen ut duas, altera superstite, uxores simul habeat, sed ut ab una separatus, alteram sibi legitime, si lubet, adiungat ». Obscura videtur Petavio in notis ad h. l. haec postrema sententia Epiphanii. Verum haud aegre explicari posse videtur. Verba ea *ab una separatus* non significant separationem per solum divortium, ut ita scilicet desinat eius uxor esse, sed per mortem. Nam *a*) sententiam exorditur di-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cens, *cui mortua una non sufficit;* in hac ergo hypothesi loquitur; *b*) provocat ad sacras literas; testimonium vero quod paulo post idem confirmans profert, est Pauli: *Mulier ligata est legi quanto tempore vir eius vivit, si autem mortuus fuerit vir eius, libera est, cui vult nubat. c*) Absolute praescribit ut, priore vivente, altera non accipiatur, *non ita tamen ut duas, altera* (nempe) *superstite, uxores simul habeat, sed separatus ab una;* separatus vero a priore ita ut secundam non accipiat priore superstite, est separatus per mortem. Quare occasio stupri, adulterii, cuius mentionem facit, eum in finem ab eo proponitur, ut significet aequum esse magis ut ineat secundas nuptias, qui propter quaedam crimina uxoris debuit ab ea separari et ita abstinere ab usu coniugii. Testis est ergo et Epiphanius doctrinae catholicae.

Pariter si quae superius ex Chrysostomo attulimus, expendantur, satis liquebit quinam sit sensus eorum quae habet in hom. XIX in 1. Cor. c. 7 propter scilicet adulterium uxoris « matrimonium iam solutum esse » atque « maritum non esse amplius maritum ». Absurdum est enim ipso adulterio, quin opus sit libero repudio offensi coniugis, solvi vinculum. Sensus ergo est: propter adulterium uxoris ius petendi ab ea amitti, et cum praeterea virum non deceat ei commisceri, desinit hic quoad usum esse maritus, ususque matrimonii dissolvitur.

Quid viro censendum de Canone 10 Illiberitano: « si ea, quam catechumenus relinquit, duxerit maritum, potest ad fontem lavacri admitti: hoc et circa feminas catechumenas erit observandum. Quod si fuerit fidelis, quae ducitur ab eo, qui uxorem inculpatam relinquit et quum (ea mulier fidelis) scierit illum habere uxorem, quam sine causa relinquit, placuit in finem (al. nec in finem) huiusmodi dari communionem. « Obscurus est canon. Additio particulae negantis *nec* probatur nobis tum auctoritate antiqui codicis relati a Mendoza, tum ipsa oeconomia canonis, quae exigit heic aliquam poenam directe indicari. Hac vero lectione posita, nulla superest ex hac parte canonis difficultas. At quaenam est sententia prioris partis? Cum non una ab interpretibus adhibeatur explicatio (cf. Hefele Historia Concilior. in hunc can.), censemus eam partem canonis accipi posse hoc pacto. Ea, quam catechumenus relinquere dicitur, infidelis erat cum relicta fuit ac maritum in infidelitate duxit, postea vero baptismum petit. De huiusmodi coniugio ante baptismum soluto nolunt iudicium ferre Patres, permittuntque baptizari secundo nuptam. Forte ratio aliqua erat cur crederetur licere catechumeno relinquere uxorem suam, puta quia nollet tunc uxor infidelis cum eo cohabitare, et privilegium baptizatorum illi quoque sibi vindicarent, qui proximi erant baptismo:

qua de re Patres ii aliquid decernere noluerunt, vel non habuerunt. Subdunt iidem: *hoc et circa feminas catechumenas esse observandum:* quorum verborum sensus hic certe esse potest, ut quemadmodum ad baptismi lavacrum admittenda est ea mulier, quam catechumenus relinquit et quae alteri nupsit, ita admittendus vir quam catechumena reliquerit, quique alteram duxit. Res ergo eo redit ut Patres hi noluerint ferre iudicium de matrimonio soluto in infidelitate.

d) Afferuntur et testimonia eorum, qui de alia re prorsus loquuntur. Ita apud Gratianum c. 32. q. VII. cp. 19. « Quaedam cum fratre viri sui dormivit: decretum est ut adulteri nunquam coniugio copulentur; illi vero, cuius uxor stuprata est, licita coniugia non negentur ». Verum hic canon loquitur de matrimonio ineundo post mortem alterius coniugis, quod parti reae in poenam criminis negabatur; ut constat ex cap. 22 in eadem quaestione. « Hi vero qui uxores suas in adulterio deprehendunt, non licebit nec eum, nec eam, aliam uxorem accipere vel alium virum quando ambo vivunt. Si autem adultera mortua fuerit, vir eius, si vult, nubat tantum in Domino: adultera vero nunquam, etiamsi mortuus fuerit vir eius; omnibus tamen diebus vitae suae poenitentiae lamenta persolvat ». Atque ita accipiendus est canon, qui in loco citato Gratiani immediate subsequitur, nempe: « Concubuisti cum sorore uxoris tuae? si fecisti, neutram habeas. Et si illa, quae uxor tua fuerit, conscia sceleris non fuit, si se continere non vult, nubat in Domino cui velit. Tu autem et adultera sine spe coniugii permaneatis, et quamdiu vixeritis iuxta praeceptum Sacerdotis poenitentiam agite. Qui canon desumptus est ex Burchardo L. XIX. c. 5 *De adulterio,* qui illum citat ex poenitentiali romano: cui canoni similis est canon. 21. lib. I. Collectionis Capitularium Benedicti Levitae, qui quidem non est nisi canon 8^{m} mox citandus ex Conventu Compendiensi. Patet vero quod falso hic canon tribuitur a Gratiano Zachariae R. P. si in sensu alieno a communi doctrina accipitur: nam is Pontifex in epistola ad Pipinum et Episcopos Francorum doctrinam communem hac in re asserit tum cap. 7 tum cap. 12, ubi provocat ad Canonem milevitanum, quem totidem verbis citat ex Concilio Africano. Ita autem se habet canon 8^{us} conventus Compendiensis (an. 756): « Si quis homo habet mulierem legitimam et frater eius adulteravit cum ea, ille frater, vel illa femina, qui adulterium perpetraverunt, *interim quo vivunt,* nunquam habeant coniugium. Ille, cuius uxor fuit, si vult, potestatem habet accipere aliam ». Nempe defuncta uxore accipiat aliam, quod negatur adulteris, qui dum vivunt, manere debent sine coniugio. His certe lucem affundit canon 381 ex lib. III eiusdem

Benedicti. « Si duo fratres cum una femina fornicati fuerint, nescientes alter alterius fornicationem, statim ac cognoverint adulterium, qui eam habet uxorem, dimittat. Et ille quidem post actam poenitentiam *si uxor defuncta fuerit,* potest alteri sociari, *illa vivente, nequaquam.* Illa vero nunquam ulterius poterit in coniugium assumi (ab ullo scilicet: nam subditur) et iugi poenitentiae submissa, ad exitum vitae poenitentiae gratiam percipiat ». Quod spectat ad Gregorii II responsum: *Quod proposuisti,* iam expendimus in Th. XIII. n. IV.

Difficilis est quidem canon 13 eiusdem Conventus Compendiensis: « Si quis vir mulierem suam dimiserit, et dederit commeatum pro religionis causa infra monasterium deservire, aut foras monasterium dederit licentiam velare, sicut diximus, propter Deum, vir illius accipiat mulierem legitimam: similiter et mulier faciat ». Nam vel supponitur matrimonium tantum ratum et de professione agitur vel potestas datur, defuncta uxore, aliam accipiendi; vel inter errores referendus est canon. De alia quoque re agunt tum canon 25 Concilii Agathensis (an. 506) tum canon 2 Concilii Venetici (an. 461) quos nulla ratio cogit interpretari aliter ac de separatione simplici. Cf. Perrone l. c. pag. 365 seq.

e) Ita quoque testimonium Basilii ex epistola 1° Canonica ad Amphilochium cn. 9 quod adducitur, de alia re prorsus loquitur: nimirum distinguens legem Domini a consuetudine, statuit secundum legem Domini ex aequo viris et mulieribus convenire, ut non liceat a matrimonio discedere nisi ob fornicationem: « Consuetudo vero, ait, non ita se habet ». Cuiusmodi porro est haec consuetudo? nempe ut vir possit dimittere mulierem adulteram; mulier autem non possit virum adulterum. Ex qua consuetudine sequebatur quod « mulier, quae reliquit virum, sit adultera, si ad alium accedat: vir vero, qui relictus est a muliere, dignus sit venia, et quae una cum eo habitat non condemnetur ». Atque haec ipsa, quae cum viro dimissa habitat, an possit adultera appellari se nescire ait. Haec dicta sunt a Basilio non secundum sententiam Domini aut suam, sed secundum eam consuetudinem, quam leges Romanae induxerant, quarum et Augustinus meminit (Serm. IX. n. 12 et de Adulter. coniug. L. II. c. 8) quam consuetudinem ipse Basilius non probat. Imo diserte docet quod « si vir, qui ab uxore discessit (utique etiam in casu adulterii, de hoc enim in canone data opera sermo est), accessit ad aliam; *est et ipse adulter* quia facit ut ipsa adulterium committat, et *quae una cum ipso habitat, est adultera, quia alienum virum ad se traduxit* ». Non ergo libello repudii dato a viro etiam in causa fornicationis solvitur vinculum auctore Basilio. Quae ergo prius

dicta sunt, non secundum legem Domini dicta sunt a Basilio, sed secundum consuetudinem legum romanarum. Scilicet cum ait: *dignus est venia, non condemnatur:* sensus est, iuxta hanc consuetudinem habetur dignus venia seu non poenae subiicitur. Huius porro consuetudinis habendam aliquam rationem censuerunt Patres, cum ageretur de poenitentiis imponendis, de quibus ibidem agit Basilius. In Moralibus sane aperte docet non licere viro, uxore dimissa, aliam ducere, et repudiatam non posse ab alio duci (cf. testim. superius cit). Rursus idem Basilius epist. can. 2° cn. 21 qui obiici solet, advertit quod vir, qui cum uxore habitat, sed matrimonio non contentus cum alia soluta rem habet, non tanquam adulter, sed solum ut fornicator a canonibus condemnatur, h. e. poenitentiae subiicitur debitae fornicatoribus non adulteris. Uxor vero cum quolibet alio rem habens ut adultera poenitentiam agit. Cuius oeconomiae diversae eadem semper ratio erat, eo nempe, quod lege Romana adulterium viri non puniretur sicut puniebatur uxoris. « At horum quidem, subdit Basilius, ratio non facilis, sed consuetudo sic invaluit »! Vides heic sermonem non esse de vinculi solutione, nec de honestate dimissionis, sed solum de discrimine poenitentiarum, quae adulteris viris ac uxoribus imponebantur.

In canone vero 35 eiusdem epist. de sola hypothesi sermo est, quod vir ab uxore dimittatur, et statuitur quod si vir praeter rationem dimittitur, venia dignus sit, ut nempe Ecclesiae communicet: uxor vero sit digna multâ.

Tandem can. 48 ibid., ait: « quae a marito relicta est (ex causa etiam fornicationis ut liquet ex textu quem statim citat), mea quidem sententia, manere debet. Si enim Dominus dixit: si quis relinquat uxorem, excepta fornicationis causa, facit eam moechari, ex eo quod eam adulteram vocet, praeclusit ei coniunctionem cum alio. Quomodo enim possit vir quidem esse reus tanquam causa adulterii, mulier vero inculpata, quae adultera a Domino ob coniunctionem cum alio vocata est? » Scilicet ex eo quod Dominus imputet viro adulterium uxoris, si praeter causam fornicationis eam dimittat, *facit eam moechari,* non imputet hac exsistente causa, colligit Basilius supponi a Domino quod uxor dimissa semper adulteretur alteri nubens, totumque discrimen sit quod si ex iusta causa dimittitur, viro non imputetur eius adulterium, imputetur vero, si iniuste dimittitur. Censuit ergo Basilius manere vinculum inter mulierem dimissam et virum dimittentem ex causa etiam fornicationis, et quia pluralitas uxorum permissa non est, non posse virum aliam uxorem ducere, priore superstite.

f) Quidam non satis apte proferuntur; cum non ad eos spectent

testimonia prolata; sic nomine Ambrosii citatur pseudoambrosius, sive Hilarius sive quis alius in 1. Corinth. VII, qui negat eadem lege constringi virum ac mulierem, ideoque posse virum, dimissa uxore propter fornicationem, ducere aliam. Huiusmodi sunt canones seu capitula quaedam inter Capitula adscripta Theodoro Cantuariensi Episcopo, relata ab Acherio in suo Specilegio Tom. I quibus fit potestas non paucis in casibus coniugi ineundi matrimonium, superstite priore coniuge. Verum 1° certum non est Theodorum condidisse capitula, quae ipsi inscribuntur (cf. Perrone l. c. p. 373). 2° Certum est ipsum non esse auctorem eorum capitulorum, quae ex ea collectione obiiciuntur; nam adversantur prorsus doctrinae ab ipso constitutae in Synodo Herudfordiensi, cuius canonem superius retulimus. Qui quidem canon decimus est ex illis, quos certo constat fuisse a Theodoro propositos Synodo praedictae, quia maxime eos noverat necessarios (cf. Migne P. L. T. XCIX. pag. 954): quare 3° collectio haec capitulorum debetur alicui privato, qui nomen Theodori supposuit, et una est ex iis non paucis, quae a privatis personis profectae nunquam sunt publicam assecutae auctoritatem (cf. Simonem Aloysium Assemannum Bibliotheca Iuris Orientalis Tom. IV. cap. 23).

Dubiae quoque fidei, imo nullius momenti est canon tributus Concilio Hibernensi II sub s. Patricio celebrati, quem vide in Appendice.

III. Ex dictis poterit quis et de aliorum quorumdam testimoniis iudicium ferre. Non opus est ut de omnibus simus solliciti. Aliquos errasse vel incaute esse locutos re nondum definita et non adeo facili, concedimus; quod ex citatis testimoniis sub lit. *f*) satis constat. Inter quos etiam Episcopos et Synodos aliquas computari non negamus. Sic dicimus errasse Patres Synodi Vermeriensis an. 753. can. 9. « Si quis necessitate cogente in alium ducatum seu provinciam fugerit, aut seniorem (signore) suum, cui fidem mentiri non poterat, secutus fuerit, et uxor eius, cum valet et potest, amore parentum aut rerum suarum, eum sequi noluerit, ipsa omni tempore, quamdiu vir eius, quem secuta non fuit, vivit, semper innupta permaneat. Nam vir ille eius, qui necessitate cogente in alium locum fugit, si se substinere non potest, aliam uxorem cum poenitentia potest accipere » (cf. in Appendice). Morem scilicet gesserunt isti Patres consuetudini gentis francorum quam nondum plene exstirpare christianismus valuerat, qua in re laudandi non sunt. Eius consuetudinis testes sunt formulae repudii secundum seculares leges usurpatae a Francis, quas exhibet, inter alias, Marchulphus monachus, qui floruit, ut videtur, sub fine sec. VIII in Galliis (cf. ibid.). Adverte tamen

sententiae Synodi Vermeriensis obstitisse responsum Stephani III allatum in Gallias biennio post, quod superius attulimus. Ita ante istos erraverat Pollentius, contra quem disputat Augustinus, erraverant ii Episcopi, de quibus Origenes. Non est autem cur quis miretur talem dissensum exstitisse olim; id enim pluribus dogmatibus, antequam sollemniter definirentur, commune fuit: sed tantum oportet in hac praxis et sententiarum varietate discernere id quod ab apostolica traditione descendit revelatumque est, ab eo quod humanae opiniones induxerunt. Illud vero facile dignoscitur. Quod enim semper et communius retentum et creditum est in Ecclesiis, quod decretis disciplinae et morum editis ab auctoritate, qua universa Ecclesia regitur et obligatur, conforme est eorumdemque est ratio et fundamentum et tandem plenum consensum obtinuit, id certe traditum censeri debet: atqui talis est sententia de indissolubilitate matrimonii christiani etiam in causa adulterii. Dissensus proinde qui exstitit, qui non fuit nisi practicus, aberratio quaedam fuit a veritate revelata, causisque humanis referendus est in acceptis, quae fuerunt tum ignorantia revelationis tum indebita quorumdam συγκατάβασις in mores barbarorum rebelles puritati et severitati christianae.

IV. At contra hanc ipsam conclusionem adversarii argumentum petunt ex praxi et doctrina graecorum. Aiunt enim Patres graecos permittere solutionem coniugii in causa adulterii coniugis, leges imperiales repudium permittentes et sancientes pluribus in causis receptas et probatas fuisse quoque ab Episcopis usuque fidelium per plura secula commendatas, neque Romanam ipsam Sedem easdem reprobasse: ex quo consequitur quod si utraque Ecclesia latina et graeca una sumatur, falsum sit, communiorem fuisse in Ecclesia eam sententiam, quam nos defendimus, atque ipsam contineri in traditione apostolica dogmatica, sed rem esse disciplinae, quae variare solet in diversis Ecclesiis.

Verum 1°. Quinam sunt isti Patres graeci, qui repudium cum vinculi solutione permittunt? Patres profecto quarti seculi ab hac sententia sunt prorsus alieni, imo ei adversantur. Sane, ut iam vidimus, id negat Basilius, Nazianzenus vero, Asterius, Chrysostomus negant leges romanas aliquid in hac re valere pro christianis, illisque opponunt legem Evangelii: cf. eorum testimonia iam superius citata. An arbitrari licet aetate horum Patrum aliam fuisse sententiam Ecclesiae graecae quam quae eorum animis insederat? Itaque Orientis Ecclesia, non secus ac Occidentis (cf. testimonia Hieronymi et Ambrosii superius citata) seculo quarto credebat non posse dissolvi matrimonii vinculum in causa quoque fornicationis, legesque imperiales nullam quoad hoc vim obtinere pro christianis.

An dicendum cum recentioribus graecis (cf. Arcudium Concordia etc. h. VII. c. 13) duplicem causam exstitisse separationis, aliam levem, quae vinculi dissolutionem non permittebat, eamque multiplicem fuisse, quaeque uno verbo μικροψυχία dicebatur, aliam gravem scilicet adulterium: Patres autem de illa non de hac esse locutos cum negant vinculum solvi? Quae interpretatio confirmari potest doctrina Chrysostomi aientis l. c. ex hom. XVII quod qui dimittat uxorem, etsi alteram non ducat, facit eam moechari: quod quidem non dixisset si de dimissione propter adulterium uxoris locutus esset, id enim Christi sententiae adversatur: loquebatur ergo Chrysostomus de dimissione ob alias causas leves, et sic alii quoque Patres accipiendi, qui negantes licere dimissionem excipiunt causam fornicationis seu adulterii. Causarum levium mentionem fecisse videtur Chrysostomus ibid. inquiens Deum non permisisse (uxori) ansam praebere μικροψυχία. Verum exsistebant quidem secundum romanas leges aliae causae repudii praeter adulterium uxoris, quae tamen causae leves per se non erant. Cf. Constantini legem. At Patres non de aliquibus tantum causis, quas vel lex permitteret vel abusus hominum induxisset, loquuntur, sed de omnibus, seu, quod in idem redit, speciatim de gravissima loquuntur h. e. adulterio, et de hac verba facientes, negant leges romanas, quae illam permittebant, valere pro fidelibus. Inanis est igitur prorsus ea distinctio pro intelligenda doctrina Patrum. Micropsychia vero penes Chrysostomum, non secus ac apud ceteros scriptores veteres, non est *aliqua levis causa separationis, sed pusillanimitas, demissio animi:* ait scilicet Chrysostomus non permisisse Christum ut uxor praebeat viro causam cur ipse deiiciatur animo fastidiatque coniugium et sic uxorem dimittat. Etsi autem hoc in loco hom. 17 in Matthaeum dicat virum dimittentem uxorem facere ut ipsa moechetur, non mentione facta exceptionis cuius meminit Christus, ipsam tamen satis significavit, cum paulo ante recitaverit verba Christi eam exceptionem continentia: ceterum quid de solutione coniugii arbitratus sit ipse in causa adulterii liquet manifeste ex eiusdem verbis citatis ex libro de libello repudii, in quo clarissime loquitur; loca vero minus explicita per explicita magis sunt declaranda.

2° Quod spectat ad leges imperiales, multipliciter instant adversarii. Nam primo quod Imperatores christiani leges has tulerint, quibus divortium permittebatur, indicium est eos censuisse idem lege Christi non vetari, deinde quod Episcopi et speciatim Romani Pontifices eas leges non reprobaverint, argumento est ipsos haud credidisse quod illae Christi legi adversarentur: tandem idem persuadet praxis et observatio constans earumdem legum in Ecclesia graeca;

cuius observationis communis iam sec. IV testis idoneus est s. Asterius episcopus Amasenus l. c. Iam vero pro accurata responsione heic sunt singula distinguenda. Sane *a*) si factum solum hoc consideretur, Imperatores videlicet christianos tulisse leges permittentes et sancientes divortium, nos hac re moveri nullo modo oportet. Tenendum est enim 1° Romanas leges etiam sub Imperatoribus christianis conservasse non pauca elementa veteris legislationis paganae, cuius erant continuatio, et quam non nisi sensim sine sensu poterant transformare. Tenendum est 2° sub primis Imperatoribus christianis Romanum imperium plurimos adhuc habuisse paganos, pro quibus leges ferre circa matrimonia fas erat Imperatoribus; ex hoc autem facile consequebatur, ut leges huiusmodi nollent Imperatores christiani a suo codice exulare, in iisque eum morem servarent, qui inter paganos invaluerat, divortia sanciendi, temperatum quidem sensu christiano, cuius efficacia nequibat omni ex parte cohiberi. Tenendum est 3° Imperatores christianos graecos fuisse generatim non solum suarum praerogativarum nimium tenaces, sed modum prorsus excessisse eaque sibi iura voluisse asserere, quae propria sunt Ecclesiae, ex quo pronum erat illud consequi ut non pauca praeter et contra doctrinam Ecclesiae statuerentur. Tenendum est 4° Imperatores quoslibet non esse testes et doctores revelatae veritatis, et idcirco inepte ad eos provocari in quaestione theologica de doctrina scripturarum et traditionis. Haec satis superque sunt ad exceptionem peremptoriam contra imperiales leges, si solius facti legum latarum ratio habeatur.

Verum *b*) si simul cum illis socientur Episcopi ipsique Romani Pontifices, qui leges istas non improbarunt, haud inepte ad has leges provocatur in quaestione de doctrina revelata. Id quidem admittimus; sed negamus quod ad adversariis affirmatur, h. e. Episcopos et Rom. Pontificem non reprobasse has leges pro christianis. Sane quinam fuerit sensus Episcoporum graecorum circa eas colligere licet ex verbis citatis Nazianzeni, Chrysostomi, Asterii, Basilii, qui vel eas leges directe reiiciunt, vel legem Christi aperte praedicant. Quid Patres Latini censuerint de iisdem legibus liquet ex testimoniis pariter citatis Hieronymi, Augustini, Ambrosii, qui legibus civilibus legem Christi opponunt, hancque valere affirmant pro christianis: liquet ex canone pariter citato Concilii Milevitani, in quo Patres illud quoque censuerunt rogandum esse Imperatorem ut legem ferret quae divini iuris exercitium efficaciter contra contumaces tueretur, quod munus est et officium civilis potestatis christianae. Ad Romanos Pontifices quod attinet, nemo ex iis certe probavit leges istas imperiales pro christianis; plures initio ducto ab Innocentio I, cuius

superius testimonium citavimus, indissolubilitatem matrimonii etiam in causa adulterii docuerunt tanquam legem Evangelii, quo satis significarunt se id non pro sola Ecclesia occidentali, sed pro universa Ecclesia tradere et praescribere; lex enim Christi valet ex aequo pro omnibus fidelibus. Suorum autem antecessorum sententiam secutus Eugenius IV significavit Graecis in florentina Synodo Romanam Ecclesiam haud probare praxim Graecorum. Ita professio fidei proposita orientalibus ab Urbano VIII et confirmata a Benedicto XIV Constit. *Nuper ad nos*, inter cetera fidei dogmata hoc quoque asserebat: « Sacramenti matrimonii vinculum indissolubile esse, et quamvis propter adulterium, haeresim aut alias causas possit inter coniuges tori et cohabitationis separatio fieri, non tamen illis aliud matrimonium contrahere fas esse ». Item Clemens VIII in Instructione super ritibus graecorum inter latinos commorantium, praecepit Episcopis ut nullo modo permitterent divortia quoad vinculum fieri inter coniuges graecos. Iam porro notum erat principium a Patribus graecis frequenter praedicatum praesertim in controversiis arianis et a Romana Sede propugnatum, nullum ius esse Imperatoribus in res ecclesiasticas, nullamque vim obtinere eorum leges quae ferantur circa res sacras, cuiusmodi sunt sacramenta. Quocirca haud ignorare fidelibus licebat quid in hac quaestione de solutione vinculi coniugalis valerent imperiales leges. Etsi igitur nequeat historice ex aetate media probari pluries Romanos Pontifices elevasse vocem contra ipsos Graecos et aperte reprobasse morem et leges Graecorum, tamen 1° forte quaedam monumenta interciderunt: 2° satis se id reprobare illi significarunt cum docuerunt leges imperiales in rebus ecclesiasticis et sacris valere nihil nisi ab ipsa Ecclesia adoptentur, simulque docuerunt ex lege Evangelii indissolubile esse matrimonium etiam in causa adulterii. Quemadmodum vero Eugenius IV supposuisse videtur quod ea praxis Graecorum non ex animo haeretico sed ex ignorantia procederet, ideoque censuit id non obstare unioni eorundem Ecclesiae Latinae, ita arbitrari licet pariter iudicasse praedecessores eius cum ad hanc praxim Graecorum animum intenderent, et adeo afflictis illius Ecclesiae rebus prudenter abstinuisse a reprehensione directa et explicita, cuius nullum fructum sperarent.

c) Si ergo tandem ipsae leges latae earumdemque per non pauca secula observatio apud Christianos graecos considerentur per se, habeaturque ratio huius praxis tum in imperatoribus ferendi has leges tum in subditis secundum illas vivendi ac conniventiae quoque Episcoporum a certa aetate deinceps, affirmamus haec prorsus valere nihil ad traditionem catholicam probandam aut declarandam,

cum sint manifestissima praevaricatio. Praevaricatio enim fuit Imperatorum christianorum, qui in rebus sacris leges ferre voluerunt: praevaricatio fuit Episcoporum, qui praesertim post Synodum Chalcedonensem sensim sine sensu ceperunt a debita reverentia deficere erga Romanam Sedem, suumque novum Patriarcham regiae Urbis suspicere ac plusquam par sit revereri Imperatores, qui praerogativas eorum vindicabant, illisque ea iura animo servili concedere, quae rebelles negabant suo legitimo Pastori Romano Pontifici.

Nihilominus cum doctrina disserte proponenda esset auctoritate Synodali a Graecis, nullum decretum hoc scelus sanciens editum est. Sane in Trullana Synodo, cuius canones deinceps semper obtinuerunt vim in Oriente, primo receptis canonibus africanis et ille canon Milevitanus, quem supra dedimus, receptus est. Deinde cum ipsi Graeci suo marte in eadem Synodo canonem condituri essent, satis pudoris Episcopi habuerunt, ut abstinerent a sanciendo hoc flagitio auctoritate sua: imo potius, timide licet, satis significarunt catholicam doctrinam. Id patet ex can. trullano 87, ubi haec solum statuuntur indefinite: « quae maritum reliquit, est adultera, si venerit ad alium.... si ita praeter rationem a marito secessisse visa est, ille quidem venia dignus est, haec vero poena. Illi autem venia dabitur ut Ecclesiae communicet »: de permissione alterius coniugii, disserte saltem nihil. Subdunt adhuc indefinite: « sed is, qui legitime sibi datam uxorem relinquit et aliam ducit, ex Domini sententia est adulterii iudicio obnoxius ». Tum poenitentia talibus viris statuitur certo tempore, post quod habeantur digni communione. Hic canon satis indicat animum auctorum. Nolebant aperte contradicere legibus imperialibus, sed nec iis manifeste favere sanciendo falsam doctrinam. Quocirca conniventia episcoporum graecorum tanto tempore erga eam praxim potius pusillanimitati eorum ac defectui virtutis episcopalis, quam errori aut erroneo magisterio ipsorum (si universim illos consideremus) tribuenda est. Nec aliter canonem illum breviavit Aristenus Balsamo anterior vel coaevus, qui tamen ante ipsum scripsit: inquiens: « quae a viro suo ad alium accedit, adultera est, et qui ab uxore ad aliam, iuxta Domini sermonem, similiter moechus est » (Migne P. G. Tom. 137. p. 813). Cum vero ex legibus imperialibus et canonibus ecclesiasticis unum syntagma constitutum fuerit (Nomocanon) ut proinde ex aequo omnes valerent, quid mirum si hac posita praevaricatione, integrum amplius non fuit Episcopis immoralem eam praxim dissolvendi coniugii abolere? Exitus eius servilissimi obsequii erga imperiales leges et aversionis a Romana Sede fuit tandem plena discessio ab unitate Ecclesiae: quia vero ad hanc discessionem non veritas sed error viam sternit, liquet

quid ex ea praxi et similibus vigentibus a seculo VI in Ecclesia graeca colligere liceat pro affirmando catholico dogmate et catholica disciplina. Et de hac re satis.

V. Tandem contra demonstrationem traditam in praecedenti Thesi obiici posset, non id omne demonstratum esse quod demonstrandum erat: proposita enim erat demonstranda indissolubilitas quoque matrimonii tantum rati, de quo tamen nihil specialiter dictum est. Respondeo opus reapse non fuisse ut aliquid specialiter diceretur. Nam si vera est propositio universalis: matrimonium christianum nunquam ulla ratione potest ab ipsis coniugibus solvi, quoniam matrimonium ratum est certe matrimonium christianum; sequitur necessario quod erat demonstrandum. Quod et evidentius, si opus est, fiet, si nunquam exceptio aliqua fiat pro matrimonio rato: haec autem nusquam apparet nec ullus unquam docuit, non posse coniuges quidem solvere auctoritate sua matrimonium consummatum, posse tamen, si solum est ratum. « Si quis vir et mulier pari consensu contraxerint matrimonium et vir, ea incognita, aliam duxerit in uxorem et eam cognoverit, cogendus est secundam dimittere et ad primam redire » aiebat Alexander III (cf. Appendicem ad Conc. Lateran. III. p. VII. c. 17): quamvis quidam aliter censuerint non quidem propter potestatem factam coniugi dissolvendi matrimonii rati, sed eo quod censerent ipsum matrimonium consummatum (quod tamen ex errore exstitisse putabant) praevalere rato suaque vi hoc dissolvere.

Verum nonne idem Alex. III *(ex publico De Convers. coniug.)* docens posse dissolvi matrimonium ratum nondum consummatum, monet verba Christi *non licere viro dimittere uxorem suam,* secundum interpretationem sacri eloquii, intelligenda esse de his quorum matrimonium fuerit carnali copula consummatum? Horum verborum Pontificis non hunc esse necessarium sensum putamus, quod Christus ibi de solo matrimonio consummato loquatur, unde consequens esset quod matrimonii rati indissolubilitas intrinseca colligi ex iis non posset; sed cum Pontifex ad eam quaestionem tunc deberet respondere ad quam indissolubilitas extrinseca quoque spectabat, ratione nempe professionis religiosae, id voluisse dicere videtur quod si verba Christi de omnimoda indissolubilitate accipiantur, ea intelligenda sint de matrimonio consummato, *secundum interpretationem sacri eloquii,* h. e. secundum eam interpretationem, quae sacro eloquio adhibenda est, quam nempe divina Traditio suppeditat, qua docemur posse matrimonium ratum extrinsece dissolvi. Scilicet si quaevis indissolubilitas spectetur, verba Christi accipienda sunt de matrimonio consummato et quidem christiano, ut paulo post explicabimus: si vero sola spectetur

indissolubilitas intrinseca, nihil in hac speciali quaestione affirmat R. P. Responsio autem ex demonstratis manifesta est. Certe ea interpretatio, qua verba Christi de intrinseca indissolubilitate etiam matrimonii rati accipiantur, nullam doctrinam continet contra universam doctrinam Patrum, neque excludit extrinsecam dissolubilitatem, cuius auctor sit Deus, et cohaeret cum intentione Christi respondentis, qui loquitur directe in quaestione sibi a Pharisaeis proposita de dissolubilitate intrinseca. Ceterum ea interpretatio suaderi videtur a Tridentino. Cn. enim 7° docens matrimonii vinculum non posse dissolvi, ait hoc esse iuxta *Evangelicam* et Apostolicam doctrinam. Iam vero Concilium non loquitur tantum de matrimonio consummato, tum quia dicit simpliciter *matrimonii vinculum,* tum quia doctrina est catholica: neque matrimonium ratum posse propter adulterium ab alio coniuge dissolvi. Iam vero hanc ait esse doctrinam Evangelicam: quis porro Evangelii locus, ad quem provocat, nisi iste sive apud Matthaeum sive apud Marcum aut Lucam? Ergo Christus in eo sermone de indissolubilitate intrinseca matrimonii quoque rati loquebatur. Et sane matrimonium quoque ratum omnes fatentur esse indissolubile intrinsece, h. e. ex potestate ipsa coniugum non posse dissolvi etiam in causa adulterii: lex ergo exstat id praecipiens: porro non sufficit lex naturae; erit ergo lex Christi, hoc est institutionis a Christo revocatae; haec vero nisi iis in locis sit, nullibi est. Et sane coniunctio divina coniugum fit in ipso contractu, ut ipsa verba ac preces, quas Ecclesia adhibet, satis significant: ea vero coniunctio communis est matrimonio rato et consummato; Christus porro negat hominem separare posse quod Deus coniunxit: ea ergo interdictio Christi pro quovis matrimonio valet.

Attulimus T. VII inter Latinorum auctoritates verba Innocentii I ex epist. 9 dicentis « conventum secundae mulieris, priore superstite *nec divortio eiecta,* nullo pacto posse esse legitimum ». An, si divortium fiat, erit legitimum alterum coniugium, priore adhuc vivente? Hanc non esse sententiam Innocentii constat certe ex eius altera epistola, cuius verba dedimus ibidem. Sensus integer est, mulierem divortio, quo vinculum solvatur, eiici non posse; ideoque priore vivente coniuge nec divortio eiecta, quod quidem non potest fieri, nequit esse legitimum alterum coniugium. Scilicet si posset prior divortio eiici, posset et alterum coniugium legitimum esse; sed quia illud non potest ideoque neque unquam fit; non potest hoc alterum fieri.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

THESIS XIX.

Eadem veritas Apostoli auctoritate demonstratur.

I. A Traditione ad Scripturam gradum faciamus h. e. ad doctrinam Apostoli et Christi, a qua Traditio derivata est. Nunc doctrinam ab Apostolo traditam consideramus. Verba Apostoli 1. Corinth. VII. 10. 11: *Iis autem, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.* Praesupponendum est quod iam alibi monuimus, par esse quoad hanc rem ius utriusque coniugis in alterum, secundum Apostolum (ibid. 4); unde quod de muliere dicitur, et de viro accipiendum erit. Porro advertendum est heic sermonem esse de separatione cuius auctor sit coniux, qui vel quae ab alio discedit. Iam vero cum Paulus ait: *quod si discesserit,* loquitur de muliere, quae *ex iusta causa* discedit, cuiusmodi est certe adulterium viri. Probatur, quia si sine causa discederet, non permitteret ipsi Apostolus optionem alterutrius, aut manere innuptam, aut reconciliari viro, sed praeciperet reconciliari; ratio est evidens, quia praeceptum est Domini, ut heic dicitur, ne discedat; cum autem vir habeat potestatem corporis mulieris, nequit sine iusta causa iure suo utendi privari. Supponit igitur Apostolus dans utriusque optionem, quod mulier ex iusta causa discedat; cum vero indefinite loquatur, quamlibet iustam causam supponit, inter quas certe est adulterium viri. Sensus est ergo: si mulier, ob fornicationem viri aliamve legitimam causam, discesserit, maneat in discessione, h. e. separata, innupta tamen, aut rursus redeat ad virum suum. Huiusmodi ergo est praeceptum Domini: primo mulier ne discedat a viro, deinde si iusta causa subest, permittitur discessio, at cum conditione ut mulier alii viro non nubat. Praecipitur ergo absolute mulieri ne vivente viro alias contrahat nuptias et per se prohibetur discessio, per accidens vero h. e. iusta exsistente causa, ea permittitur, quae sit tamen sola separatio tori et victus. «Dominus itaque (ait Augustinus De Adult. coniug. L. I. c. 21) praecepit mulierem a viro non discedere: quod si discesserit, ea utique causa qua discedere licitum est, manere innuptam, aut viro suo reconciliari». Lege totum librum. Id vero ut iam advertimus, valet etiam pro viris. Ergo in causa quoque adulterii, quae est iustissima ratio discessionis, prohibetur solutio matrimonii. Ita autem prohibetur ut mulier ista discedens maneat adhuc vinculo coniugii obligata: ille enim, a quo discessit, adhuc vir eius est, cui

reconciliari potest: *aut viro suo reconcilietur.* Ceterum praeceptum hoc Domini nequit accipi de sola illiceitate aliarum nuptiarum: nam uxore discedente ex iusta causa, si matrimonii vinculum solvitur aut solvi potest consentiente Deo, non est ratio cur illicitae sint aliae nuptiae: cum Deus neminem ad virginitatem obligaverit permiseritque secundas et deinceps nuptias.

II. Haec est quoque doctrina tradita ab eodem Apostolo Rom. VII. 2. 3: *quae sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est a lege viri. Igitur vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Cf. dicta in Th. XVI. Certum est autem iis verbis contineri doctrinam certam non tantum in lege veteri sed in nova; nam eandem doctrinam Apostolus tradit christianis Corinthiis 1. Corinth. VII. 39. Pollentius (De Adult. coniug. L. II. c. 2 seqq.) haec verba Apostoli sic intelligenda existimabat «ut si fuerit vir fornicatus, pro mortuo deputetur, et uxor fornicata pro mortua et ideo liceat cuilibet illorum, tanquam post mortem ita post fornicationem coniugis, alteri copulari». Quam interpretationem ita impugnat Augustinus: «Abs te quaero, utrum quicumque duxerit mulierem, quae viro alligata esse destiterit, adulter habendus sit? quod tibi existimo non videri: ideo enim mulier vivente viro vocabitur adultera si fuerit cum alio viro, quoniam alligata est quamdiu vir eius vivit... Porro si morte cuiuslibet eorum inter maritum et uxorem hoc vinculum solvitur, et pro morte habenda est, ut dicis, etiam fornicatio, procul dubio erit ab hoc eius mulier soluta, quando fuerit fornicata. Neque enim dici poterit haec alligata viro suo, quando ab illa fuerit vir solutus. Ac per hoc posteaquam fornicando alligata esse viro destiterit, quisquis eam duxerit, adulter non erit. Et vide quam sit absurdum, ut ideo non sit adulter, quia ducit adulteram. Imo vero, quod est monstruosius, nec ipsa mulier erit adultera, quoniam non erit posteriori viro uxor aliena, sed sua. Soluto enim per adulterium priore coniugali vinculo, cuique iam nupserit coniugem non habenti, non adultera cum adultero sed uxor erit potius cum marito. Quomodo ergo erit verum: mulier alligata est quamdiu vir eius vivit? ecce vir eius vivit, quia nec de corpore excessit nec fornicatus est, quod pro morte vis deputari, et tamen ei mulier alligata iam non est. Nonne attendis quam sit hoc contra Apostolum dicentem; mulier alligata est quamdiu vir eius vivit? an forte dicturus es: vivit quidem, sed vir eius iam non est, quoniam tunc esse destitit quando illa per adulterium coniugale vinculum solvit. Quomodo igitur vivente viro vo-

cabitur adultera si fuerit cum alio viro, quandoquidem vir eius ille iam non est, coniugali vinculo per mulieris adulterium iam soluto? Quamobrem secundum doctrinam sanam mulier alligata est quamdiu vir eius vivit, idest *nondum a corpore abscessit*». Quae argumentatio Augustini illud certe ostendit, nempe 1° ipso facto adulterii alterutrius non solvi vinculum coniugale: 2° verba Apostoli: *quanto tempore vir eius vivit* non posse accipi de ea vita, quae sita dicatur in fide coniugali: nam ex hoc sequeretur quod quemadmodum mortuo alterutro coniuge, hoc ipso vinculum solvitur, teste Paulo, ita solvitur quoque eo ipso quod alteruter fidem violaret, quod tamen falsum esse diximus primo loco, et Augustinus demonstravit. Quocirca *vita viri* sensu immediato literali solum accipienda est. Huc spectat argumentatio Augustini. Atqui si quamdiu vivit vir, mulier alligata est legi matrimonii, non solum non solvitur vinculum ipso facto adulterii alterutrius, sed nec ius est coniugi innocenti puta mulieri solvendi vinculum propter adulterium alterius. Nam quamdiu vivit vir eius, ita obligata est lege matrimonii, ut sit adultera si alii uniatur: etsi ergo repudiet maritum adulterum, si alteri nubit, quoniam verificatur quod vivente viro est cum alio viro, verum erit quoque consequens, quod nimirum sit adultera, h. e. nullum sit coniugium alterum, manente priore. Ergo vivente viro nulla est potestas uxori solvendi coniugium, etsi vir fidem frangat. Et vir similiter, « quoniam par forma est in utrisque» (ibid. L. I. c. 1), non potest solvere vinculum coniugale, etsi mulier sit adultera.

THESIS XX.

Ut ad interpretationem doctrinae a Christo traditae in Evangeliis viam nobis muniamus, praestituimus primo rationes criticas sufficientes haud esse cur interpolatus dicatur textus Matthaei XIX. 3 seqq. sive quoad verba: nisi ob fornicationem, *sive quoad verba:* et aliam duxerit: *praestituimus secundo in verbis Christi Matthaei V. 32. et XIX et parallelis Marci et Lucae non consilium sed legem perpetuo valituram, abrogato vetere foedere, contineri: proinde Christum his in locis non interpretem legis mosaicae egisse sed legislatorem novi foederis: praestituimus tertio non recte postulari ut testimoniorum Marci et Lucae de hac re interpretatio exigatur ad normam verborum Matthaei propterea quod obscuriora per clariora, pauciora per plura sunt explicanda.*

I. Notum est Theologos non solum catholicos sed protestantes hoc seculo plurimum laborasse tum generatim in exegesi verborum Chri-

sti penes Matthaeum V. 31. 32. XIX. 3 seqq. Marc. X. 2. Luc. XIII. 18 tum speciatim in componendo dissidio, quod ipsis videbatur esse sive inter duplex testimonium Matthaei sive inter ipsum Matthaeum aliosque Evangelistas. Horum omnium satis accuratam descriptionem videre licet penes Augustinum de Roskovany in opere *de Matrimonio in Ecclesia catholica* ann. 1837, quibus et alia superaddi possunt. Nostrum non est cunctas istas diversorum interpretationes recitare; satis est enim earum rationem habere, quae alicuius sunt momenti occasionemque praebent explicandi textum Evangelii. Id et in hac et in sequente thesi praestabimus: quemadmodum vero in sequenti attingemus immediatam interpretationem textus, ita in hac Thesi expendemus opiniones quasdam excogitatas ad sternendam viam ipsi immediatae interpretationi.

II. Itaque primo loco occurrit quaestio critica circa lectionem textus Matthaei XIX. Leonardus Hug eruditus sane criticus in opere *de Coniugii christiani vinculo indissolubili, Commentatio exegetica 1816.* hypothesim proposuit quod primum in eo loco Matthaei non exstarent ea verba exceptiva *nisi ob fornicationem;* ideoque par esset prorsus sententia Matthaei ac Marci et Lucae. Ratio dubitandi an occurrerit aliqua interpolatio ea est, quod varia sit lectio. Nam codices Constantinopolitani fere omnes legunt μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, pauci addunt εἰ, h. e. εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ. Clemens Alexandrinus quidem vel legit vel explicanda supplevit πλὴν εἰ μ. ἐ. π. At alii codices antiquissimi, Vaticanus, Cantabrigensis aliique graeci ac versiones Aegypti latinaeque ante Hieronymum legunt παρεκτὸς λόγου πορνείας. Suspicio proinde oboritur an hoc sit quoddam additamentum. Nimirum prius nulla occurrebat ibi exceptio: facta vero deinde collatione cum verbis cp. V ubi ea exceptio π. λ. π. (omnibus consentientibus quidem codicibus) exstat, cum aliquis lector censeret locum cp. XIX declarandum esse per verba cp. V, ea verba exceptiva primum in margine apposuit, quae deinceps irrepserunt in textum. Hanc hypothesim non multum facit ipse auctor, et merito. Nam primo quaerere licet, cur, si ita res se habuit, eadem exceptio apposita non fuit verbis Marci et Lucae? Praeterea hoc quidem pacto explicari forte poterit diversitas lectionum, cur alii textus habeant μ. ἐ. π. alii sicut in cp. V. π. λ. π. quatenus nimirum haec postrema primum elucidationis loco adscripta fuerint in margine ad cp. XIX, postea vero substituta fuerint utpote clariora aliis in textu. Sed quoniam in omnibus codicibus exceptio exstat vel hoc vel illo modo expressa, et solum apud Matthaeum, non penes Marcum et Lucam, huius facti rationem illa hypothesis reddere nequit. E contrario eo quod codices omnes exhibent exceptionem, critice tenen-

dum est exceptionem ab ipso Matthaeo scriptam fuisse: praeterea aliter iudicare non sinit Ecclesiae sensus, quae hunc textum a tot seculis ita legit.

III. Cl. Vincenzi in Appendice Voluminis V. Operis insignis *de Scriptis Origenis, Nysseni* etc. primum contendit verba exceptiva in cp. XIX legenda esse cum codice Vaticano ac itala π. λ. π. excepta causa fornicationis, sicut in cp. V: tum contendit ab apographo Matthaei abfuisse verba: *et aliam duxerit,* sed ea deinde illata fuisse textui Matthaei, quae apud Marcum et Lucam primum solum occurrebant, a quibus tamen absunt verba exceptiva. Itaque censet hic Scriptor fuisse olim lectionem cap. XIX parem lectioni cap. V; inserta vero deinceps fuisse ea verba verbis Christi apud Matthaeum non quidem data opera et ex studio interpolandi textum, sed tum propter alias causas, tum propter collationem quatuor Evangeliorum in unum seu Μονοτέσσαρον, quod iam Ammonius Alexandrinus praestiterat; inde enim factum est ut deinceps quae unius essent Evangelistae, alteri tribuerentur. Quod queritur Hieronymus epist. ad Damasum inquiens: « magnus siquidem hic in nostris codicibus error inolevit, dum quod in eadem re alius Evangelista plus dixit, in alio quia minus putaverint, addiderunt vel dum eundem sensum alius aliter expressit, ille, qui unum e quatuor primum legerat, ad eius exemplum ceteros quoque aestimaverit emendandos. Unde accidit ut apud nos mixta sint omnia et in Marco plura Lucae atque Matthaei, rursum in Matthaeo plura Ioannis et Marci et in ceteris reliquorum quae aliis propria sunt inveniantur ». Rem ita se habuisse quoad nostrum textum vitiumque in eo perseverasse demonstrare contendit Vincentius primo quidem ex difficultate, qua premitur interpretatio verborum Christi, eo retento inciso *et aliam duxerit* simulque retenta exceptione: tum potissimum testimonio Veterum Patrum, quatenus hi satis nos docent, se incisum istud minime legisse penes Matthaeum, imo et auctoritate antiquissimi codicis. Sane ut ab hoc incipiamus, codex antiquissimus Vaticanus (medio sec. IV) reapse caret hoc inciso apud Matth. XIX. 9 ac legit ut in c. V. 32. Deinde in antiqua itala vulgata ita legebat Tertullianus, qui in lib. IV. adv. Marcionem c. 34 expendens responsionem Christi ad Pharisaeos, relatis praecedentibus verbis, quae sequuntur ita recitat: qui dimiserit uxorem suam praeter causam adulterii, facit eam adulterari. Recitat quidem ibidem verba Christi cum praedicto inciso: qui dimiserit uxorem *et aliam duxerit,* adulterium committit: sed omissio exceptionis: *praeter causam fornicationis,* ostendit eum citare verba Lucae. Eodem pacto Origenes in Matth. Tom. XIV. n. 24 enarrans cp. XIX recitat verba Christi:

omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam moechari. Non secus refert verba Christi dicta ad Pharisaeos Cyrillus Alex. in 1. Cor. c. 7 apud Mai Bib. nov. PP. Tom. III.

Verum non solum longo seculorum usu lectio huius incisi Matth. XIX *et aliam duxerit* in Ecclesia frequentatur, sed videtur ea fuisse in vetere itala ac primitivo textu graeco: id enim ostendit Hieronymus veteris vulgatae emendator ad fidem codicum graecorum, qui eam retinuit lectionem. Augustinus quoque, qui tam frequenter hanc Christi sententiam expendit experiturque difficultatem, ita pariter legit. Eandem lectionem generatim praeferunt antiqui codices tum graeci tum latini, ipsam quoque habet antiqua syriaca versio. Nec vis huius consensus satis minuitur auctoritate eorum Patrum, qui citantes verba ex cp. XIX ea retulerunt eodem prorsus modo ac sunt in cp. V; nam vel memoriae lapsus fuit non adeo difficilis, vel aliquo codice minus accurato sunt usi. Nec admodum iuvat Vaticanus codex, quippe cui tot alii adversantur. Ceterum cum probari nequeat tanquam probabilior lectio carens hoc commate: *et aliam duxerit,* imprudenter agit interpres in re tanti momenti, controversa quoque cum haereticis, faciliorem praeoptans lectionem.

IV. Si quaeras quaenam ex duabus formulis exceptivis in cp. XIX sit praeferenda: critici videntur censere quod ibi lectio μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, vel εἰ μὴ ἐ. π. sit certior. Ceterum haec quaestio parum refert. Nam tandem sensus idem est. Etenim τὸ μὴ apud classicos Scriptores loco τοῦ εἰ μὴ occurrit, et quia particula ἐπὶ cum dativo valet quoque *propter* vel *ob;* hinc tota phrasis iure vertitur: *nisi ob fornicationem,* quod tandem tantumdem est ac *excepta causa fornicationis;* nisi velis aliam esse significationem vocaboli λόγου; de qua tamen quaestione in seq. Thesi dicendum.

V. Ut nonnulli sententiam tuerentur, quae ex aliqua causa repudium uxoris christianis quoque concedit, affirmare haud sunt veriti in verbis Christi legem non contineri. Aiunt enim verba cp. V. 31–32 sicut et plura alia in eo sermone contenta perfectionis cuiusdam normam ostendere, quae non sit in praecepto sed permissa arbitrio fidelium: verba vero cp. XIX utpote ad Pharisaeos directa exhibere quidem interpretationem legis mosaicae eiusque imperfectionem ostendere; quatenus vero eam emendat ad normam primitivae institutionis, omnes causas dimissionis ad unam revocare idque pro Iudaeis, quibus respondebat.

Praestituendum est, quod ceteroquin omnibus notum esse debet, doctrinam morum a Christo traditam, qua ipse affirmat peccare eos qui secus agunt, vim verae legis divinae habere; eo ipso enim quod Deus dicit aliquam actionem peccatum esse, eandem sub poenae

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

comminatione ipse interdicit. Praeterea tenendum est legem, quam Christus in hac vita mortali docendo tulit, ex ea parte, qua mosaicam institutionem abrogabat, voluisse ipsum Christum tum valere cum Ecclesia sua ceperit exsistere et cessare ius veteris oeconomiae. Tandem est advertendum quod praecepta morum, quae Christus tradebat, etsi solos Iudaeos alloqueretur, ea non ad solos Iudaeos viventes sub lege Moysis spectabant: secus enim, quoniam ipse ad solas oves Israelis missus fuit, quaenam forent praecepta reliqua pro christianis?

His positis facile patet verba Christi penes Matthaeum V. 31-32 et XIX. 3 seqq. legem vere continere. Non solum enim personam legislatoris assumit inquiens: *Ego autem dico vobis, dico autem vobis,* sed affirmat peccare qui secus agit sive affirmat moechari qui dimittit uxorem et qui dimissam ducit: moechia vero est peccatum. Tum instituens oppositionem inter id quod ipse dicit et quod Moyses permiserat et simul moechari affirmans qui secus agit ac ipse dicit, abrogationem pronunciat permissionis mosaicae: atqui haec abrogatio non nisi auctoritate legislatoris fieri poterat; erat enim permissio in lege contenta, quam legem Dei nomine Moyses tulerat. Qui vero fieri possit ut Christus, abrogans dispositionem mosaicae legis, agat tantum interpretem eiusdem eosque tantum docere velit, qui secundum legem Moysis vivunt, haud licet divinare. Christus autem deinceps seorsim instruens discipulos (Matth. XIX. 10 seqq.) non novam seu ampliorem doctrinam proponit, sed iam traditam inculcat, eam nempe, quam discipuli ex verbis Christi prioribus intellexerant (cf. Marc. X. 10 et Thesim seq. n. XI). Haec est certa sententia Ecclesiae, quae in huiusmodi Christi verbis legem intellexit obligantem christianos, ut liquet ex traditione repraesentata in praeced. Th.

VI. Audiamus nunc eos, qui volentes componere Matthaeum cum Marco et Luca affirmant exceptionem expressam a Matthaeo subintelligendam esse in verbis Marci et Lucae, ut sic constet omnes Evangelistas concedere repudium uxoris in causa fornicationis. Cur vero ea exceptio supplenda est in Marco et Luca? quia nimirum obscuriora sunt explicanda per clariora et pauciora per plura: plura autem verba vel plures sententiae eaeque clariores sunt apud Matthaeum quam apud alios. Haec quaestio est per se theologica; quaerit enim verum sensum verbi Dei: at nolumus modo uti pro eius solutione principiis theologicis ex doctrina certa Fidei desumptis, sed solis principiis criticis aut hermeneuticis, quibus adversarii utuntur, ne videamur nobis sumere quod nunc est in quaestione. Itaque concedimus prius principium: obscuriora esse explicanda per clariora: at negamus clariorem esse textum Matthaei quam Marci et Lucae; imo affirmamus hos esse clariores: quocirca eodem assumpto principio inferimus prorsus contrariam conclusionem. Si enim alterum difficultatem creat interpreti, alterum nullam, illud certe est minus clarum: atqui verba Marci et Lucae nullam facessunt difficultatem interpreti: ea vero tunc exoritur, cum verba Matthaei leguntur; nam non statim liquet amplitudo illius exceptionis et quomodo ea cohaereat cum primitiva institutione, ad quam Christus provocat, quacum aptissime cohaerent verba Marci et Lucae.

Ad alterum principium quod spectat: pauciora esse explicanda per plura seu textum breviorem esse explicandum per longiorem, negamus hoc esse idoneum principium rectae interpretationis. Quid enim, si textus brevior plura dicat et sit clarior? Id vero contingit in hac re, quam prae manibus habemus. Nam, ut iam monuimus, clariores sunt textus Marci et Lucae, iidemque reapse plura dicunt vel videntur dicere, cum affirment omnem dimittentem uxorem moechari si aliam accipiat, an vero Matthaeus de omnibus id dicat dubitatur. Quapropter Augustinus comparans hos textus simul (de Adulter. coniug. L. I. c. 11) dicit legenti Matthaeum ambigendum esse, non quidem de eo quod dicit, sed de eo quod non dicit et quoad hoc consulendos esse alios Evangelistas.

THESIS XXI.

Ex verbis Marci et Lucae atque ex verbis Matthaei V. 31, 32 et XIX. 3 seqq. certo colligimus doctrinam Christi de indissolubilitate vinculi coniugalis etiam in causa adulterii.

I. Doctrina itaque Christi refertur a Matthaeo duobus in locis: V. 31. 32. Dictum est, quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari, et qui dimissam duxerit, adulterat. XIX. 3 seqq. Et accesserunt ei Pharisaei tentantes eum et dicentes: si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa. Qui respondens dixit eis. Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos: et dixit propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Dicunt ei: cur ergo Moyses mandavit dare libellum repudii et dimittere. Dicit eis: quia Moyses ob duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic. Dico

comminatione ipse interdicit. Praeterea tenendum est legem, quam Christus in hac vita mortali docendo tulit, ex ea parte, qua mosaicam institutionem abrogabat, voluisse ipsum Christum tum valere cum Ecclesia sua ceperit exsistere et cessare ius veteris oeconomiae. Tandem est advertendum quod praecepta morum, quae Christus tradebat, etsi solos Iudaeos alloqueretur, ea non ad solos Iudaeos viventes sub lege Moysis spectabant: secus enim, quoniam ipse ad solas oves Israelis missus fuit, quaenam forent praecepta reliqua pro christianis?

His positis facile patet verba Christi penes Matthaeum V. 31-32 et XIX. 3 seqq. legem vere continere. Non solum enim personam legislatoris assumit inquiens: *Ego autem dico vobis, dico autem vobis,* sed affirmat peccare qui secus agit sive affirmat moechari qui dimittit uxorem et qui dimissam ducit: moechia vero est peccatum. Tum instituens oppositionem inter id quod ipse dicit et quod Moyses permiserat et simul moechari affirmans qui secus agit ac ipse dicit, abrogationem pronunciat permissionis mosaicae: atqui haec abrogatio non nisi auctoritate legislatoris fieri poterat; erat enim permissio in lege contenta, quam legem Dei nomine Moyses tulerat. Qui vero fieri possit ut Christus, abrogans dispositionem mosaicae legis, agat tantum interpretem eiusdem eosque tantum docere velit, qui secundum legem Moysis vivunt, haud licet divinare. Christus autem deinceps seorsim instruens discipulos (Matth. XIX. 10 seqq.) non novam seu ampliorem doctrinam proponit, sed iam traditam inculcat, eam nempe, quam discipuli ex verbis Christi prioribus intellexerant (cf. Marc. X. 10 et Thesim seq. n. XI). Haec est certa sententia Ecclesiae, quae in huiusmodi Christi verbis legem intellexit obligantem christianos, ut liquet ex traditione repraesentata in praeced. Th.

VI. Audiamus nunc eos, qui volentes componere Matthaeum cum Marco et Luca affirmant exceptionem expressam a Matthaeo subintelligendam esse in verbis Marci et Lucae, ut sic constet omnes Evangelistas concedere repudium uxoris in causa fornicationis. Cur vero ea exceptio supplenda est in Marco et Luca? quia nimirum obscuriora sunt explicanda per clariora et pauciora per plura: plura autem verba vel plures sententiae eaeque clariores sunt apud Matthaeum quam apud alios. Haec quaestio est per se theologica; quaerit enim verum sensum verbi Dei: at nolumus modo uti pro eius solutione principiis theologicis ex doctrina certa Fidei desumptis, sed solis principiis criticis aut hermeneuticis, quibus adversarii utuntur, ne videamur nobis sumere quod nunc est in quaestione. Itaque concedimus prius principium: obscuriora esse explicanda per clariora: at negamus clariorem esse textum Matthaei quam Marci et Lucae; imo affirmamus hos esse clariores: quocirca eodem assumpto principio inferimus prorsus contrariam conclusionem. Si enim alterum difficultatem creat interpreti, alterum nullam, illud certe est minus clarum: atqui verba Marci et Lucae nullam facessunt difficultatem interpreti: ea vero tunc exoritur, cum verba Matthaei leguntur; nam non statim liquet amplitudo illius exceptionis et quomodo ea cohaereat cum primitiva institutione, ad quam Christus provocat, quacum aptissime cohaerent verba Marci et Lucae.

Ad alterum principium quod spectat: pauciora esse explicanda per plura seu textum breviorem esse explicandum per longiorem, negamus hoc esse idoneum principium rectae interpretationis. Quid enim, si textus brevior plura dicat et sit clarior? Id vero contingit in hac re, quam prae manibus habemus. Nam, ut iam monuimus, clariores sunt textus Marci et Lucae, iidemque reapse plura dicunt vel videntur dicere, cum affirment omnem dimittentem uxorem moechari si aliam accipiat, an vero Matthaeus de omnibus id dicat dubitatur. Quapropter Augustinus comparans hos textus simul (de Adulter. coniug. L. I. c. 11) dicit legenti Matthaeum ambigendum esse, non quidem de eo quod dicit, sed de eo quod non dicit et quoad hoc consulendos esse alios Evangelistas.

THESIS XXI.

Ex verbis Marci et Lucae atque ex verbis Matthaei V. 31, 32 et XIX. 3 seqq. certo colligimus doctrinam Christi de indissolubilitate vinculi coniugalis etiam in causa adulterii.

I. Doctrina itaque Christi refertur a Matthaeo duobus in locis: V. 31. 32. Dictum est, quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari, et qui dimissam duxerit, adulterat. XIX. 3 seqq. Et accesserunt ei Pharisaei tentantes eum et dicentes: si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa. Qui respondens dixit eis. Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos: et dixit propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Dicunt ei: cur ergo Moyses mandavit dare libellum repudii et dimittere. Dicit eis: quia Moyses ob duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic. Dico

autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem et aliam duxerit, moechatur, et qui dimissam duxerit, moechatur. Marcus X. 2 eandem disputationem Christi cum Pharisaeis refert atque haec est ultima Christi sententia: quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam: et si mulier dimiserit virum suum et alii nupserit, moechatur. Lucas porro haec habet XVI. 18. Omnis qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, moechatur, et qui dimissam a viro ducit moechatur.

II. Circa significationem nominis *dimissio* et verbi *dimittere* haec licet advertere. Dimissio ἀπόλυσις per se potest esse perfecta et imperfecta. Perfecta est ea, qua ita separantur coniuges ut vinculum quoque solvatur; imperfecta, qua separantur quoad torum et victum, vinculo tamen manente. Ut dimissio sit, debet ab alterutro coniuge separatio fieri vel procurari. Distinctionem hanc duplicis dimissionis videmur nobis posse colligere ex verbis Moysis Deuter. XXIX. 1 et verbis Christi referentis legem hanc Matth. V. 31 qui dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. Heic enim videtur distingui *dimissio a traditione libelli*, qua repudium fiebat, ut proinde sensus sit iste; qui a se abiicit uxorem suam vel eiicit a domo sua nolens amplius eam secum habitare, repudiet eam ita ut soluto vinculo libera illa maneat possitque alteri nubere. Fieri namque per se potest ut dimittatur uxor, quin vinculum solvatur. Ne ergo uxores, quae non invenissent gratiam in oculis virorum, si vinculum maneret, dura et aspera cogerentur pati a viris, qui eas fastidirent, et ne ad illicitas et nefandas nuptias ipsae transirent, propter duritiam cordis eorum permissum est ut mulier dimissa repudiaretur, et sic vinculum solveretur. Fatemur tamen quod haec interpretatio non est necessaria: nam verba *det ei libellum repudii* significare possunt non ipsum actum repudii, qui verbo dimittere significatus iam sit, sed formam praescriptam a lege, qua repudium fieri liceret. Idem dic de verbis prout prostant in lege secundum lectionem originalem (Th. XVI).

Ceterum ultra in sermone aliquo dimissio intelligenda sit, si dimissionis nomen adhibetur, ex adiunctis sermonis ipsam circumscribentibus et determinantibus colligendum est. Quocirca (quod notandum est) si quis significare velit se permittere quidem aliquo saltem in casu dimissionem imperfectam, prohibere vero perfectam, optime sententiam suam significabit, si dicat, licere quidem identidem dimissionem ita tamen ut alterum coniugium non possit citra adulterium iniri. Dimissio scilicet perfecta seu divortium completum duo elementa complectitur, separationem et vinculi solutionem, quae

duo elementa seiungi ita possunt ut unum valeat esse sine alio: priore ergo concesso, altero negato, clare exprimitur quae dimissio liceat, quae non liceat coniugibus.

III. In cap. XIX. Matth. 3. interrogatio Pharisaeorum (cui dissensio inter duas scholas Scammai et Hillel occasionem forte dedit): *an liceat homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa*, est propositio modalis, et id praecipue videtur quaeri utrum *ex quavis causa* liceat dimittere. De qua vero dimissione sermo erat Pharisaeis? Posset forte quis dicere quod sermo fuerit de dimissione imperfecta: et licet in progressu quaestionis de repudio loquantur, id auxesi orationis tribuendum sit, occasione accepta a verbis Christi adeo commendantibus indissolubilitatem. Verum quia ipsa Christi responsio ad hanc interrogationem praedicat unitatem duorum et coniunctionem, quam Deus ipse facit, quae est unitas vinculi, et quia Pharisaei de ea dimissione censendi sunt loqui, de qua quaestio erat in scholis Iudaeorum, quaeque erat per repudium uxoris; dicendum est de dimissione perfecta quaestionem motam fuisse a Pharisaeis. Et sic Christus respondens instantiae Pharisaeorum usurpat verbum *dimittere* secundum perfectam significationem: *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic.*

IV. His positis consideremus primum verba Marci et Lucae. Propositio universalis est: *quicumque, omnis;* valet ergo pro quovis viro dimittente suam uxorem atque aliam ducente: atqui inter hos comprehenditur et ille qui propter adulterium uxoris dimittit eam et ducit aliam: ergo et iste moechatur, ergo vinculum prius non est solutum. Quamvis autem Evangelistae non omnes circumstantias rei aut sermonis commemorent, nequeunt tamen eas omittere, quibus omissis falsa evaderet historia vel sententia. Iam vero si verum esset Christum exceptionem fecisse et permisisse viro propter adulterium coniugis ducere aliam, tunc falsum esset quod refert Marcus et Lucas. Nam in hac hypothesi haec esset vera sententia Christi: *non omnis, qui dimittit uxorem et aliam ducit, moechatur*, quae tamen est contradictoria propositioni Marci et Lucae. Non ea ergo fuit sententia Christi, si Marco et Lucae credimus. « Qui sumus nos ut dicamus: est qui moechatur uxore dimissa alteram ducens, et est qui hoc faciens non moechatur, cum Evangelium dicat omnem moechari qui hoc facit? » (de Adult. coniug. L. I. c. 9). Est ergo satis clara sententia Christi. Cf. tamen quae de eadem dicemus explicantes verba Matthaei XIX.

V. Ad Matthaei verba quod spectat, quoniam duplex est testimonium, volumus primum demonstrare doctrinam catholicam ex priore

h. e. ex c. V. 31. 32 argumento iam praemonstrato a s. Basilio. Sane loquitur ibi Christus tantum de eo qui dimittit uxorem, non de eo qui insuper aliam ducit. Dicit autem Christus quod dimittens uxorem, excepta causa fornicationis, *facit eam moechari*. Porro sententia expressa verbo *facit* non ea est ut vir *cogat* mulierem moechari, libera enim semper est mulier: neque est quod ad dimissionem sequatur semper moechia dimissae; cur enim id semper sequeretur, si nulla est necessitas actus? Neque sensus est tantum: praeberi uxori occasionem moechandi: nam verbum *facit* indicat praeterea huius occasionis auctorem esse virum dimittentem. At cum agatur heic de doctrina morum, quam Christus tradit; auctor occasionis peccandi, de quo sermo est, ille vere dicitur, cui tanquam causae imputari potest moraliter peccatum sequens. Sensus ergo verborum Christi est: qui dimittit uxorem suam sine causa fornicationis, auctor est moechiae uxoris, si postea sequatur, puta si ipsa alteri nubat, eique uxoris peccatum tanquam auctori seu tanquam danti, sine causa, occasionem et obiicienti periculo uxorem, imputabitur: qui vero in causa fornicationis dimittit uxorem, non est auctor eius moechiae, si haec postea moechatur, nec illi uxoris peccatum imputabitur, utpote habenti legitimam causam dimittendi uxorem. Iam vero haec Christi sententia supponit manifeste uxorem dimissam posse moechari atque semper moechari quoties alteri viro uniatur. Si enim hoc tollis, quomodo dimittens occasionem praebet moechiae, quae non est amplius possibilis? At moechia nequit concipi in hac uxore dimissa, nisi vinculum prius maneat. Significat ergo Christus se supponere et tanquam certum habere quod prius vinculum perduret maneatque mulier dimissa adhuc uxor viri dimittentis. Ut idcirco totum discrimen inter dimittentem cum causa et dimittentem sine causa fornicationis sit in eo quod priori non imputetur moechia sequens uxoris, alteri imputetur. Itaque doctrina Christi est neque per fornicationem uxoris solvi vinculum coniugii. Si modo perpendas verba Basilii ex eius canone 48 citata in Th. XX, patebit argumentum hoc iam ab eo fuisse praemonstratum. Vides heic nos supponere communem interpretationem verborum *excepta causa fornicationis,* quam quidem certam satis esse quantum spectat ad valorem demonstrationis ex hoc textu eruendae, mox patebit.

VI. Nunc veniamus ad c. XIX. 3 seqq. Non una est interpretatio. Non pauci ex Protestantibus volunt indissolubilitatem quidem coniugii ibi a Christo sanciri, cum quadam exceptione tamen, nempe adulterii uxoris. Inter eos vero, qui negant permisisse Christum ulla in hypothesi repudium, non convenit quoad ipsam interpretationem. Est ex recentioribus quidam scriptor, qui contendit verba παρεκτὸς

λόγου πορνείας valere, *seposito sermone* (λόγος enim est sermo) *de fornicatione*, noluisse scilicet Christum de hoc casu loqui. Alii monent πορνείαν non esse adulterium, sed simplicem fornicationem, idcirco his verbis non indicari crimen admissum ab uxore post contractum matrimonium. Hi vero in duplicem classem dividuntur. Nam quidam ita accipiunt ac si sit fornicatio, quam ante coniugium mulier, quae ducta est, cum alio patraverit, quo in casu volunt dixisse Christum licitam esse rescissionem contractus, utpote deficiente debita conditione intenta a viro. Quidam vero putant ea verba exceptiva hunc sensum fundere: nisi unio viri et mulieris sit fornicaria, qua in hypothesi non solum licet sed oportet dimittere mulierem. Tandem alii censent πορνείαν esse ibi adulterium uxoris, atque hi maxime laborant in explicanda sententia Christi.

VII. Iam vero de prima interpretatione, quae doctrinae catholicae adversatur, dicendum erit in fine cum declarata fuerit interpretatio catholica. Quod attinet ad alias intepretationes, prima ex illis, tanquam nova quidem proposita, sed quae et Augustino venit in mentem (cf. infra n. IX), parum probabilis est nobis. Sane oporteret primo in hoc c. XIX legi π. λ. π. non μ. ἐ. π. atqui illa lectio in hoc cap. minus est certa quam alia. Deinde assumitur λόγον non esse *causam* sed *sermonem*: atqui λόγος est etiam causa seu ratio movens ad aliquid faciendum: οὐκ ἄνευ λόγου καὶ δικαίας αἰτίας dixit Demosthenes, *non absque ratione* (movente ad opus) *et iusta causa*. Quod confirmatur auctoritate veteris latini interpretis, qui in cp. V λόγον reddidit *causam*. Sed his omissis, advertimus quae sequuntur. 1° Falsum est quod dicitur, hanc interpretationem termini λόγου conducere ad planiorem et clariorem enarrationem textus cp. V. Nam, quemadmodum vidimus (n. V), retenta communi lectione et interpretatione vulgatae, planissime et clarissime explicatur sententia Christi certaque doctrina colligitur, illa eadem nempe quae in traditione catholica continetur. 2° Si spectentur verba Christi in cp. XIX et ponatur haec formula π. λ. π., duplex est distinguenda hypothesis. Nam vel πορνείας nomine intelligis fornicationem simplicem, ut sit unio fornicaria seu concubinatus inter virum et eam, quae uxor improprie appellatur, est enim vere concubina, ut tenet alia interpretatio, quam post hanc indicavimus; vel intelligis fornicationem uxoris h. e. adulterium, ut communiter intellexerunt veteres interpretes. Si primum sumis, haec interpretatio erit obnoxia iis difficultatibus quibus premitur illa alia in explicatione vocis πορνείας, ut postea videbimus: praeterea si vis fiat in significatione vocis λόγου, reliqua erit difficultas critica, quae contemnenda haud est, quia nihil evincit lectionem hanc παρεκτὸς λόγου πορνείας esse in hoc loco alteri μὴ (εἰ μὴ) ἐπὶ

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

πορνείᾳ praeferendam. Si vero nomine πορνείας in his Christi verbis intelligis adulterium uxoris, tunc praeterea negamus merito subiici his verbis Christi παρεκτὸς λόγου πορνείας hunc sensum, nempe seposito sermone de adulterio uxoris, seu seposita quaestione an adulterium uxoris sit causa sufficiens dissolutionis. Aegre scilicet quis sibi persuadeat excepisse Christum a materia sui sermonis casum adulterii coniugis, cum nulla huius rei ratio afferri possit et ipse contextus satis repugnet. Nam doctrina primum a Christo proposita est universalis: *quod Deus coniunxit, homo non separet:* intendit ne id Christus valere pro casu quoque adulterii coniugis, an non? si intendit, non ergo excipit sermonem de hac re: si non intendit, cur universali modo proponitur doctrina, quae ad aliquos tantum casus ex intentione eiusdem loquentis spectat, et quidem ita proponitur ut probabilissima saltem occasio detur suspicandi quod omnes casus complectatur? Dices Christum respondere directe interrogationi Pharisaeorum: haec autem erat: utrum *ex qualibet causa* liceat dimissio uxoris: quod quidem falsum esse potest, etsi eadem liceat in aliquo casu. Verum *a*) quis unquam coegit magistrum respondentem nihil amplius dicere quam quod interrogatur, prohibuitque ipsum plenam rei doctrinam tradere occasione partialis quaestionis, si praesertim plena responsio necessaria est vel opportuna ut partiali quaestioni fiat satis? Quid ergo Christus responderit, non solum ex interrogatione Pharisaeorum, sed ex ipsius verbis colligendum est. Cum itaque ipse revocaverit omnia ad primitivam institutionem, in qua certe pro omnibus casibus provisum fuit, edixeritque consequens ex ea esse universale principium: *Quod Deus coniunxit, homo non separet,* immerito dicitur quod Christus intendat solum de aliquibus casibus loqui. Imo *b*) nonne ex eo quod talis fuit interrogatio Pharisaeorum, an *ex qualibet causa* liceret dimissio, iidem videri poterant supponere quod liceat ex aliqua causa? Quod si iure institutionis, ad quam Christus provocat, falsum erat, quid erat magis congruum magisterio Christi quam ut hanc falsam suppositionem evelleret? Non solum igitur non est aliena a responsione Christi comprehensio huius specialis casus, qui est adulterium uxoris, sed imo maxime conveniens, si in ipsa institutione sancita est plena intrinseca indissolubilitas, ut paulo post probabimus.

VIII. Alia interpretatio innititur significationi propriae vocis πορνεία, cum praesertim ipse Christus heic distinguat eam a μοιχείᾳ quae est adulterium: πορνεία ergo non est adulterium seu non significat crimen, quod admissum sit ab ea, quae vere uxor sit. Supponitur in hac explicatione verborum Christi quod haec verba *nisi ob fornicationem* sint continuatio sermonis et cohaereant cum immediate praecedentibus *quicumque dimiserit uxorem suam,* ut sensus eorum sit: *nisi dimiserit propter fornicationem,* quod iure supponi ipsa structura verborum ostendit veterumque communis interpretatio. Iam vero cum ita accepta voce πορνεία duplex sit explicatio sententiae Christi: prior, quae et quibusdam Protestantibus placuit, dum quamdam difficultatem removet, aliam inducit. Nam consequens foret viro licere post initum matrimonium repudiare uxorem, quam virginem non reperit; quod quidem, nisi in hypothesi quod sub hac certa conditione vir contrahere voluerit, quis admittat?

IX. At altera explicatio *nisi vir dimittat mulierem eo quod unio eorum sit fornicaria,* etsi nova sit, digna nonnullis visa est ut eius ratio habeatur. Eam proposuit cl. P. Patrizi (De Interp. Script. L. I. n. 281) eamque se accepisse testatur ab alio, cuius nomen tacet. Eandem acriter impugnavit cl. P. Perrone (De Matrim. L. III. c. 2. a. 2). Contra eam prima difficultas est quod sit interpretatio nova, aiuntque ipsam esse in materia fidei et morum interpretationem Scripturae contra unanimem consensum Patrum, quod per Tridentinum non licet. Verum quod spectat ad hanc reprehensionem, duplex primum est distinguenda Patrum interpretatio, contra quam ire haec nova interpretatio dicitur. Altera est circa obiectum principale sermonis Christi, altera circa obiectum incidens. Prior affirmat docere heic Christum matrimonii vinculum esse quolibet in casu intrinsece indissolubile: altera affirmat docere Christum licere ex causa adulterii separationem facere, vinculo tamen manente. Iam vero si prioris interpretationis Patrum ratio habeatur, concedimus in eam conspirare consensum unanimem Patrum, sed negamus eidem adversari hanc novam interpretationem. Duplex enim est distinguenda oppositio, nempe vel circa rem aut doctrinam quam Scripturae verbis contineri unanimis consensus Patrum doceat, vel circa modum interpretandi sive hauriendi eandem rem e verbis Scripturae. Porro sola prior oppositio contra unanimem consensum Patrum reprobatur a Tridentino. Hoc enim est decretum Tridentini (Sess. IV): « ne quis in rebus fidei et morum sacram Scripturam ad suos sensus contorquens.... contra unanimem consensum Patrum audeat interpretari ». Est scilicet oppositio quoad sensum. Tunc ergo est interpretatio Scripturae in re fidei ac morum contra unanimem consensum Patrum, cum ex Scripturae testimonio extunditur sententia ad fidem vel mores spectans, contraria illi quam Scripturae Patres subesse docent. Atqui doctrina, quam Patrum consensus hoc in loco contineri docet, ea est, matrimonii vinculum nunquam posse dissolvi, neque per adulterium; id porro et secunda interpretatio tenet, imo clarius

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ostendit. Oppositio ergo non est in sensu Scripturae seu in ipsa re, quae intelligenda sit ex verbis Scripturae, sed in methodo interpretandi: in qua profectum esse posse qui neget? Quapropter qui hanc recipit interpretationem affirmare etiam potest se exsequi id quod in Professione Fidei Piana spondet: nempe se interpretari Scripturam hanc iuxta unanimem consensum Patrum. Si alterius interpretationis Patrum, quae obiicitur, ratio habeatur, haec occurrit difficultas: quia si hanc novam interpretationem recipimus, tunc negandum est ex iis verbis Christi probari quod liceat propter adulterium coniugis separationem facere quoad vitam domesticam; de adulterio enim coniugis Christus non agit: id vero et incommodum est et refragatur Ecclesiae et Patribus communiter illud ex iis verbis probantibus. Nec id ex c. V. Matth. evinci potest. Etenim fundamentum huius novae interpretationis est quod πορνεία non est adulterium: ergo et in c. V cum eadem occurrat phrasis et de dimissione pariter sit sermo, accipienda erit de uxore fornicaria. Est quidem aliquod discrimen inter sententiam c. V et sententiam c. XIX; sed alterutrum de duobus: vel contenditur vocem πορνείαν in sermone, ubi agitur de dimissione uxoris et ubi occurrit vox μοιχεία vel μοιχεύειν seu μοιχᾶσθαι, significare tantum fornicationem, vel conceditur posse significare adulterium: si primum, non poteris ab ullo ex his locis extundere quod liceat coniugi innocenti se separare ab adultero; si alterum, diruis fundamentum interpretationis tuae. Cl. Perrone quidem, qui huiusmodi argumentum ex sensu Ecclesiae urget, demonstrat Ecclesiam inniti pro ea praxi statuenda his verbis Christi, adductis canonibus ex decreto et decretalibus. At, ut verum fateamur, ex decreto (cuius canonibus ea relinquitur auctoritas, quam ab origine habent) praeter aliquod particulare concilium, fere ex solo Augustino canones citantur: ex decretalibus autem nihil proprie affertur quod huc directe spectet. Quid quod si velimus his Christi verbis inniti pro sententia Ecclesiae, licere identidem separationem coniugum, difficultas praesto est: cur cum Christus solius fornicationis mentionem fecerit, Ecclesia alias multas praeterea causas admittat? Nam haec sola ex verbis Christi videretur esse excipienda. E contrario nonne unde causas alias didicit Ecclesia, et illam discere potuit? Certe Tridentina Synodus Sess. XIV. c. 8 abstinuit a citandis his testimoniis Matthaei. Nihilominus, si Patres consulimus, Patres hoc pacto accipientes hanc exceptionem non pauci possent citari, eosque conferre licet in Th. XIX. Iis generatim doctores scholastici iurisque canonici interpretes addi possunt, qui in doctrinam hanc stabiliendam verbis Christi apud Matthaeum consentiunt. « Constat haec doctrina, ait Sanchez (L. X de Divortio Disp. 3), ex c. V et XIX Matthaei et

ex c. *significasti*: et ita conclusio haec est de fide. » Augustinus tamen ut certam non habuit hanc interpretationem, quoniam, etsi eadem identidem usus sit, aliam tamen excogitavit, nimirum per ea verba: *nisi ob fornicationem,* excludi ab obiecto sermonis casum fornicationis (de Adult. coniug. L. II. c. 9). Quamvis vero non sit unanimis consensus Patrum et Doctorum, tantus est tamen iste consensus in accipienda πορνεία pro fornicatione uxoris h. e. pro adulterio et exinde in probanda liceitate separationis propter adulterium coniugis, ut ab hac communi interpretatione non audeamus discedere. Cum praesertim ratio, quae producitur, nullius sit sane momenti. Nam quamvis πορνεία non sit per se μοιχεία, tamen πορνεία uxoris est moechia: porro heic sermo est de πορνεία uxoris. Ratio autem cur Christus secundo loco utatur termino *moechari* non est ad ullam oppositionem instituendam, sed quia hoc opus erat ad expresse declarandum quod vinculum inter dimittentem et dimissam manet. Ceterum adulterium frequenter nomine fornicationis significatur etiam in sacris literis.

X. Restat igitur communis interpretatio, quae exceptionem eam ita intelligit: *nisi ob adulterium uxoris.* Hanc quidem intelligentiam exigit praeterea ipsa quaestio a Pharisaeis proposita, quorum profecto nihil referebat aliquid audire de muliere concubina. Tum si proprie accipienda est vox *fornicatio,* erit improprie accipienda vox *uxor,* quae in ea formula exceptiva subintelligitur: *quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem dimiserit uxorem suam;* sed ea quacum fornicarium commercium habetur, non est uxor: alterutrum ergo vocabulum minus proprie accipiendum esset: cur vero potius *uxor*, quod repraesentat id de quo est quaestio, quam *fornicatio?* Quod quidem argumentum est ad hominem: nam ut diximus, heic nullus est locus terminis impropriis; etenim cum fornicatio de uxore dicitur, trahitur ad speciem adulterii significandam.

XI. Quamvis vero haec interpretatio vocis *fornicatio* admittatur, ut sit adulterium uxoris, Theologi tamen adhuc probant verbis Matthaei XIX negari potestatem dissolvendi vinculi propter adulterium coniugis. Demonstratio sequentibus continetur. Itaque 1° id efficitur ope parallelismi ex collatione cum Marco. Quamvis enim Marcus sententiam hanc Christi: *quicumque dimiserit* etc. referat cum narrat alloquium Christi cum discipulis, tamen quia discipuli Christum *de eadem re* interrogaverant (X. 10) ac Pharisaei, sive declarari sibi rogaverant quod responsum fuerat a Christo Pharisaeis, ut liquet ex Matthaeo XIX. 10 seqq. necesse est ut eadem fuerit doctrina a Christo tradita Pharisaeis et repetita discipulis. Cum igitur Marcus eam doctrinam Christi exhibeat, quae excludit omnem intrinsecam

dissolubilitatem vinculi, oportet ut eadem sit doctrina relata a Matthaeo. Idem 2° efficitur analysi sermonis Christi apud Matthaeum. Et primum considerentur clarissima Christi verba. Ipse enim postquam provocaverit ad primitivam institutionem, concludit, *quod ergo Deus coniunxit, homo non separet:* quae verba legem continent Christi confirmantis primitivam institutionem, et prohibentis separationem quamlibet, quae ab homine fiat; vim enim habent universalissimam. Quare hac sua responsione non negat tantum Christus licere quavis ex causa separationem fieri posse, sed negat universaliter unquam separari coniuges posse humana potestate. Negatur vero potestas dissolvendae eius coniunctionis, qua duo coniuncti sunt a Deo in unam carnem; haec autem est ipsa coniunctio vinculi matrimonialis. Negat ergo Christus posse unquam ab ullo coniuge solvi vinculum, ut non solum illicite agat sed nihil faciat qui tentat dissolutionem vinculi: nam huic non solum lex Dei prohibens, sed ipsa efficax activitas Dei opponitur: *quod Deus coniunxit:* quod autem Deus facit quis potest infectum facere? Iam vero declaratio, quae deinceps occasione alterius interrogationis traditur a Christo, nequit universalitati huius principii adversari. Si enim exceptio aliqua facienda fuisset, eam Christus significasset antequam absolveret sermonem: atqui Christus sermonem suum heic absolvit nulla addita exceptione; quae vero sequuntur Christi verba, occasione alterius interrogationis dicta sunt, quae omissa fuissent, si interrogatio defuisset. Ex Christi ergo loquentis intentione completa erat sententia eius circa indissolubilitatem coniugii ea universali sententia: *quod Deus coniunxit, homo non separet*, quae valet quoque in casu adulterii coniugis: ergo. Quocirca fieri nequit ut deinceps quod affirmaverat, neget.

Idem efficitur ex subsequentibus verbis: *et qui dimissam duxerit, moechatur*, quibus nulla exceptio additur: iam vero *uxor dimissa* est omnis uxor, quae qualibet in causa etiam fornicationis dimissa sit; ergo et qui hanc ducit, moechatur, ideoque illius vinculum cum dimittente solutum non fuit. Nequit vero iure in hoc altero inciso subintelligi exceptio, quae exstat in priori, ac si dictum esset: et qui dimissam, nisi ob fornicationem, sive excepta ea quae ob fornicationem dimissa sit, duxerit, moechatur: nam si Christus voluisset hanc exceptionem intelligi, oportuisset eam explicite significare. Perpende scilicet quod in praecedente inciso mentio facta est uxoris dimissae tum praeter causam fornicationis tum ex causa fornicationis; utraque enim menti auditorum repraesentata est cum dictum est *qui dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem.* Iam vero fac Christum docere velle quod qui dimissam a viro propter crimen adulterii ducit, non est moechus, est autem moechus

qui alia ex causa dimissam ducit, quoniam de utraque dimissa in praecedente inciso locutus erat, oportuisset profecto clare ipsum significare de qua dimissa loqueretur cum diceret: qui dimissam ducit, moechatur: secus enim vel nihil vel falsum intellexissent auditores. E contrario si Christus docere volebat moechari qui ducit dimissam a viro qualibet ex causa etiam adulterii, clarissime loquebatur utramque dimissam, quam prius distinxerat, una appellatione complectens: *qui dimissam ducit, moechatur.* Ergo dimissa ex qualibet causa etiam adulterii, manet uxor dimittentis, quae est doctrina iam tradita in c. V. 31–32.

Et sane Christus heic XIX et c. V significat se legem aliquam statuere contra id quod permiserat Moyses: ex veteri vero lege duo distincta memorat in c. V nempe dimissionem uxoris et libellum repudii. Porro ibidem oppositam suam legem in duas partes quoque distinguit: nempe quoad dimissionem, limitat permissionem eius ad causam fornicationis: quod spectat vero ad repudium, suum oppositum decretum his verbis tantum effert *qui dimissam duxerit, moechatur*, quibus simpliciter significatur ius omne repudii abolitum esse. Pronum est ergo intelligere quod idem Christus his ipsis verbis voluit dicere in c. XIX respondens Pharisaeis.

XII. Verum expedienda est difficultas non levis sita in verbis Christi Matth. XIX orta non ex sola exceptione addita (nisi ob fornicationem), sed ex eo quod haec exceptio ibi ponitur ubi subiectum sermonis non est tantum qui dimittit, ut in cap. V, sed qui dimittit et aliam ducit. Illud enim ex ea sententia consequi videtur: *ergo qui propter causam fornicationis dimittit uxorem et aliam ducit, non moechatur.* Licet legislatori, qui velit aliquem casum excipere a lege, legem prius ferre terminis universalissimis et postea addere exceptionem pro eo casu. Id vero nunc Christus videtur fecisse; quocirca argumenta petita ex universalitate verborum Christi prohibentium dissolutionem haud videntur satis firma, nisi ostendatur nullum reapse excipi casum ab ipso Christo. Iam vero videtur casus unus excipi. Etenim Pharisaei loquuntur de dimissione perfecta, et propositio Christi est exceptiva et huc redit: Omnis qui dimiserit uxorem et aliam duxerit, praeter eum qui dimiserit ex causa fornicationis, moechatur: propositio vero exceptiva ea est quae a participatione praedicati excludit unum vel plura, quae in extensione subiecti continentur; ea exponitur sicut exclusiva per copulativam duabus constantem exponentibus, altera affirmante, altera negante: ideoque ita exponenda videtur propositio Christi: *qui dimittit uxorem ex causa fornicationis et aliam ducit, non est moechus, ceteri dimittentes aliamque ducentes sunt moechi.* Licet nimirum argumentari

a contrario: si moechi sunt qui dimittunt uxorem et aliam ducunt sine causa fornicationis: ergo hac exsistente causa non sunt moechi. Videtur enim quod si Christus voluisset excipere hunc casum ab indissolubilitatis lege, non potuisset clarius loqui, quam hoc pacto: qui dimiserit excepta causa fornicationis et aliam duxerit, moechatur. Verba enim *excepta causa fornicationis* non fuissent ponenda post alia: *et aliam duxerit;* nam fornicatio uxoris non est causa cur alia ducatur, sed solum cur prior uxor dimittatur, qua peracta dimissione, ducitur alia. Quocirca in hypothesi quod propter adulterium uxoris, liceret viro solvere coniugium, res ita se haberet: vir causa fornicationis dimitteret uxorem, et sic duceret aliam. Qui ergo statuens legem indissolubilitatis hunc tantum casum excipere vult, rectissime loquitur sic: qui dimiserit uxorem suam excepta causa fornicationis et aliam duxerit, moechatur: qui nempe non in causa fornicationis dimittit uxorem et aliam ducit, moechus est, qui in causa fornicationis dimittit, si aliam ducit, non est moechus.

XIII. Laborant Theologi ut his vinculis se expediant. Omissis minus aptis responsionibus, advertimus verba *nisi ob fornicationem* non pertinere nisi ad dimissionem, quacum immediate nectuntur, non ad sequentia, *et aliam duxerit;* nec sine causa Dominum ea non adiecisse completo subiecto post verba *et aliam duxerit:* ideoque exceptive quidem ea verba accipienda esse, at non exceptione, qua excludatur aliquid in extensione subiecti contentum a participatione praedicati positi in propositione, quod est *moechari,* sed qua excludatur aliquid in extensione subiecti contentum a participatione alterius praedicati subintellecti in ipsa propositione, nimirum *quod dimittere non liceat;* ut sensus sit: *omnis qui dimiserit, quod dimittere non licet ulli nisi habenti uxorem adulteram,* in qua propositione a praedicato *non posse dimittere* excluditur ille qui habet uxorem adulteram. Illud vero praedicatum in ipsa integra propositione subintelligitur, in qua negatur *potestas dimittendi,* et forma est quaedam elliptica loquendi, ita ut ea verba *nisi ob fornicationem* propositionem incidentem constituant et per quamdam parenthesim pronuncianda sint, et haec sit sententia: *quicumque dimiserit (quod quidem non licet nisi ob fornicationem) et aliam duxerit, moechatur.* Quocirca ea esset quaedam propositio incidens, qua doceretur quando liceat simplex dimissio.

Ita sane respondet Bellarminus (De Matrim. L. I. c. 17): « Christus scilicet quando concedit dimissionem in causa fornicationis non loquitur de dimissione quoad vinculum sed solum quoad torum et habitationem. *At Pharisaei interrogaverunt de dimissione quoad vinculum, ergo et Dominus de eadem respondit.* Concedo Pharisaeos de dimissione quoad vinculum interrogasse, sed nego Dominum de eadem respondisse, cum concedit dimissionem in causa fornicationis. Ergo, inquit adversarius, *non satisfecit Dominus propositae interrogationi:* neganda est consequentia. Nam cum in dimissione perfecta quae est quoad vinculum, duo contineantur, dimissio unius et potestas ducendi aliam, Dominus haec duo separavit, ac unum quidem concessit, dimissionem videlicet cum restrictione ob causam fornicationis, alterum vero omnino sustulit. Et haec est causa cur fere semper Dominus illa duo distincta posuerit: *quicumque dimiserit, et aliam duxerit,* ut nimirum explicaret repudium in lege permissum, et partim approbaret, partim improbaret ». Cf. n. II huius Thesis.

Ad expositionem vero illam propositionis exceptivae respondetur necessariam non esse; quia est exceptio addita soli dimissioni excepitque dimittentem in causa fornicationis non a praedicato totius propositionis, quod est moechia, sed a praedicato subintellecto quod est illicitam esse dimissionem. Scilicet: qui dimittit ob causam fornicationis licite agit, ceteri dimittentes sine causa fornicationis illicite agunt: omnes vero dimittentes quavis ex causa et aliam simul ducentes moechantur. Non ergo licet a contrario arguere quia de omnibus dimittentibus et simul aliam ducentibus universim affirmat Christus quod moechi sint.

Hanc interpretationem specialem huius testimonii exigit 1° ipsa interpretatio, quam Paulus, ut vidimus, adhibet praecepto Domini: nam praeceptum Domini est quod mulier *ex iusta causa* discedens a viro vel reconcilietur viro vel maneat innupta; quod autem in muliere valet quoad hoc, valet et in viro: ergo exceptio fornicationis a Christo adhibita eo spectabit quidem ut licitam dicat dimissionem, non vero tribuat ius aliarum nuptiarum: secus dicendus est Paulus non bene intellexisse praeceptum Domini.

Hanc interpretationem suadet 2° ratio loquendi hominum, a quibus alienum haud est uti hac forma elliptica. Sane iure quis ita loqui potest: Sacerdos utens uxore, nisi sit graecus, et altari ministrans, flagitium admittit. Qui hoc dicit, non vult dicere, quod sacerdos graecus utens uxore et altari ministrans non peccet: hoc sane falsum est; nam neque ipsis sacerdotibus graecis permittitur usus coniugii, cum altari deserviunt: nec puto graecum audientem hanc propositionem ita eam accepturum esse ut exceptionem applicet toti subiecto propositionis. Sed sensus est: sacerdos utens uxore, quod quidem non licet nisi graeco, et praeterea altari ministrans, flagitium admittit idque verum est, sive sit graecus, sive latinus. Item haec alia sit propositio: omnis anima, excepta belluina, peccans meretur

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

poenam: illa exceptio nequit applicari toti subiecto propositionis, ac si vellet loquens dicere fieri posse ut anima belluina peccet, sed soli priori parti subiecti applicanda est. Huiusmodi propositiones quis paululum advertens haud infrequentes reperiet. Ex quibus concludimus non esse prorsus adversus rationem quod ita interpretemur eam exceptionem; quam quidem interpretationem postulari a verbis Christi demonstramus aliis argumentis.

XV. Integra ergo manet certitudo interpretationis traditae verborum Christi Matth. XIX. 3 seqq. qua constat negare Christum potestatem viro dissolvendi vinculi coniugalis qualibet ex causa. Patet proinde falsitas primae interpretationis ex iis, quas memoravimus, quae placuit Protestantibus.

THESIS XXII.

Ipsa lege primitivae institutionis generatim quodvis matrimonium est intrinsece indissolubile.

I. Hactenus locuti sumus de matrimonio christiano. Restat quaestio de matrimonio infidelium, an illud quoque eadem indissolubilitate sit praeditum. Id profecto censuit Innocentius III *c. Gaudemus de divortiis:* quod nunc probandum est. Loquimur itaque generatim de quolibet matrimonio provocantes ad legem institutionis, cui subsunt certe omnia coniugia. Quocirca affirmamus matrimonia non solum fidelium, de quibus seorsim iam disputavimus, sed etiam matrimonia infidelium iure institutionis divinae indissolubilia intrinsece fuisse et modo esse, eadem institutione valente post Christum.

II. Sane Matth. XIX. 3 seqq. interrogantibus Pharisaeis: *si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa?* respondet Christus: *Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? et dixit: propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Dicentibus autem illis: *quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii et dimittere?* Respondit Christus: *quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic,* h. e. hoc modo institutum matrimonium, ut ea permissio exsisteret. Adverte phrasim hebraicam: *erunt duo in carne una* הָיוּ לְבָשָׂר אֶחָד (quam retinuit graecus ἔσονται οἱ δύο (1) εἰς σάρκα μίαν in carnem

(1) De lectione οἱ δύο, quae modo non comparet in exemplaribus hebraicis, lege cl. Patrizi in Marcum c. X. vv. 7. 8.

unam) idem valere ac erunt *una caro,* ut ipse Christus explicat. Sunt porro vir et uxor una caro, non quasi sint physice unus homo, sed quia sunt physice secundum carnem unum principium generationis idque sunt *actu,* cum commiscentur, *potestate,* vi ipsius matrimonii, quod potestas est unius in corpus alterius in ordine ad generationem. Vir scilicet est *caput* mulieris et mulier est *corpus* viri (Eph. V) et sic ex duobus unum fit, una caro.

III. Porro ex his verbis Christi haec manifesta sunt: *a*) ita institutum fuisse a Deo coniugium ut ipse Deus sit auctor (1) coniunctionis viri et mulieris, atque ita Deum esse auctorem huius coniunctionis ut homini nunquam liceat dissolvere eam coniunctionem. Sane permissum fuit quidem Iudaeis dare libellum repudii et dimittere uxores suas: verum ab initio, cum matrimonium est institutum, haec permissio non exstitit; hic enim est sensus horum verborum: *ab initio autem non fuit sic,* quibus excluditur quod dictum est prius: sermo autem prius fuit de permissione.

Dices sensum verborum Christi non esse proprie hunc, sed alium. Scilicet cum Pharisaei interrogassent an liceret viro dimittere uxorem suam *quacumque ex causa,* quod sibi licitum putabant ex lege Moysis Deuter. XXIV. 1 seqq., Christus respondit Moysem quidem id permisisse, sed ab initio non fuisse sic, ut nempe *qualibet ex causa* vir dimittere posset uxorem; non negans proinde quod ex aliqua speciali causa id facere ab initio licuerit. Et sane ipse Christus deinde probat causam fornicationis. Respondeo quod si velimus inhaerere Christi verbis iisque solis, responsio Christi: *quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras, ab initio autem non fuit sic,* responsio haec, inquam, non est ad interrogationem illam: *si liceat homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa,* sed cum huic interrogationi iam fecisset satis ea responsione; qua universaliter concludit; *quod ergo Deus coniunxit, homo non separet,* quibus verbis nulla causa relinquitur, propter quam liceat dissolvere coniugium auctoritate hominis: cum Pharisaei obiicerent illi mandatum Moysis, ad hanc obiectionem refellendam illud respondit. In qua responsione advertendum est quod Christus solum facit mentionem permissionis concessae a Moyse dimittendi uxores, non permissionis *ex qualibet causa* dimittendi, quam quidem latissimam permissionem neque in verbis Moysis legere est (Th. XVI): non enim confundenda est sententia Moysis cum interpretatione, quam illi adhibebant quidam Iudaei

(1) Quantum sibi vindicet in hac re institutio *positiva* Dei declarabitur in seqq.

poenam: illa exceptio nequit applicari toti subiecto propositionis, ac si vellet loquens dicere fieri posse ut anima belluina peccet, sed soli priori parti subiecti applicanda est. Huiusmodi propositiones quis paululum advertens haud infrequentes reperiet. Ex quibus concludimus non esse prorsus adversus rationem quod ita interpretemur eam exceptionem; quam quidem interpretationem postulari a verbis Christi demonstramus aliis argumentis.

XV. Integra ergo manet certitudo interpretationis traditae verborum Christi Matth. XIX. 3 seqq. qua constat negare Christum potestatem viro dissolvendi vinculi coniugalis qualibet ex causa. Patet proinde falsitas primae interpretationis ex iis, quas memoravimus, quae placuit Protestantibus.

THESIS XXII.

Ipsa lege primitivae institutionis generatim quodvis matrimonium est intrinsece indissolubile.

I. Hactenus locuti sumus de matrimonio christiano. Restat quaestio de matrimonio infidelium, an illud quoque eadem indissolubilitate sit praeditum. Id profecto censuit Innocentius III *c. Gaudemus de divortiis:* quod nunc probandum est. Loquimur itaque generatim de quolibet matrimonio provocantes ad legem institutionis, cui subsunt certe omnia coniugia. Quocirca affirmamus matrimonia non solum fidelium, de quibus seorsim iam disputavimus, sed etiam matrimonia infidelium iure institutionis divinae indissolubilia intrinsece fuisse et modo esse, eadem institutione valente post Christum.

II. Sane Matth. XIX. 3 seqq. interrogantibus Pharisaeis: *si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa?* respondet Christus: *Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? et dixit: propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Dicentibus autem illis: *quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii et dimittere?* Respondit Christus: *quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic,* h. e. hoc modo institutum matrimonium, ut ea permissio exsisteret. Adverte phrasim hebraicam: *erunt duo in carne una* הָיוּ לְבָשָׂר אֶחָד (quam retinuit graecus ἔσονται οἱ δύο (1) εἰς σάρκα μίαν in carnem

(1) De lectione οἱ δύο, quae modo non comparet in exemplaribus hebraicis, lege cl. Patrizi in Marcum c. X. vv. 7. 8.

unam) idem valere ac erunt *una caro,* ut ipse Christus explicat. Sunt porro vir et uxor una caro, non quasi sint physice unus homo, sed quia sunt physice secundum carnem unum principium generationis idque sunt *actu,* cum commiscentur, *potestate,* vi ipsius matrimonii, quod potestas est unius in corpus alterius in ordine ad generationem. Vir scilicet est *caput* mulieris et mulier est *corpus* viri (Eph. V) et sic ex duobus unum fit, una caro.

III. Porro ex his verbis Christi haec manifesta sunt: *a*) ita institutum fuisse a Deo coniugium ut ipse Deus sit auctor (1) coniunctionis viri et mulieris, atque ita Deum esse auctorem huius coniunctionis ut homini nunquam liceat dissolvere eam coniunctionem. Sane permissum fuit quidem Iudaeis dare libellum repudii et dimittere uxores suas: verum ab initio, cum matrimonium est institutum, haec permissio non exstitit; hic enim est sensus horum verborum: *ab initio autem non fuit sic,* quibus excluditur quod dictum est prius: sermo autem prius fuit de permissione.

Dices sensum verborum Christi non esse proprie hunc, sed alium. Scilicet cum Pharisaei interrogassent an liceret viro dimittere uxorem suam *quacumque ex causa,* quod sibi licitum putabant ex lege Moysis Deuter. XXIV. 1 seqq., Christus respondit Moysem quidem id permisisse, sed ab initio non fuisse sic, ut nempe *qualibet ex causa* vir dimittere posset uxorem; non negans proinde quod ex aliqua speciali causa id facere ab initio licuerit. Et sane ipse Christus deinde probat causam fornicationis. Respondeo quod si velimus inhaerere Christi verbis iisque solis, responsio Christi: *quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras, ab initio autem non fuit sic,* responsio haec, inquam, non est ad interrogationem illam: *si liceat homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa,* sed cum huic interrogationi iam fecisset satis ea responsione; qua universaliter concludit; *quod ergo Deus coniunxit, homo non separet,* quibus verbis nulla causa relinquitur, propter quam liceat dissolvere coniugium auctoritate hominis: cum Pharisaei obiicerent illi mandatum Moysis, ad hanc obiectionem refellendam illud respondit. In qua responsione advertendum est quod Christus solum facit mentionem permissionis concessae a Moyse dimittendi uxores, non permissionis *ex qualibet causa* dimittendi, quam quidem latissimam permissionem neque in verbis Moysis legere est (Th. XVI): non enim confundenda est sententia Moysis cum interpretatione, quam illi adhibebant quidam Iudaei

(1) Quantum sibi vindicet in hac re institutio *positiva* Dei declarabitur in seqq.

aetate Christi, neque ipsi Pharisaei obiicientes auctoritatem Moysis attulerunt in medium. Pharisaei scilicet audientes hominem non posse separare quod Deus coniunxit, satis sibi esse putarunt ad refellendum Christum, opponere illi mandatum Moysis, qui aliquam certe dissolutionem permisit aut, ut ipsi loquebantur, mandavit. Non est ergo in hac secunda interrogatione amplius quaestio de dimissione ex qualibet causa, sed simpliciter de dimissione seu libello repudii, quo coniugium solvitur: quod si aliquando licet, satis se refutasse Pharisaei putabant verba Christi praecedentia. Oppositio ergo instituta a Christo heic est inter permissionem factam a Moyse viris dimittendi uxorem, prout est simpliciter permissio, et primitivam institutionem. Non fuit igitur hoc modo institutum matrimonium, ut viro licentia daretur repudiandi uxorem suam, et per consequens neque uxori repudiandi virum. Quod certe saltem de repudio solvente vinculum intelligi debet, tum quia si de simplici divortio intelligatur, multo magis de illo est hoc ipso intelligendum, tum quia simplex divortium ex iusta causa licet in christiana oeconomia, in qua est revocata prorsus primitiva institutio, ideoque et tunc licebat; non ergo de solo divortio seu separatione accipi possunt verba Christi, quae universalia sunt. Porro quaestio a Pharisaeis proposita non erat de facto, sed de iure; cum ergo Christus ait *ab initio, cum masculum et feminam fecit Deus, non fuisse sic,* non loquitur de facto, quod neque locum habere poterat, sed de iure h. e. de permissione, quae facta tunc non fuit. Constat vero permissionem divinam necessariam fuisse Iudaeis, ut possent viri uxores repudiare; nam, auctore Christo, ex modo, quo Deus matrimonium instituit, consequens est ut homo non possit separare quae Deus coniunxit: nisi ergo ipse Deus permittat, dissolutio ab homine fieri nequit. Idque significavit quoque Christus, cum non aliam rationem dimissionis nisi permissionem Moysis protulit, qui in lege ferenda vices agebat Dei.

IV. Manifestum est *b*) ita Deum coniunxisse ab initio virum et mulierem, ut uterque potestate careret dissolvendi vinculi, ideoque nedum illicitum, sed invalidum foret repudium. Christus enim immediate ex ea institutione intulit: *quod ergo Deus coniunxit, homo non separet:* his autem verbis non sola prohibitio separationis continetur, sed nullitas actus eam tentantis. Nam non exhibetur tantum voluntas Dei legislatoris, quae violari potest, sed exhibetur voluntas Dei efficax, efficiens coniunctionem: *quod Deus coniunxit,* at effectum voluntatis divinae agentis nulla creatura irritum facere potest: ergo non solum illicite sed sine ullo effectu tentaret alteruter vinculum solvere coniugii. Et sane Christus revocans primam institutionem, et permissionem repudii abrogans, statuit verbis immediate sequentibus moechari eum qui dimissam ducit: manet ergo vinculum, sine quo nulla potest esse moechia. Certe, qui dimissam (etiam ob fornicationem) ducit, moechatur: ergo mulier adhuc est legi viri alligata: ergo et vir dimittens adhuc est ligatus legi uxoris: vinculum enim est mutuum. Igitur et ab initio moechatus fuisset qui dimissam duxisset, ergo tunc vinculum manebat; ideoque nulla potestas coniugibus erat dissolvendi vinculi.

Diximus iis verbis *quod ergo Deus coniunxit, homo non separet* Christum revocasse primam institutionem et abrogasse repudii permissionem. Nam verba sunt imperantis indissolubilitatem, sive prohibentis dissolutionem matrimonii auctoritate humana, ideoque prohibentis id quod Moyses permiserat; hoc vero imperium nectitur a Christo cum verbis Dei quibus prima institutio matrimonii continetur: revocatur ergo primitiva lex. Itaque ita ab initio institutum est a Deo matrimonium ut homo, sive vir sive mulier, non posset illud dissolvere: ut masculus et femina coniuncti a Deo semper coniuncti iidem exsisterent eorumque vinculum perpetuum maneret: ut permissio repudii non exsisteret, ut idcirco prohibitum esset a Deo et valore destitutum repudium, h. e. ablata prorsus potestas homini dissolvendi vinculi seu separandi quod Deus coniunxit. Iam vero huiusmodi institutio lex erat pro matrimoniis futuris: ad eam enim Christus provocat in quaestione: *utrum liceat* dimittere uxorem suam. Atqui lex lata ab initio generis humani valebat pro quolibet futuro matrimonio inter homines exstituro. «Quo manifeste patet (ait Pius VI epist. ad Episcopum Agriensem an. 1789) matrimonium vel in ipso statu naturae ac sane ante multo, quam ad proprie dicti sacramenti dignitatem eveheretur, sic divinitus institutum esse ut secum afferat perpetuum indissolubilemque nexum». Quamvis vero olim dispensatio ab hac lege per Moysem data fuerit Iudaeis, Christus sustulit hanc dispensationem tum cum aperte pronunciavit: *quod Deus coniunxit homo non separet,* atque cum se Moysi opponens, subdit ipsis Pharisaeis: *Dico autem vobis quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur, et qui dimissam duxerit, moechatur:* vel simplicius penes Marcum X. 11. 12. *Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam, et si uxor dimiserit virum suum et alii nupserit, moechatur:* tum tandem cum institutione christiana universam mosaicam institutionem abrogavit, praeter ea quae ad legem naturalem spectant, cuiusmodi certe non erat ea permissio, quae divinae institutioni adversabatur.

Ergo primo matrimonia fidelium, propter revocatam primitivam

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

legem a Christo, sunt intrinsece indissolubilia. Ergo pariter secundo matrimonia infidelium, quae illi priori legi subsunt, pro quibus nulla est lata unquam dispensatio, quibus nec indirecte prodesse potest permissio mosaica abrogata a Christo, sunt prorsus indissolubilia (cf. Th. XVII. n. V). Ita Trid. Conc. Decret. de Matrim. « Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit. Hoc nunc os de ossibus meis et caro de carne mea: quamobrem etc. »

THESIS XXIII.

Ratio quoque bene consulta ostendit quam bene tali indissolubilitate matrimonium sit instructum.

I. His expeditis restat ut ratione quoque demonstremus congruum fuisse ut hac intrinseca indissolubilitate firmaretur matrimonium. Ad quam demonstrationem viam muniemus nobis solutione praecipuarum difficultatum. Nec erit abs re primum seponere praeiudicium quoddam ex ipsa humana ratione desumptum. Scilicet dicere quis posset, si ratio humana potius plenam coniugii indissolubilitatem quam in certis casibus dissolubilitatem consulit, quid est quod hanc veritatem humana ratio sibi relicta nunquam percepit, cum leges omnes ex rationis moderamine tantum latae divortium sanciverint ipsaeque romanae leges, non solum imperantibus infidelibus sed maxime fidelibus ut Constantino, Iustiniano aliisque, idem probaverint?

Respondeo multipliciter. 1° Ratio sibi relicta haud raro illud non videt quod verum et bonum est ambituque eorum proprie continetur, quae ab ipsa ratione viribus suis utente suaque principia rite adhibente cognosci possent. Huius rei aetas antechristiana plura exempla suppeditat.

2°. Quoniam, ut iam diximus, sola ratio non demonstrat necessitatem plenae indissolubilitatis, ex alia vero parte affectus erga sensibilia bona generatim in hominibus dominatur praesertim infidelibus, qui divortia suadet; mirum foret si homines sola ratione duce in societate infideli divortia reiecissent.

3°. Ceterum principes quoque recte sentientes eo potuerunt adduci (ignorata opposita Dei lege) ut divortia probarent certis causis, nimirum ad vitanda maiora mala quae ob malitiam hominum obventura fuissent; sive aliis verbis ob duritiam cordis subditorum, quemadmodum permisit Moyses.

4°. Principes autem christiani vel pro infidelibus adhuc in suo

imperio degentibus ea iure sanxerunt, posse id se rati, vel praedecessorum suorum morem temere secuti non satis attenderunt quid res postularent, vel libidine capti legum ferendarum seseque immiscendi rebus ecclesiasticis consilium rationis audire nequiverunt.

II. Audiamus nunc argumenta adversariorum. Aiunt primo: adulterium coniugis adversatur omnibus bonis matrimonii, proli, quam facit incertam, fidei, quam violat, sacramento, cuius significationem laedit: cum ergo contraria contrariis destruantur, oportet adulterio solvi coniugium.

Respondeo 1°. Contraria proprie sunt quae ab eodem subiecto mutuo se expellunt, at adulterium non excludit ex se matrimonium, quod cum eo manet; nec id obiicientes contendunt, qui volunt solum fieri potestatem innocenti solvendi coniugii. Et sane absurdum est per violationem obligationis ab uno patratam solvi obligationem invito licet altero, quod tamen fieret si ex se adulterium dissolveret matrimonium. Itaque contrariatur adulterium matrimonio non prout est exclusio obligationis, sed prout est violatio eiusdem obligationis, quae cum illa violatione et post illam manere potest et debet.

Respondeo 2°. Adversatur quidem adulterium bonis matrimonii, sed non ita ut ea prorsus excludantur. Nam quoad bonum fidei et significationis, cum adulterium sit aliquid transiens, ea excludit actu, at manent ipsa habitu ceterisque in actibus adesse possunt. Quoad bonum prolis, ea quidem reddi potest incerta, sed et huic incertitudini obviari potest; nec ipsum impedit ut vera proles nutriatur et educetur, sed facit ut extranei quoque in familiam patris admittantur: quod non est contra bonum prolis nisi in accidentalibus, quoad bona nempe dividenda.

Ceterum 3° ex doctrina s. Thomae q. LIX. a. 3 ad 1^m facilius impeditur aliquid fiendum, quam destruatur quod rite factum est. Si enim aliquid factum est, ius aliquod novum ipsi proportionatum exsistit exigens eius conservationem, quod ius prius non erat; et tale esse potest hoc ius ex rei natura petitum ut praevaleat ceteris iuribus vel iuribus privatorum. Huiusmodi est porro ius indissolubilitatis intrinsecae matrimonii, cuius bonum praestat illi bono coniugis, qui vel ferre debet coniugem adulterum, vel sine usu matrimonii manere. Est enim indissolubilitas matrimonii in bonum commune, sive generis humani multiplicandi Deique cultorum gignendorum, non in bonum privatum contrahentium, nisi secundario et per accidens.

Aiunt rursus (q. LXVII. a. 1. ob. 4^a): ex matrimonio principaliter quaeritur bonum situm in prole. Sed inseparabilitas matrimonii est contra hoc bonum; quia aliquis vir non potest ex sua femina

legem a Christo, sunt intrinsece indissolubilia. Ergo pariter secundo matrimonia infidelium, quae illi priori legi subsunt, pro quibus nulla est lata unquam dispensatio, quibus nec indirecte prodesse potest permissio mosaica abrogata a Christo, sunt prorsus indissolubilia (cf. Th. XVII. n. V). Ita Trid. Conc. Decret. de Matrim. « Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit. Hoc nunc os de ossibus meis et caro de carne mea: quamobrem etc. »

THESIS XXIII.

Ratio quoque bene consulta ostendit quam bene tali indissolubilitate matrimonium sit instructum.

I. His expeditis restat ut ratione quoque demonstremus congruum fuisse ut hac intrinseca indissolubilitate firmaretur matrimonium. Ad quam demonstrationem viam muniemus nobis solutione praecipuarum difficultatum. Nec erit abs re primum seponere praeiudicium quoddam ex ipsa humana ratione desumptum. Scilicet dicere quis posset, si ratio humana potius plenam coniugii indissolubilitatem quam in certis casibus dissolubilitatem consulit, quid est quod hanc veritatem humana ratio sibi relicta nunquam percepit, cum leges omnes ex rationis moderamine tantum latae divortium sanciverint ipsaeque romanae leges, non solum imperantibus infidelibus sed maxime fidelibus ut Constantino, Iustiniano aliisque, idem probaverint?

Respondeo multipliciter. 1° Ratio sibi relicta haud raro illud non videt quod verum et bonum est ambituque eorum proprie continetur, quae ab ipsa ratione viribus suis utente suaque principia rite adhibente cognosci possent. Huius rei aetas antechristiana plura exempla suppeditat.

2°. Quoniam, ut iam diximus, sola ratio non demonstrat necessitatem plenae indissolubilitatis, ex alia vero parte affectus erga sensibilia bona generatim in hominibus dominatur praesertim infidelibus, qui divortia suadet; mirum foret si homines sola ratione duce in societate infideli divortia reiecissent.

3°. Ceterum principes quoque recte sentientes eo potuerunt adduci (ignorata opposita Dei lege) ut divortia probarent certis causis, nimirum ad vitanda maiora mala quae ob malitiam hominum obventura fuissent; sive aliis verbis ob duritiam cordis subditorum, quemadmodum permisit Moyses.

4°. Principes autem christiani vel pro infidelibus adhuc in suo

imperio degentibus ea iure sanxerunt, posse id se rati, vel praedecessorum suorum morem temere secuti non satis attenderunt quid res postularent, vel libidine capti legum ferendarum seseque immiscendi rebus ecclesiasticis consilium rationis audire nequiverunt.

II. Audiamus nunc argumenta adversariorum. Aiunt primo: adulterium coniugis adversatur omnibus bonis matrimonii, proli, quam facit incertam, fidei, quam violat, sacramento, cuius significationem laedit: cum ergo contraria contrariis destruantur, oportet adulterio solvi coniugium.

Respondeo 1°. Contraria proprie sunt quae ab eodem subiecto mutuo se expellunt, at adulterium non excludit ex se matrimonium, quod cum eo manet; nec id obiicientes contendunt, qui volunt solum fieri potestatem innocenti solvendi coniugii. Et sane absurdum est per violationem obligationis ab uno patratam solvi obligationem invito licet altero, quod tamen fieret si ex se adulterium dissolveret matrimonium. Itaque contrariatur adulterium matrimonio non prout est exclusio obligationis, sed prout est violatio eiusdem obligationis, quae cum illa violatione et post illam manere potest et debet.

Respondeo 2°. Adversatur quidem adulterium bonis matrimonii, sed non ita ut ea prorsus excludantur. Nam quoad bonum fidei et significationis, cum adulterium sit aliquid transiens, ea excludit actu, at manent ipsa habitu ceterisque in actibus adesse possunt. Quoad bonum prolis, ea quidem reddi potest incerta, sed et huic incertitudini obviari potest; nec ipsum impedit ut vera proles nutriatur et educetur, sed facit ut extranei quoque in familiam patris admittantur: quod non est contra bonum prolis nisi in accidentalibus, quoad bona nempe dividenda.

Ceterum 3° ex doctrina s. Thomae q. LIX. a. 3 ad 1^m facilius impeditur aliquid fiendum, quam destruatur quod rite factum est. Si enim aliquid factum est, ius aliquod novum ipsi proportionatum exsistit exigens eius conservationem, quod ius prius non erat; et tale esse potest hoc ius ex rei natura petitum ut praevaleat ceteris iuribus vel iuribus privatorum. Huiusmodi est porro ius indissolubilitatis intrinsecae matrimonii, cuius bonum praestat illi bono coniugis, qui vel ferre debet coniugem adulterum, vel sine usu matrimonii manere. Est enim indissolubilitas matrimonii in bonum commune, sive generis humani multiplicandi Deique cultorum gignendorum, non in bonum privatum contrahentium, nisi secundario et per accidens.

Aiunt rursus (q. LXVII. a. 1. ob. 4^a): ex matrimonio principaliter quaeritur bonum situm in prole. Sed inseparabilitas matrimonii est contra hoc bonum; quia aliquis vir non potest ex sua femina

prolem accipere, qui tamen ex alia accipere posset, et quae etiam ab alio viro foecundaretur. Ergo inseparabilitas matrimonii magis est contra legem naturae, quam de lege naturae. Respondeo 1) quod si sit impotentia coeundi antecedens, matrimonium nullum est; at hac seposita hypothesi, respondeo 2) cum s. Thoma (ibid.) « quod matrimonium ordinatur ad bonum commune ratione principalis finis, qui est bonum prolis; quamvis etiam ratione finis secundarii ordinetur ad bonum personae matrimonium contrahentis, prout per se est remedium concupiscentiae. Et ideo in legibus matrimonii magis attenditur quid omnibus expediat, quam quid uni competere possit. Quamvis ergo matrimonii inseparabilitas impediat bonum prolis in aliquo homine, tamen est conveniens ad bonum prolis simpliciter ». Scilicet per se et ratione habita ipsius procreationis prolis, indissolubilitas matrimonii conducit ad bonum prolis; per accidens, ratione huius vel alterius individui, non conducit. Sed et rursus discrimen est; nam ea conducit *positive* ab bonum prolis, quae exsistit: haec *negative* tantum non conducit, quatenus proles non gignitur, in quo nullum est malum.

Dices cum Kemnitio (cf. Bellarm. l. c. c. 17. ob. 1°) legem pontificiam, negantem coniugi innocenti in causa adulterii aliud coniugium, privare innocentem iure suo, absque sua culpa, contra regulas iuris.

Respondemus cum eodem Bellarmino legem hanc non esse Pontificiam, sed Christi: ac male allegari regulam iuris (in 6 de regulis iuris c. sine culpa). *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.* Sane heic causa subest: essentia enim matrimonii id exigit. Ceterum hoc malum non est poena; poena enim supponit culpam: nec privatur innocens iure suo; nam non habet ius aliam ducendi et potest adulterae reconciliari. Quod si ab hoc abhorret, subiicitur cuidam malo, cui per patientiam mederi potest. Id porro pluribus hominibus est in tot aliis rebus commune.

At inquies: nonne, si alter coniugum, converso amore in odium aut contemptum, inique erga alterum se gerat ut intollerabilis sit eius convictus, coniux innocens separatur ab impio separatione etiam perpetua? In hac vero hypothesi nonne foret magis conveniens tum tranquillitati innocentis coniugis tum scelesti castigationi potestatem facere innocenti aliud inire coniugium, soluto priore? Nonne illa separatio perpetua iam est solutio quaedam; vel ad quid conducit illud vinculum manens inter personas irreconciliabiles nisi ad infelicitatem innocentis et vix non certam eius damnationem aeternam?

Responsio. Ut huius similiumque argumentorum (multipliciter enim eadem difficultas proponi potest) vitium detegatur, perpendendum est in primis utrum id quod eorum auctores demonstrare intendunt sit illud quod eorum adversarii negant, quodque in quaestionem venit. Sane non est quaestio utrum positis illis conditionibus, quae in obiectione supponuntur, potuerit lege aliqua permitti dissolutio vinculi. Id adeo falsum est catholicos negare, ut e contrario plures ex illis doceant id concessum fuisse Iudaeis propter causas etiam minoris momenti, atque affirment lege naturae non omnem dissolubilitatem coniugii prohiberi. Frustra ergo rethoricaris quando producis tantum in medium quaedam bona, quae ex dissolutione orirentur, et quaedam mala quae ex indissolubilitate, legis que solius naturae vis rationem habere. Nam quaestio est 1) de matrimonio exigendo ad normam vel institutionis Christi, cuiusmodi est inter fideles, vel primitivae institutionis Dei, quae nunc valet pro omnibus hominibus (Th. praec.): quaestio est 2) nunc cum solam rationem consulimus, non utrum posita indissolubilitate, quibusdam bonis physicis privetur coniux innocens ac quibusdam malis etiam gravibus subiiciatur, sed quaestio est per se comparativa: utramne indissolubilitatem an dissolubilitatem comitetur maius bonum aut maius malum et idcirco utra sit melior dissolubilitasne an indissolubilitas, et quidem ratione habita non tantum boni personarum quae uniuntur, sed universalis boni finisque proprii matrimonii: vel est quaestio absoluta sub hoc respectu, utrum nempe aliquod morale malum ex indissolubilitate gignatur. Neque enim nos volumus ex sola ratione demonstrare necessitatem indissolubilitatis in quavis hypothesi, sed demonstrare intendimus fuisse ipsi naturae, societati humanae coniugiique dignitati magis convenientem legem Dei, quae indissolubilitatem sancivit.

Sic definito puncto quaestionis, iam argumentorum contrariorum efficacia minui incipit et propemodum evanescere. Ibi ratio non habetur nisi boni personalis alterutrius vel etiam utriusque coniugis et potissimum boni sensibilis ac mundani; nam quod subiicitur de periculo damnationis aeternae, id ad fucum faciendum producitur: homini enim, qui velit secundum rationem vivere, divinis auxiliis, quae deesse nequeunt, adiuto non solum facilis erit evasio ab aeterna morte, sed certior evadet per exercitium virtutis consecutio salutis.

Iam vero mala quaelibet physica, quae indissolubilitatem consequi possunt, vel ex culpa sua coniux patitur, vel sine culpa. Si ex culpa sua, ea sibi non legi Dei imputet eademque in expiationem sui criminis ferat. Si autem citra suam culpam patitur, 1° hoc est malum tantum personale: 2° est malum, quod alio bono personali, cuiusmodi est exercitium virtutis, compensari abunde et superari potest: 3° est malum, quod desinere potest procurata serio, ope vir-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tutis, reconciliatione. Ridebis forte audiens mentionem fieri virtutis in re, quae ob voluptatem suscipitur. At si in matrimonio, quae est res maxime moralis, habes tantum prae oculis sensum, libere affirmamus te prorsus ineptum esse ad iudicium ferendum in hac quaestione. Quo autem pacto locuti sumus de malo consequente indissolubilitatem, eodem et de bono quod coniuges ex dissolutione sperare sibi possent, loquendum est.

E contrario mala, quae ex dissolubilitate intrinseca, vel ex dissolubilitate saltem extrinseca matrimonii christiani consummati orirentur, ipsi naturae aut sanctitati matrimonii plus minus officiunt: bonumque publicum et sociale, quod matrimonium natum est gignere, plus minus pessumdant. Id, ne bis eadem dicamus, declaraturi sumus in parte sequente, ad quam antequam gradum faciamus, aliud praestat audire adversariorum argumentum.

Aiunt firmitatem vinculi contracti pendere tanquam a causa a libero consensu contrahentium, qui sibi libere hanc vinculi obligationem imponunt: atqui causa, quae aliquid facit, ipsa eadem potest illud destruere: ergo in natura matrimonii situm est ut non tantum pro causa adulterii sed et pro qualibet alia causa sit intrinsece dissolubile, ut idcirco intrinseca eius indissolubilitas sit prorsus contra ius naturae.

Respondeo. In hoc argumento quiddam primo supponitur quod per se valeret in omnibus obligationibus libere ab initio susceptis: nimirum quod causa obligationis huiusmodi sit ipse liber consensus eius, qui obligatur. Hoc autem secundum quid verum est, sed simpliciter falsum. Cum aliquid e. g. Deo voves, libere quidem voves, sed obligatio servandi quod promissum Deo est, oritur ex essentiis rerum sive ex relatione inter essentiam promissionis et essentiam Dei cui promissum est, quam relationem praeterea ius naturae et lex positiva Dei vult custodiri. In arbitrio idcirco hominis est ponere fundamentum huius relationis, quo fundamento posito ea resultat, at non est situm in hominis potestate impedire ne exsistat ea relatio, sicut non est in eius potestate mutare essentias rerum: neque ab hominis voluntate pendet quod sit lex naturalis aut positiva Dei praecipiens servari talem relationem. Profecto si essentiae rerum per se nihil exigerent, si nulla esset antecedenter ad actum tuum lex, quae praeciperet quid positis certis conditionibus necesse sit facere omniaque e solo libero consensu hominis penderent, nulla reapse foret obligatio. Etenim eo ipso maneret semper ius agendi contra id in quod consensimus; consensus enim sequens in oppositum eandem vim haberet ac consensus prior: cum ergo semper maneret potestas hunc alterum oppositum consensum ponendi, nulla

unquam foret obligatio. Quae est enim obligatio, cui statim et quotiescumque velis contradicere potes eodem iure, quo imposita est? Ex quo liquet causam obligationis extra eum, qui obligatur, quaerendam esse. Non tamen eodem modo obligationes omnes exsistunt. Quaedam enim te ligant praecisione facta a quovis actu tuo libero, ut eas subeas, velis nolis: aliae, ut sint, requirunt aliquem tuum actum liberum, quo sponte te subiicis legi, quae quidem independenter a tua voluntate statuit, ut si ille actus ponatur, ea obligatio exsistat.

Itaque eatenus verum est eum, qui libere huiusmodi obligationes suscipit, causam sibi esse suae obligationis, quatenus est causa actus, qui est conditio necessaria ut obligatio exsistat. At id, quod obligationem proprie gignit, non est actus hominis, quo ea libere suscipitur et quo proinde iam supponitur lex eam inducens, dummodo aliquid fiat; sed est ipsa lex, quae relationes essentiarum custodiri iubet.

His positis facilis est solutio argumenti propositi. Consensus utriusque requiritur ut potestas et obligatio mutua (in qua situm est vinculum matrimonii Th. I) exsistat: sed 1° essentia huius mutuae potestatis et obligationis ab arbitrio hominis non pendet: idcirco 2° firmitas et immutabilitas huius obligationis, quam vel ipsa rei natura requirit, vel natura suadente lex divina statuit, nec ab arbitrio hominis pendet nec a libero consensu tanquam a causa procedit, sed solum per liberum consensum a contrahentibus libere suscipitur et suscipienda est ne nihil fiat.

III. Ut autem directa demonstratio afferatur, statuendum est in primis matrimonium haud esse recensendum simpliciter inter contractus. Licet enim contractus dicatur eo quod libero consensu duorum initur et ex utraque parte aliquid datur et acceptatur, tamen essentia ipsius excedit omnem contractus rationem altiorique in ordine collocatur. Nam 1° in matrimonio datur id, in quod dantes seorsim ius non habent; liber proinde contrahentium consensus eo tantum spectat ut haec unio exsistat, alterque alterum ut suum cognoscat. 2° In matrimonio praeterea non rerum tantum aut actionum communicatio fit, in quas ius dominii aut proprietatis exsistat, sed personarum coniunctio fit in unitatem animorum et unitatem principii generativi atque educativi prolis, cuius unitatis elementa nulli iuri humano dominii aut proprietatis subsunt. 3° Matrimonium est per se institutio naturae auctorisve naturae duplicem sexum distinguentis et ordinantis alterum ad alterum, idemque praevertit omnem aliam humanam societatem, fons imo exsistens physice et moraliter societatis civilis: quod autem est huiusmodi, nequit vim

suam mutuari ab hominis voluntate vel lege sociali cuiusmodi sunt omnes contractus. Quocirca matrimonium institutum a natura auctoreve naturae, est status naturalis non solum ad physicum sed ad moralem ordinem spectans, propagando humano generi a Deo accomodatus. Haec quidem animadversio satis est ad excipiendum contra eos, qui vellent de matrimonio non secus ac de contractu quodam disserere, eique contractus proprietates asserere, inter quas est dissolubilitas.

IV. Hac igitur imaginatione exclusa, audiamus quid ratio doceat in nostra quaestione. Non quaeritur an essentialis sit matrimonio perpetua indissolubilitas; de hac re iam locuti sumus in Th. XVIII, nec de qualibet indissolubilitate quaestio est, sed de intrinseca, qua nempe ab arbitrio coniugum subtrahitur dissolubilitas: quaeritur autem an merito statuerit Deus hanc intrinsecam indissolubilitatem quolibet in casu etiam adulterii alterius coniugis, rixarum, odii, inimicitiae mutuae, ita ut eos separari oporteat. Hoc quidem merito statuisse Deus dicendus est, si magis conveniens fuit intrinseca indissolubilitas etiam in his casibus quam permissio in certis casibus intrinsecae dissolubilitatis. Atqui ratio persuadet convenientius illud fuisse. Nam 1° ex duobus illud certe per se convenientius est quod cum essentia matrimonii magis cohaeret; atqui evidens est cum essentia matrimonii, quod est per se aliquid stabile et perseverans, quod non est simpliciter contractus quidam (n. III) sed institutio naturae, cuius quidem terminus est unitas duorum, magis cohaerere totalem intrinsecam indissolubilitatem quam partialem: 2° habita etiam ratione eorum quae matrimonio accidunt, convenientius illud est, ex quo minora mala, quam illud ex quo maiora consequuntur: atqui maius malum sequeretur ex intrinseca dissolubilitate in certis casibus puta adulterii coniugis, quam ex eiusdem totali intrinseca indissolubilitate. Nam ex indissolubilitate hac non sequitur directe nisi malum privatum coniugis, ex dissolubilitate vero sequeretur directe malum publicum et sociale. Et primo si agitur de matrimonio christiano consummato violaretur dignitas sacramenti sita in significatione indissolubilis unionis Christi cum Ecclesia. Hoc malum publicum est et sociale, quemadmodum sacramenta sunt bonum publicum et sociale, atque est malum divinae ordinationi directe oppositum, quae hanc significationem annexuit matrimonio. Praecisione etiam facta ab hac dignitate sacramenti, si in certis casibus dissolutio coniugii coniugibus permitteretur, plura alia mala socialia consequerentur. Praecipua haec sunt: imminutio reverentiae debitae matrimonio et moralis unionis coniugum; cum illud ex parte subiiceretur hominum arbitrio et ad contractuum conditionem redigeretur, quo nihil indecens magis matrimonio: exinde continua incertitudo vinculi maritalis pendens ex semper mutabili hominis voluntate, quae incertitudo ab ipso initio unionis exsistens per se unitati morali coniugum non parum obesset. Deinde sequeretur lamentabilis filiorum conditio, qui familiam suam amitterent seu non amplius eos, a quibus geniti sunt, licet viventes adhuc tanquam stipites suae familiae recognoscerent, cum familiam illi non amplius constituerent utpote soluto vinculo matrimonii: distractio cognationum seu affinitatum, quas matrimonium parit, quas soluto matrimonio consummato non perseverare indecorum foret, perseverare autem soluto matrimonio ob nimiam eorum frequentiam esset societati molestum. Audi praeterea Ambrosium compellantem virum, qui uxorem eiiciat (in Luc. VIII. 4). « Quo cum parvulis feta dimittitur? quo titubanti vestigio grandaeva detruditur? Durus, si excludas parentem, pignora teneas, ut ad contumeliam caritatis addas etiam pietatis iniuriam: durus si propter matrem etiam filios simul pellas; cum magis redimere a patre liberi debeant culpam parentis. Quam periculosum, si fragilem adolescentulae aetatem errori offeras! quam impium, si eius destituas senectutem, cuius defloraveris iuventutem! Ergo inhonoratis stipendiis et veteranum imperator dimittat inglorium atque imperii sui possessione detrudat et rusticum laboris sui effoetum agro suo propulset agricola? An quod in subditos nefas est, in comparem fas est? » Haec atque similia, licet quaedam ex his sint huiusmodi mala, quae ob praestantius aliquod bonum permitti possunt, sunt tamen omnia graviora quam malum quod innocens coniux ex iniuria alterius coniugis pati cogitur: ergo. « Quanti materiam mali (ait in cit. Encycl. s. Pater) in se divortia contineant, vix attinet dicere. Eorum enim causa fiunt maritalia foedera mutabilia, extenuatur mutua benevolentia, infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur, tuitioni atque institutioni liberorum nocetur, dissuendis societatibus domesticis praebetur occasio, discordiarum inter familias semina sparguntur, minuitur ac deprimitur dignitas mulierum, quae in periculum veniunt ne, cum libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur. Et quoniam ad perdendas familias frangendasque regnorum opes nihil tam valet quam corruptela morum, facile perspicitur prosperitati familiarum ac civitatum maxime inimica esse divortia, quae a depravatis populorum moribus nascuntur ac, teste rerum usu, ad vitiosiores vitae privatae et publicae consuetudines aditum ianuamque patefaciunt. Multoque esse graviora haec mala constabit, si consideretur frenos nullos futuros tantos, qui concessam semel divortiorum facultatem valeant intra certos ac ante provisos limites coercere ».

Ex his igitur patet rationi apprime conformem esse coniugii intrinsecam indissolubilitatem. Cf. praeterea quae dicemus in fine Th. XXV et subseq.

THESIS XXIV.

Quod spectat ad extrinsecam dissolubilitatem vel indissolubilitatem docemus primo matrimonium ratum et consummatum neque extrinsece dissolvi posse.

I. Nunc de dissolubilitate vel indissolubilitate extrinseca. Dissolubilitas extrinseca est dissolubilitas matrimonii ex potestate superioris: porro superior matrimonio sive coniugibus primo Deus est qui matrimonium instituit, coniungitque coniuges. Potest autem Deus potestatem suam alii vices suas gerenti communicare. Porro cum quaeritur utrum matrimonium sit extrinsece dissolubile, non habetur tantum ratio huius potestatis exsistentis in Deo, sive non quaeritur utrum possit illud a Deo dissolvi; de hoc enim ambigendum non est: sed habetur ratio exercitii huius potestatis divinae et communicationis eiusdem factae alicui, seu quaeritur utrum in aliquo casu Deus dissolvat matrimonium et utrum communicaverit alicui homini potestatem dissolvendi vinculum coniugale. Quaestionem ita proponimus revocantes omnia ad potestatem Dei se exercentem vel se communicantem, quia quaecumque potestas aliis asseratur, ea nequit esse nisi ex positiva concessione Dei. Cum enim lege institutionis, quae non solum naturalis, sed et positiva est, quaeque valet pro quocumque matrimonio naturali, et lege christiana, quae valet pro quovis matrimonio sacramento, Deus sanxerit, ut matrimonium sit indissolubile, edixeritque universim: *quod Deus coniunxit, homo non separet*, et nihil possit inferior contra legem superioris, nullus homo posset dissolvere vinculum, nisi divina potestate fretus esset. Et sane nullam esse potestatem *humanam*, quae valeat dirimere vinculum, patet ex iis verbis Christi: *quod Deus coniunxit homo, non separet*, in quibus homo Deo opponitur, excluditur ergo homo qui auctoritate sua non Dei agat: haec porro verba universalia sunt, excluduntque a potestate divortii totalis faciendi non solos coniuges sed quemcumque hominem; iis autem verbis Christus primam institutionem expressit, eam enim sententiam collegit ex prima institutione. Tum constat ex aliis Christi verbis vim legis profecto habentibus: *Omnis qui dimiserit uxorem suam et aliam duxerit moechatur, et qui dimissam duxerit, moechatur*: quibus in verbis potest quidem iure subintelligi exceptio: *nisi Deus legislator aliter*

in certis casibus permiserit, quae exceptio intrinsece cohaeret cum ipsa potestate ferendi legem, sed non licet alias exceptiones apponere; secus enim falsa evaderent verba Christi, sententia enim Christi est: *Omnis qui dimiserit, etc. nisi ego dispensem, est moechus*, at falsum hoc foret si citra Dei dispensationem valide, dimissa priore uxore, alia duceretur. Ergo. Supponendum est autem modo quod suo loco demonstrabimus, auctoritati civili nullam potestatem competere in matrimonium christianum.

Ita ergo proposita quaestione dicimus 1) matrimonium christianum consummatum nedum intrinsece, ut hactenus probatum est, sed et extrinsece indissolubile esse. Huius rei potest quaeri ratio demonstrans ita esse, et ratio cur ita sit. Rem ita esse facile probatur. Si extrinsece dissolvi posset matrimonium christianum consummatum, Ecclesia profecto sciret vel Deum certis in casibus illud dissolvere, vel se habere a Deo potestatem ipsum dissolvendi, vel saltem non negaret se hanc potestatem habere; atqui Ecclesia utrumque ignorat, imo negat, negans simpliciter posse unquam quavis ex causa dissolvi matrimonium christianum consummatum, vel se habere potestatem illud dissolvendi. Cf. *cc. Verum et Ex publico, De Convers. Coniugatorum*: ergo.

Quaenam autem sit ratio huius omnimodae indissolubilitatis disputant Theologi (cf. Sanchez L. II. D. 13. Bellarmin. c. 4). Et quidem certum est quod quatenus extrinsece quoque indissolubile est, ratio ultima est quia Deus ita voluit: sed quaeritur ratio, cur Deus ita voluerit, quae ratio est congruentiae. Dicimus ergo quod talis ratio adaequata huius rei nequit peti a iure naturae, nam ius naturae non prohibet omnem dissolubilitatem et divortium, ut vidimus; et praeterea si ius naturae esset ratio, non dissolveretur aliquando matrimonium consummatum infidelium, quod tamen fit. Neque potest peti ea ratio ex dignitate sacramenti, si tantum spectetur id quod est sacramento essentiale; nam et matrimonium ratum est sacramentum, non secus ac consummatum, et tamen, ut dicemus, dissolvi potest. Neque est hac in re audiendus Hincmarus Rhemensis, qui in epistola 22. de nuptiis incestuosis cuiusdam Stephani, enarrans verba Leonis ad Episcopum Narbonensem, adhibita quoque auctoritate Augustini, negat nuptias habere in se Christi et Ecclesiae sacramentum, si eas non subsequitur commixtio sexuum, negat pariter illam mulierem pertinere ad matrimonium, cum qua docetur non fuisse commixtio sexuum, quemadmodum, ait, dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium. Quod profecto non bene probat verbis allatis Leonis aientis: « cum societas nuptiarum ita ab initio con-

Ex his igitur patet rationi apprime conformem esse coniugii intrinsecam indissolubilitatem. Cf. praeterea quae dicemus in fine Th. XXV et subseq.

THESIS XXIV.

Quod spectat ad extrinsecam dissolubilitatem vel indissolubilitatem docemus primo matrimonium ratum et consummatum neque extrinsece dissolvi posse.

I. Nunc de dissolubilitate vel indissolubilitate extrinseca. Dissolubilitas extrinseca est dissolubilitas matrimonii ex potestate superioris: porro superior matrimonio sive coniugibus primo Deus est qui matrimonium instituit, coniungitque coniuges. Potest autem Deus potestatem suam alii vices suas gerenti communicare. Porro cum quaeritur utrum matrimonium sit extrinsece dissolubile, non habetur tantum ratio huius potestatis exsistentis in Deo, sive non quaeritur utrum possit illud a Deo dissolvi; de hoc enim ambigendum non est: sed habetur ratio exercitii huius potestatis divinae et communicationis eiusdem factae alicui, seu quaeritur utrum in aliquo casu Deus dissolvat matrimonium et utrum communicaverit alicui homini potestatem dissolvendi vinculum coniugale. Quaestionem ita proponimus revocantes omnia ad potestatem Dei se exercentem vel se communicantem, quia quaecumque potestas aliis asseratur, ea nequit esse nisi ex positiva concessione Dei. Cum enim lege institutionis, quae non solum naturalis, sed et positiva est, quaeque valet pro quocumque matrimonio naturali, et lege christiana, quae valet pro quovis matrimonio sacramento, Deus sanxerit, ut matrimonium sit indissolubile, edixeritque universim: *quod Deus coniunxit, homo non separet*, et nihil possit inferior contra legem superioris, nullus homo posset dissolvere vinculum, nisi divina potestate fretus esset. Et sane nullam esse potestatem *humanam*, quae valeat dirimere vinculum, patet ex iis verbis Christi: *quod Deus coniunxit homo, non separet*, in quibus homo Deo opponitur, excluditur ergo homo qui auctoritate sua non Dei agat: haec porro verba universalia sunt, excluduntque a potestate divortii totalis faciendi non solos coniuges sed quemcumque hominem; iis autem verbis Christus primam institutionem expressit, eam enim sententiam collegit ex prima institutione. Tum constat ex aliis Christi verbis vim legis profecto habentibus: *Omnis qui dimiserit uxorem suam et aliam duxerit moechatur, et qui dimissam duxerit, moechatur*: quibus in verbis potest quidem iure subintelligi exceptio: *nisi Deus legislator aliter*

in certis casibus permiserit, quae exceptio intrinsece cohaeret cum ipsa potestate ferendi legem, sed non licet alias exceptiones apponere; secus enim falsa evaderent verba Christi, sententia enim Christi est: *Omnis qui dimiserit, etc. nisi ego dispensem, est moechus*, at falsum hoc foret si citra Dei dispensationem valide, dimissa priore uxore, alia duceretur. Ergo. Supponendum est autem modo quod suo loco demonstrabimus, auctoritati civili nullam potestatem competere in matrimonium christianum.

Ita ergo proposita quaestione dicimus 1) matrimonium christianum consummatum nedum intrinsece, ut hactenus probatum est, sed et extrinsece indissolubile esse. Huius rei potest quaeri ratio demonstrans ita esse, et ratio cur ita sit. Rem ita esse facile probatur. Si extrinsece dissolvi posset matrimonium christianum consummatum, Ecclesia profecto sciret vel Deum certis in casibus illud dissolvere, vel se habere a Deo potestatem ipsum dissolvendi, vel saltem non negaret se hanc potestatem habere; atqui Ecclesia utrumque ignorat, imo negat, negans simpliciter posse unquam quavis ex causa dissolvi matrimonium christianum consummatum, vel se habere potestatem illud dissolvendi. Cf. *cc. Verum et Ex publico, De Convers. Coniugatorum*: ergo.

Quaenam autem sit ratio huius omnimodae indissolubilitatis disputant Theologi (cf. Sanchez L. II. D. 13. Bellarmin. c. 4). Et quidem certum est quod quatenus extrinsece quoque indissolubile est, ratio ultima est quia Deus ita voluit: sed quaeritur ratio, cur Deus ita voluerit, quae ratio est congruentiae. Dicimus ergo quod talis ratio adaequata huius rei nequit peti a iure naturae, nam ius naturae non prohibet omnem dissolubilitatem et divortium, ut vidimus; et praeterea si ius naturae esset ratio, non dissolveretur aliquando matrimonium consummatum infidelium, quod tamen fit. Neque potest peti ea ratio ex dignitate sacramenti, si tantum spectetur id quod est sacramento essentiale; nam et matrimonium ratum est sacramentum, non secus ac consummatum, et tamen, ut dicemus, dissolvi potest. Neque est hac in re audiendus Hincmarus Rhemensis, qui in epistola 22. de nuptiis incestuosis cuiusdam Stephani, enarrans verba Leonis ad Episcopum Narbonensem, adhibita quoque auctoritate Augustini, negat nuptias habere in se Christi et Ecclesiae sacramentum, si eas non subsequitur commixtio sexuum, negat pariter illam mulierem pertinere ad matrimonium, cum qua docetur non fuisse commixtio sexuum, quemadmodum, ait, dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium. Quod profecto non bene probat verbis allatis Leonis aientis: « cum societas nuptiarum ita ab initio con-

stituta sit ut praeter sexuum coniunctionem haberet in se Christi et Ecclesiae sacramentum ». Nam ex his potius patet a Leone sacramentum Christi et Ecclesiae distingui a coniunctione sexuum. Et sane sacramentum hoc sive id quod Christi et Ecclesiae unionem repraesentat, situm est in unione indissolubili unius cum una atque idcirco unione inter ingenuas et aequales, eo quod haec sola unio a Leone haberetur ut indissolubilis vereque coniugalis. De commixtione autem sexuum sollicitus non est Leo, quae et extra nuptias habet locum. Cf. quae ad ea verba Leonis dicemus in Appendice.

Restat ergo ut ratio huius omnimodae indissolubilitatis sit dignitas quidem sacramenti sed ut ita dicam, integre spectata, nempe coniuncta cum significatione unionis indissolubilis Christi cum Ecclesia per carnem assumptam. Quod sit dignitas sacramenti, patet, quia ideo matrimonium infidelium dissolvi potest, quia non est ratum *(c. Quanto de Divortiis;)*: quod autem ea sola non sufficiat, iam probavimus. Ut ergo intelligatur alterum elementum, quod superaddimus, advertendum est 1) consummationem matrimonii non quidem ad essentiam, sed ad integritatem eiusdem spectare, quae integritas attenditur non secundum perfectionem primam quae consistit in ipso esse rei, sed secundum perfectionem secundam, quae consistit in operatione (1ª p. q. LXXIII. a. 1): 2) Matrimonium sacramentum illudque consummatum significare complete in actu secundo unionem Christi cum Ecclesia per carnem assumptam; fiunt enim vir et mulier actualiter una caro per actum coniugalem: matrimonium vero sacramentum quidem, sed non consummatum, significare eandem unionem in actu primo, vir enim et mulier habent potestatem actus coniugalis. Solet quidem dici matrimonium ratum significare unionem Dei cum anima per gratiam, consummatum vero unionem Christi cum Ecclesia per carnem assumptam: et idcirco illud dissolubile esse, sicut dissolvi potest unio Dei cum anima, non autem istud propter contrariam rationem. At quamvis reprobare nobis non liceat hanc declarationem, licet tamen eam interpretari. Censemus scilicet hanc doctrinam potius quam rationem dissolubilitatis vel indissolubilitatis coniugii, esse explicationem excogitatam, supposita iam aliunde nota dissolubilitate matrimonii rati, ut quodam nempe exemplo res declararetur. Nam si reapse id tantum significat matrimonium ratum, cur non potest pluribus aliis causis solvi et quidem etiam privata coniugum potestate, sicut unio animae cum Deo? Ceterum Paulus de omni matrimonio christiano affirmat, quod significet unionem Christi cum Ecclesia. Discrimen erit ergo in modo repraesentandi, sed res repraesentata eadem est. Porro quoniam indissolubilitas matrimonii potissimum pendet ex re significata, oportebat ut illud matrimonium esset prorsus indissolubile etiam extrinsece, quod perfecto modo repraesentat unionem indissolubilem Christi cum Ecclesia per carnem assumptam. Tale autem est matrimonium sacramentum consummatum. Ratione ergo rei significandae cum aliquod matrimonium indissolubile prorsus esse oporteret, sicut indissolubilis est prorsus unio Christi cum Ecclesia, tale est matrimonium christianum consummatum, quoad ad eam rem significandam aptissime conducit (cf. *c. Debitum De Bigamis,* et s. Thomam q. LXI. a. 2. ad 1ª).

THESIS XXV.

Matrimonium ratum solvitur extrinsece per professionem religiosam, tum solvi potest auctoritate Rom. Pontificis.

I. Matrimonii rati vinculum dissolvi potest et dissolvitur primo per professionem religiosam, qua ipso iure matrimonium procedens ratum dirimitur. Nec enim est in potestate coniugis professione facta solvere vel servare vinculum coniugale, sed in potestate eius est ponere id quo, tanquam conditione posita, iure divino matrimonium dirimitur. Ita creditum esse in Ecclesia a pluribus seculis quod per professionem religiosam matrimonium ratum solvatur, patet ex consensu Theologorum (cf. s. Thom. q. LXI. a. 2), ex dispositione Iuris Canonici *c. verum De Convers. coniug.* ex decreto Conc. Trid. De Matrim. cn. 6. « Si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum, per sollemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi: A. S. ». Ante aetatem quoque scholasticam id creditum et in praxim deductum esse liquet tum ex testificatione Innocentii III, qui *c. Ex parte eod. tit.* idem statuit nolens « a praedecessorum suorum vestigiis declinare, qui respondere consulti etc. » ex quo liquet non unicum fuisse Alexandrum III qui id docuit: tum ex testificatione eiusdem Alexandri III, in *d. c. Verum,* « sicut quidam sancti de nuptiis vocati fuerunt »: tum ex historia, quae nonnulla exempla hac in re suppeditat. Et quidem certum ex sec. VII huius rei testimonium exhibet Beda Hist. Angl. L. IV. c. 19 collato Thoma Eliensi apud Whartonum in Anglia sacra p. 1ª. Scribit enim ille Aedilthrydam coniugem regis Ecgfridi nunquam potuisse adduci ut coniugio regis uteretur, ac tandem ingressam esse monasterium. Iste vero addit quod cum frustra Rex adnisus fuisset recuperare Aedilthrydam seu, ut eam ipse vocat, Etheldredam, sibi copulavit matrimonio Ermembergen. S. Gregorius M. Dialogg. L. III. c. 14 refert virginem Gregoriam « dum adolescentiae suae tempore con-

stituta sit ut praeter sexuum coniunctionem haberet in se Christi et Ecclesiae sacramentum ». Nam ex his potius patet a Leone sacramentum Christi et Ecclesiae distingui a coniunctione sexuum. Et sane sacramentum hoc sive id quod Christi et Ecclesiae unionem repraesentat, situm est in unione indissolubili unius cum una atque idcirco unione inter ingenuas et aequales, eo quod haec sola unio a Leone haberetur ut indissolubilis vereque coniugalis. De commixtione autem sexuum sollicitus non est Leo, quae et extra nuptias habet locum. Cf. quae ad ea verba Leonis dicemus in Appendice.

Restat ergo ut ratio huius omnimodae indissolubilitatis sit dignitas quidem sacramenti sed ut ita dicam, integre spectata, nempe coniuncta cum significatione unionis indissolubilis Christi cum Ecclesia per carnem assumptam. Quod sit dignitas sacramenti, patet, quia ideo matrimonium infidelium dissolvi potest, quia non est ratum *(c. Quanto de Divortiis;)*: quod autem ea sola non sufficiat, iam probavimus. Ut ergo intelligatur alterum elementum, quod superaddimus, advertendum est 1) consummationem matrimonii non quidem ad essentiam, sed ad integritatem eiusdem spectare, quae integritas attenditur non secundum perfectionem primam quae consistit in ipso esse rei, sed secundum perfectionem secundam, quae consistit in operatione (1ª p. q. LXXIII. a. 1): 2) Matrimonium sacramentum illudque consummatum significare complete in actu secundo unionem Christi cum Ecclesia per carnem assumptam; fiunt enim vir et mulier actualiter una caro per actum coniugalem: matrimonium vero sacramentum quidem, sed non consummatum, significare eandem unionem in actu primo, vir enim et mulier habent potestatem actus coniugalis. Solet quidem dici matrimonium ratum significare unionem Dei cum anima per gratiam, consummatum vero unionem Christi cum Ecclesia per carnem assumptam: et idcirco illud dissolubile esse, sicut dissolvi potest unio Dei cum anima, non autem istud propter contrariam rationem. At quamvis reprobare nobis non liceat hanc declarationem, licet tamen eam interpretari. Censemus scilicet hanc doctrinam potius quam rationem dissolubilitatis vel indissolubilitatis coniugii, esse explicationem excogitatam, supposita iam aliunde nota dissolubilitate matrimonii rati, ut quodam nempe exemplo res declararetur. Nam si reapse id tantum significat matrimonium ratum, cur non potest pluribus aliis causis solvi et quidem etiam privata coniugum potestate, sicut unio animae cum Deo? Ceterum Paulus de omni matrimonio christiano affirmat, quod significet unionem Christi cum Ecclesia. Discrimen erit ergo in modo repraesentandi, sed res repraesentata eadem est. Porro quoniam indissolubilitas matrimonii potissimum pendet ex re significata, oportebat ut illud matrimonium esset prorsus indissolubile etiam extrinsece, quod perfecto modo repraesentat unionem indissolubilem Christi cum Ecclesia per carnem assumptam. Tale autem est matrimonium sacramentum consummatum. Ratione ergo rei significandae cum aliquod matrimonium indissolubile prorsus esse oporteret, sicut indissolubilis est prorsus unio Christi cum Ecclesia, tale est matrimonium christianum consummatum, quoad ad eam rem significandam aptissime conducit (cf. *c. Debitum De Bigamis,* et s. Thomam q. LXI. a. 2. ad 1ª).

THESIS XXV.

Matrimonium ratum solvitur extrinsece per professionem religiosam, tum solvi potest auctoritate Rom. Pontificis.

I. Matrimonii rati vinculum dissolvi potest et dissolvitur primo per professionem religiosam, qua ipso iure matrimonium procedens ratum dirimitur. Nec enim est in potestate coniugis professione facta solvere vel servare vinculum coniugale, sed in potestate eius est ponere id quo, tanquam conditione posita, iure divino matrimonium dirimitur. Ita creditum esse in Ecclesia a pluribus seculis quod per professionem religiosam matrimonium ratum solvatur, patet ex consensu Theologorum (cf. s. Thom. q. LXI. a. 2), ex dispositione Iuris Canonici *c. verum De Convers. coniug.* ex decreto Conc. Trid. De Matrim. cn. 6. « Si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum, per sollemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi: A. S. ». Ante aetatem quoque scholasticam id creditum et in praxim deductum esse liquet tum ex testificatione Innocentii III, qui *c. Ex parte eod. tit.* idem statuit nolens « a praedecessorum suorum vestigiis declinare, qui respondere consulti etc. » ex quo liquet non unicum fuisse Alexandrum III qui id docuit: tum ex testificatione eiusdem Alexandri III, in *d. c. Verum,* « sicut quidam sancti de nuptiis vocati fuerunt »: tum ex historia, quae nonnulla exempla hac in re suppeditat. Et quidem certum ex sec. VII huius rei testimonium exhibet Beda Hist. Angl. L. IV. c. 19 collato Thoma Eliensi apud Whartonum in Anglia sacra p. 1ª. Scribit enim ille Aedilthrydam coniugem regis Ecgfridi nunquam potuisse adduci ut coniugio regis uteretur, ac tandem ingressam esse monasterium. Iste vero addit quod cum frustra Rex adnisus fuisset recuperare Aedilthrydam seu, ut eam ipse vocat, Etheldredam, sibi copulavit matrimonio Ermembergen. S. Gregorius M. Dialogg. L. III. c. 14 refert virginem Gregoriam « dum adolescentiae suae tempore con-

stitutis iam nuptiis in Ecclesiam fugisset et sanctimonialis vitae conversationem quaereret,... sponsum meruisse habere in caelis, quae sponsum fugit in terra ». De alia prius desponsata postea conversa loquitur idem epist. 23. L. VII. Et Gregorius Turonensis de vitis Patrum c. ult. refert Leobardum rupto foedere nuptiali, quod contraxerat cum honesta puella, monachum esse factum in maiore monasterio Turonensi. Affertur praeterea et exemplum s. Alexii ex seculo IV, qui nuptiis celebratis sponsam reliquit Deo tantum victurus; cuius tamen historia aliquibus incerta est (cf. Tillemont H. E. Tom. 10 in notis ad vitam s. Innocentii n. 8). Affertur quoque ex sec. III s. Caecilia, quae nuptiis factis noluit Valeriano sui copiam facere ut Deo virginitatem servaret: atque ex seculo I s. Thecla, de qua Epiphanius (haer. 78[4]) ait quod cum in Paulum incidisset, pactas nuptias dissolvit, cum primario cuidam civitatis totius ac longe diviti nobilissimoque desponsa iam fuisset. Cf. et Ambrosium de Virginibus L. II. c. 3. Perperam heic citatur a Suarez (De Religione L. IX. c. 24) aliisque decretum Eusebii Papae quod refertur a Gratiano (Caus. XXVII. q. 2. c. 27): « desponsatam puellam non licet parentibus alii viro tradere, licet tamen illi monasterium sibi eligere ». Non enim haberi potest ut genuinum hoc decretum. Nam quamvis ea aetate iam vigeret usus profitendi sollemniter castitatem, monasteriorum tamen consuetudo nondum invaluerat ita ut perinde esset dicere: ingredi monasterium et castitatem profiteri. Quae tamen duo aequivalentia habuit scriptor huius canonis: qui canon idcirco, saltem quoad secundam suam partem, ad ea tempora referendus est quo sacratae virgines monasteriis solebant includi. Sive enim monasterium intelligas cum Cassiano (coll. XVIII. cp. 10) cellam, in qua unica persona degit, sive coenobia cum Eugenio II (aiente in Synodo Romana, an. 826. can. 27: Abbates per coenobia, vel ut hoc tempore nuncupantur, monasteria, tales constituantur etc.) constat sub initium seculi IV haud tantumdem fuisse virgines Deo sollemniter sacrari ac in monasteriis virginitatem profiteri. Ceterum neque de uxore opus est canonem illum accipere, sed simpliciter de sponsa.

II. Porro ex citatis et aliis non multis exemplis, quorum historia memoriam servavit, nequit immediate doctrina colligi, quam defendimus; cum vel raro constet an nuptiae contractae fuerint, vel an dissolutae sint necne causa baptismi suscepti, in favorem fidei, et an pars relicta alias iniverit nuptias aut censuerit se posse. Nihilominus ex iis simul sumptis illud immediate colligitur censuisse veteres licere coniugi post pactas nuptias aliquando et post initas, antequam convenirent, alium relinquere propter perfectiorem vitam in statu virginitatis servandam: utrum vero post ipsas contractas nuptias creditum ab universa Ecclesia sit id licere, et quanta fuerit haec separatio, id collata explicatiore doctrina seculorum insequentium certo cognoscimus et constat fuisse eam quam defendimus, antiquam traditionem custodiente et propagante Ecclesiae sensu et praxi.

III. Iam vero canon Tridentinus est dogmaticus, statuit scilicet veritatem doctrinae. Nam non agit de actione opposita legi, sed de affirmatione opposita veritati; veritas autem quae defenditur a Patribus Tridentinis non est haec, quod scilicet Ecclesia habeat potestatem id statuendi, sed simpliciter quod res ita sit: per professionem religiosam dirimi matrimonium ratum; ergo veritas ipsa hoc canone statuitur et definitur; quam veritatem neganti Concilium anathema indicit. Ex hoc autem colligitur diremptionem hanc matrimonii rati esse de iure divino, ut argumentatur Benedictus XIV in quaest. can. et mor. q. 546. « Cessat indissolubilitas matrimonii rati in casu quo alter ex coniugibus professionem religiosam emittat, et haec solubilitas originem habet a iure divino.... et clarissime ostenditur ex cn. 6. Sess. XXIV de Matrim. ubi anathema profertur adversus adserentes matrimonium ratum non solvi per professionem religiosam: si enim post hunc Tridentinum canonem de fide est coniugium ratum solvi per professionem, solubilitas debuit esse imposita a solo Deo, qui eam potuit facere sempiterne veram (cuiusmodi est omnis veritas fidei, quae semper credi debet in Ecclesia) ». Sane si id ex Ecclesiae est auctoritate, eadem posset hanc legem abrogare, et sic quod in eo canone proponitur credendum, illud idem falsum evaderet, quod fieri nequit: quod enim fide creditur, semper verum est in Ecclesia. Et re quidem vera omnia decreta, quae hac in re exstant, supponunt iam id esse notum, et a sanctis factitatum; neque hanc doctrinam incepisse aliquando in Ecclesia post Apostolicam aetatem demonstrari potest.

Et sane admitti nequit sententia asserens hanc dissolutionem iure naturae fieri eo quod religiosa professio sit perfectior status, ad quem iure naturae transire cuilibet licet dum nulla iniuria fit alteri, eadem tamen vinculo matrimonii repugnat, quod proinde dissolvitur. Nam 1) si ea repugnat vinculo matrimonii, sequitur quod isto praeexistente, ipsa, solo iure naturae inspecto, sit potius irrita: 2) nec solo iure naturae probas nullam iniuriam fieri alteri; etenim coniux relictus privatur iure, quod habet in corpus profitentis, quod videtur iniuria, sive hic possit, sive non possit (quod quidem feminis non adeo facile est) aliunde sibi compensationem comparare: 3) falsum est repugnare professionem cum vinculo matrimonii, ut simul esse nequeant, quod manifestum est in professione quae fiat post consummatum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

matrimonium, cuius vinculum simul cum illa manet: 4) falsum est ius esse cuilibet ex lege naturae perfectiorem inire statum cum obligatio iam suscepta illi adversatur: et sane licet Episcopatus sit status perfectior matrimonio utpote perfectior ipso religioso, non licet tamen illum suscipere invita coniuge, nec eo solvitur matrimonium ratum: 5) falsum est quod supponitur in matrimonio tantum rato nondum haberi traditionem rei, sed nudum consensum veluti in contractu venditionis secundum romanas leges; nam in contractu matrimonii acquiritur potestas in corpus alterius et sic alter alteri tradit corpus suum ut sit illius, solumque deest adhuc usus huius iuris (cf. Sanchez De Matrim. L. II. D. 19. Suarez l. c. c. 23).

IV. Alia ergo causa requiritur, quae valeat fundamentum iuris naturae, quo gaudet coniux, subtrahere, tollere nempe obligationem mutuam, qua stante iure naturae invalida est omnis opposita promissio, et sic agere valeat non contra ius naturae, sed praeter et supra propter excellentiam superioris boni. Haec vero causa erit aliqua auctoritas ordinis divini. Et re quidem vera cum constet solum Deum posse dissolvere coniugii vinculum, necesse est ut dissolubilitas matrimonii rati per professionem religiosam sit a Deo. Iam vero vel est a Deo mediate quatenus concessit alicui potestatem dissolvendi, vel immediate quatenus ipse privilegium hoc statuit idque esse iussit, ut exsistente professione religiosa, matrimonii rati vinculum solveretur, et per Apostolos id Ecclesiae manifestavit. Atqui heic non intercedit exercitium alicuius auctoritatis legatae a Deo. Nam heic non exercetur auctoritas Ecclesiae quae, ut demonstravimus ex forma qua propositus est canon, nequit impedire effectum hunc professionis et idcirco illum non statuit, sed solum docet solvi coniugium per professionem. Cum vero argumentum ductum ex canone Tridentino non occurrerit Suarezio (l. c.), facile is potuit in hanc concedere sententiam quod auctoritate Ecclesiae inductum sit ut professio religiosa solvat coniugium ratum. Neque heic intercedit exercitium auctoritatis profitentis, qui conditionem quidem ponit, qua solvatur, sed nullam auctoritatem exercet; nam etiamsi nolit, solvitur coniugium. Ergo iure divino eoque immediato solvitur coniugium ratum professione religiosa, idque apostolica constat traditione.

Non opus proinde est quaerere cum Suarez (ibid.) utrum penes Romanum Pontificem sit ea potestas, quae valeat id constituere. Nam etsi demus posse Rom. Pontificem vim tantam tribuere professioni religiosae ut solvat matrimonium ratum, nequit tamen eam vim tribuere, quam ipse deinceps nequeat auferre. Iam vero haec est vis, quam constat competere professioni religiosae. Ea ergo vis quae, licet in ordine possibilium multiplex concipi possit, de facto

tamen competit professioni religiosae, non ab auctoritate immediata Rom. Pontificis, sed a iure divino immediate originem ducit.

V. Difficultas vero superest: quia si iure divino solvitur professione matrimonium ratum, dicendum est hanc legem divinam huc redire: quod 1° nequeant simul consistere matrimonium et professio: 2° in favorem professionis solvatur coniugium. Atqui si iure divino nequeant simul esse professio et matrimonii vinculum, ergo iure divino quoque professio dirimet matrimonium sequens: quod tamen verum haud videtur ipsis quoque propugnatoribus huius sententiae: cf. Sanchez L. VII. disp. 26. coll. praeced.

Respondemus negando illud primum, nimirum iure divino statutum esse ut nequeant simul consistere matrimonii vinculum et professio: ut enim haec lex positive divinitus conderetur, professionem nempe religiosam subsequentem dissolvere vinculum praecedens matrimonii rati, non opus erat statuere generatim quod professio religiosa excluderet vinculum matrimonii, sed solum speciatim, ad commendandum virginitatis statum, quod liceret a nuptiis ad eum statum perfectionis transire, abrupto priore vinculo, habita quoque ratione commodi coniugis relicti, ne ulla eidem superesset conquerendi ratio, si bonis coniugii vellet frui.

VI. Ergo ne in hac re nullum est ius Ecclesiae aut Rom. Pontificis? Id profecto non dicimus. Sane statim difficultas aliqua appareret, quae ratio fuit Suaresio suam asserendi sententiam. Etenim non omne votum perfectioris vitae neque omne votum in religione sed solum votum sollemne in religione seu professio religiosa hunc effectum obtinet: atqui sollemnitas votorum est (ut ait Bonifacius VIII loco infra cit.) ab Ecclesia adinventa. Pro hac expedienda difficultate haec advertantur.

Cum Deus voluerit matrimonium ratum solvi per professionem status perfectionis, in quo quis se Deo mancipat per observationem Evangelicorum consiliorum idque perfectissime locum habeat in sollemni, quae a pluribus seculis fit, professione religiosa, haec certe iure divino dirimet matrimonium. Quare licet sollemnitas professionis sit ex sola constitutione Ecclesiae inventa *c. un. de voto in 6°*; tamen quod haec professio in qua perfectissime homo se Deo dicat per observantiam votorum, solvat coniugium ratum, id est iure divino. Quaeri autem potest an Deus ipse definiverit ἐν ἀτόμῳ id quod solvat matrimonium ratum, an determinationem ultimam rei reliquerit Ecclesiae. Certum est quod quamvis Deus solum in communi determinaverit susceptionem status per observantiam consiliorum Evangelicorum dirimere matrimonium ratum, attamen hoc ipso determinavit speciem perfectissimam huius generis eum effectum

obtinere. Cum enim ea determinatio sit in favorem status perfectionis, et propter excellentiam eius; nequit excludi ea species quae est status perfectissimus et maxime excellens. Unde quoad eam non est relicta Ecclesiae potestas efficiendi ut ea exsistens non dirimat coniugium ratum. Porro si spectentur ea, quae sunt essentialia ut sit status perfectionis, in quo quis se Deo mancipat per observationem votorum, ea possunt haberi quoque citra eam, quae nunc fit, sollemnem professionem religiosam: nam et nunc quaedam religiones seu congregationes sunt in quibus vel omnes, vel plures se Deo consecrant votis religiosis sine sollemni professione. Censeri igitur potest ita Deum rem in genere statuisse, ut integro manente iure perfectioris speciei, quoad imperfectiores species (quae tamen quoad essentiam cum re a Deo statuta conveniant) reliquerit Ecclesiae determinandum utrum haec aut illa species ad effectum illum valeret, unde et posset determinationem hanc suam mutare: atque ita censere licet Ecclesiam se gessisse prioribus seculis cum nondum status perfectionis religiosae quemadmodum postea factum, determinatus erat: donec iis religionibus exsistentibus privilegium divinum ad eorum sollemnem professionem revocatum fuerit. Certum est autem ab initio Ecclesiae exstitisse eos, qui, si essentiam rei spectes, vere religiosi sive monachi fuerint, quamvis quoad accidentalia a praesentibus differrent, quae est ratio cur dixerimus species aliquas in hoc genere distingui posse. Cf. Bellarminum De Monachis L. II. c. 5 et 38. Certumque est ante Innocentium III exstitisse religiones approbatas ab Ecclesia, quamvis ea sollemnis et specialis approbatio Sedis Apostolicae non haberetur, quae deinceps requisita fuit.

VII. Huius dissolutionis convenientia tum negativa tum positiva est. *Negativa,* nempe nullum per se est inconveniens: non enim solvitur sine ratione, nec grave veri nominis damnum infertur per se coniugi manenti in seculo; potest enim manens in seculo alteri nubere, et cum matrimonium non sit consummatum, sponsa virgo manet potestque sine ullo dedecore ab alio duci: quod si aliquod damnum haec vel illa pars relicta subeat, id compensatur abunde bono communi quod Ecclesiae provenit ex professione religiosa, quae in decus Ecclesiae vergit ac commendationem castitatis atque commune exemplum eo magis efficax quo ipsi nuptiarum iuri renunciatur. Neque, Deo auctore intercedente, iniuria censeri potest iuris sibi traditi et acceptati amissio, cum alter coniux iure suo, quod Deus ei concedit, utatur. Convenientia *positiva* est, quia status religiosus excellentior est statu matrimonii; decebat autem quam maxime ut in Ecclesia Christi excellentia illius status prae isto non solum doceretur, sed facto quoque veluti sensibilis redderetur, quod quidem fit cum status religiosus efficaciam habet dirimendi vinculum coniugale. Non poterat autem dirimi matrimonium consummatum quia potior ratio ex adverso obstat, decebat ergo dirimi matrimonium ratum.

VIII. Quaeres cur ergo non solvitur matrimonium ratum per susceptionem ordinis sacri, in quo homo se mancipat Deo? Respondemus 1° rationem praecipuam esse voluntatem Dei, quae id sanxit pro professione, non pro ordine sacro. Neque enim dissolutionem matrimonii rati per professionem religiosam demonstramus ex naturis rerum, sed ex his solam convenientiam colligimus; demonstramus autem Traditione, quae voluntatem Dei notam facit. Quocirca etsi nulla admodum certa ratio huius convenientiae afferri posset, nihil nobis timendum foret. Respondemus 2° discrimen aliquod certe esse inter professionem religiosam et ordinem sacrum, si ambo comparentur cum matrimonio. Ea enim oppositio exsistit inter professionem et matrimonium, quae non est inter ordinem sacrum et matrimonium. Professio enim religiosa est formaliter quoque professio continentiae perpetuae, ac per illam incapax fit homo dominii bonorum exteriorum, quae tamen vitae matrimoniali necessaria sunt, et transit in ius alterius ipsum regentis et de ipso disponentis nomine Dei, quae quidem subiectio impedire valet actum petendi et reddendi debitum; ad haec omnia vero perpetuo obligatur quovis instanti vitae suae. Modus ergo vivendi, qui exigitur ab essentia huius status, directe opponitur modo vivendi proprio matrimonii. Consequens quidem ex hac oppositione potuit esse aliquod ex his, nempe ut vel invalida redderetur professio post matrimonium ratum, vel ut ipsum matrimonium dissolveretur, vel ut manente vinculo opus coniugii prohiberetur. Christus vero maluit secundum in favorem status perfectionis et in commodum partis relictae. Repugnantia vero ordinis sacri cum matrimonio tanta non est: nam modus vitae matrimonialis non excluditur ab essentia sacerdotii, sed solum a certo gradu sanctitatis et decoris ipsi debito et a perfecta exsecutione quorumdam officiorum suorum. Quare satis fuit statuere ut ordo dirimeret matrimonium subsequens ac prohiberet usum praecedentis. Votum vere iure Ecclesiae adnexum ordini sacro, non est huiusmodi ut matrimonium praecedens dirimat, sed rationem principalis sequitur.

IX. Matrimonium ratum dirimi potest auctoritate Romani Pontificis. De hac re olim dubitatum est. Ruardus Tapperus De Matrimonio art. 18 reprehendit Caietanum quod « contra communem Theologorum et s. Thomae sententiam scripserit quod Summus Pontifex dispensare potest super matrimonio rato nondum consummato ». Verum 1) dissensus iste Theologorum a sententia Caietani, si veteres spectes, est potius negativus, quatenus nimirum eam non do-

cent, sed loquentes de dissolubilitate matrimonii rati, eam spectant solum prout a facto alterius coniugum pendere potest, et proinde mentionem solum faciunt professionis religiosae ipsum dissolventis. At 2) adest e contrario consensus Canonistarum, qui hac in re certe merentur audiri; qui consensus iam aetate s. Antonini communis erat (cf. locum inferius citatum) quique illud profecto efficiebat ut doctrina Theologorum non posset dici in Ecclesia communis. Nunc vero 3) habetur quoque consensus Theologorum: « Nullam (ait Bened. XIV. Quaest. canon. q. 479) de potestate Summi Pontificis moveri amplius posse quaestionem in eo quod attinet ad dispensandum super matrimonio rato et non consummato, cum hodie opinio affirmativa inter Theologos et Canonistas sit communis et in praxi recepta, uti notorium est ».

Itaque certum est a pluribus seculis plures Romanos Pontifices dispensasse super matrimonio rato. Constat id de Martino V et Eugenio IV ex testimonio s. Antonini in Sum. Theol. p. III. Tit. 1. Constat de Paulo III et Pio IV testificatione Navarri in Enchirid. c. 22, tum de aliis usque ad Pium IX (Cf. Perrone De Matrim. Tom. III. pag. 509 in nota 115). Iam vero 1° cum id fecerunt tot Pontifices, censuerunt certe se id posse facere sive ex principiis directis id certo scientes, sive ex principio reflexo, quatenus liceret eis sequi opinionem probabilem id docentem. Atqui utrum dicas, id certe consequitur, ergo e sententia tot romanorum Pontificum probabile est saltem nullum exstare certum testimonium ex Scriptura ac Traditione, quod huic potestati adversetur. Ceterum 2° exercitium adeo continuatum huius potestatis in re tanti momenti, cuiusmodi est sacramentum, per Vicarium Christi, cui Spiritus Sanctus assistit in regenda Ecclesia, exercitium vero ab Ecclesia non improbatum, quod certe fieri debuisset, si ponas id non convenire cum doctrina revelata et Romanos Pontifices proinde noluisse quaestionem de honestate rei finire, idcirco exercitium tandem ab universa Ecclesia aequivalenter probatum, argumentum est sufficiens potestatis eiusdem; eodem enim modo solent alia quaedam iura primatus demonstrari. Sane si haec potestas deesset, per huiusmodi dissolutionem matrimonii rati Ecclesia causa esset ut contra id quod per se honestum est ageretur, cum sic dissoluti alias contrahunt nuptias, quae reapse non forent nisi concubinatus; atqui Deus, etsi permittere possit ut hic aut ille Pontifex secundum suam privatam opinionem agens aliquid minus honestum admittat in suo regimine, attamen permittere nequit ut universa Ecclesia seu Pontifex agens secundum Ecclesiae sensum sit harum turpitudinum promotor; ergo.

Dices Alexandrum III. *c. licet de Sponsa duorum,* cum docuerit

sponsalia de praesenti non solvi per sequens matrimonium consummatum, quod invalidum e contrario est, affirmare quod aliqui e praedecessoribus suis aliter iudicaverint: possunt ergo in huiusmodi particularibus iudiciis errare Rom. Pontifices. Respondeo 1° heic non agi de aliquibus Pontificibus, sed pluribus plurium seculorum continuata serie id concedentibus, Ecclesia non aliter iudicante, ita ut vere dici possit, hoc esse iudicium Ecclesiae, non tantum huius aut illius Pontificis secundum suam privatam sententiam agentis. Verum 2° quid prohibet nos hoc pacto censere quod ita egerint illi Alexandri III praedecessores eo quod censuerint sibi inesse auctoritatem dispensandi super matrimonio rato, ita ut pro potestate sua valide decernere potuerint valere matrimonium secundum? quin opus sit affirmare eos secutos esse quorumdam opinionem, qui censebant reapse per subsequens matrimonium consummatum dissolvi praecedens ratum. Ita exempla haberentur huius potestatis exercitae a Romana Sede ante Martinum V. Huiusmodi factum praedecessorum ait Alex. III non obstare responsioni suae, in qua sane de intrinseca tantum dissolubilitate matrimonii agit, quam negat. Dices: si ita res se habuit, ii praedecessores reapse non iudicarunt aliter ac Alexander III, ut ipse dicit, cum de re prorsus diversa agerent, nullaque esset oppositio inter eos. Adverte 1) id obiter a Pontifice dici, eiusque verborum intelligentia determinari poterat a litteris Salernitani Episcopi, ad quem rescribit; quare opus non fuit ut latius declararet in quo ipse a praedecessoribus dissentiret. Adverte 2) verba Pontificis non referenda esse ad doctrinam quam tradit, sed ad conclusionem practicam, nimirum *compellendum esse virum redire ad priorem coniugem, quamvis quidam praedecessores aliter aliquando iudicaverint,* decernentes nempe ut cum secunda manere posset: cur vero? id non dicit Pontifex, sed censere licet, quia dissolverunt prius matrimonium ratum.

Huc probabiliter quoque spectat, quod iam innuimus Th. XV. n. IV responsum Gregorii II ad Bonifacium, quod refertur etiam a Gratiano Causa 32. q. 6. c. *quod proposuisti:* nosque loco citato retulimus.

Potestatem hanc inesse Romano Pontifici probatur quoque ex eo quod possit Rom. Pont. dispensare in voto etiam sollemni Religionis: porro vinculum huius fortius est cum dissolvat matrimonium ratum, ergo et vinculum matrimonii rati solvere potest. Praeterea potestas solvendi et ligandi facta Rom. Pont. amplissima. est eosque actus omnes exercere potest, qui necessarii vel utiles sint rectae gubernationi Ecclesiae; atqui potestatem hanc Ecclesiae utilem esse ipsa Ecclesia universa nos docet, probans exercitium eiusdem. Ergo.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quare Romanus Pontifex solvit matrimonium ratum potestate vicaria Dei, quae est ipsa potestas primatus, quae est potestas ordinaria ipsius Pontificis.

At nonne vinculum matrimonii et utriusque obligatio ad alterum est res iuris divini, in huiusmodi autem Papa dispensare nequit? Respondeo, seposita quaestione utrum in iure divino identidem Papa dispensare valeat (qua de re in ultima thesi), heic non habere locum proprie dispensationem: non enim perseverante lege relaxat Pontifex pro hac vel illa persona obligationem eius, quemadmodum faceret e. g. si manente matrimonio dispensaret coniuges a mutua obligatione, sed solvit ipsum vinculum matrimonii. Quae quidem solutio non est actus potestatis legislativae sicut est dispensatio, sed est actus alter plenitudinis potestatis solvendi efficax ex se ipso sive ex opere operato! Cf. quae dicemus in ultima Thesi.

X. Quaeres, cur ergo per tot secula nunquam usi sunt Pontifices hac potestate? Respondeo 1) id certum non esse, cum nulla sint testimonia positiva quae id doceant, et si praedecessores Alex. III et Gregorius II ea usi sunt, etiam ante Martinum V et ante millesimum exempla huius rei exstant in historia. 2) Non usus potestatis non est per se indicium defectus potestatis; non usus autem per aliquod tempus, cum alio tempore exstat positive usus, nihil prorsus probat. Porro et plures rationes esse potuerunt cur Pontifices hoc iure non uterentur, sicut olim non utebantur potestate dispensandi in impedimentis dirimentibus, vel quia non petebatur dissolutio, vel quia non censebant Pontifices tum expedire ut ea potestate uterentur, vel etiam, si vis, quia notitia huius potestatis sive extensionis potestatis solvendi etiam ad hunc effectum, nondum satis explicata erat in Ecclesia, quamvis implicite credita in fide primatus.

Pontifices vero, qui negant nisi per professionem solvi matrimonium ratum, loquuntur de dissolutione intrinseca, vel de ea quae quodammodo in potestate hominis sit; hic enim libere potest ponere eam conditionem, qua Deus vinculum solvit.

XI. Dices: ergo matrimonium ratum dici debet solubile. Respondeo negative, sed per se est et dici debet insolubile. Ille enim contractus, ut ab initio diximus, est per se insolubilis, qui intrinsece dissolvi nequit; quod si extrinsece solvi potest, erit per accidens solubilis. Ita votum ex natura sua est vinculum perpetuum, quamvis auctoritate superioris solvi possit.

Quaeres quomodo id cohaereat cum verbis Christi: *quod Deus coniunxit, homo non separet*. Respondeo optime cohaerere secundum ea, quae diximus initio huius thesis. Cum enim Pontifex dissolvit, non homo, sed Deus separat, potestate namque vicaria Dei agit Pontifex.

XII. Praeter haec vero matrimonium ratum solvi nequit. Nam intrinsece non potest solvi; extrinsece vel solvitur auctoritate Vicarii Dei vel lege divina, posita aliqua conditione ex parte hominis: atqui haec lex non adest nisi pro professione religiosa; huius enim tantum mentionem facit Traditio et ius canonicum, quod diserte excludit id quod videretur posse hunc effectum habere, nempe susceptionem ordinis sacri, « cum nec iure divino (quoad ordinem ipsum) nec per sacros canones (quoad votum annexum) id reperiatur statutum » ait Ioannes XXII. *Extrav. antiquae De Voto*. An vero possit Rom. Pont. universali lege decernere, ut matrimonium ratum posita certa conditione dirimatur, puta susceptione ordinis sacri, vel subsequente matrimonio consummato, disputant Theologi, sed difficile est partem negantem demonstrare. Cf. Sanchez L. II. D. 13. De potestate Pontificis circa matrimonia consummata sed contracta ante baptismum dicemus th. seq.

XIII. Ex doctrina heic tradita de solubilitate matrimonii rati forte argumentum colliges contra statutam in praecedentibus thesibus intrinsecam indissolubilitatem hoc pacto. Sive extrinsece sive intrinsece solvatur, verum est matrimonium, tum quoque cum sacramentum est, solvi; falsum est ergo quod ratio potius indissolubilitati faveat, nisi velimus dicere legem Christi minus conformem esse rationi: porro quae incommoda attulit ratio pro suadenda indissolubilitate intrinseca, nonne pariter valent pro extrinseca? Utraque idcirco vel neutra dissolubilitas concedenda est. Respondeo. Ingens est discrimen inter utramque dissolubilitatem. Per dissolubilitatem enim intrinsecam redigitur pene coniugalis societas ad conditionem contractus mutabilique hominum voluntati pravisque cupiditatibus subiicitur: per extrinsecam vero dissolubilitatem soli Deo coniuginm subordinatur, cuius lege vel delegata auctoritate unio coniugalis solvitur, propriam indolem retinens naturalis institutionis. Quemadmodum vero falsum est perinde esse quod votum Deo nuncupatum dissolvi valeat auctoritate privata voventis aut Dei ipsius vel Rom. Pontificis nomine Dei agentis, ita falsum est perinde esse asserere coniugio dissolubilitatem aliquam extrinsecam aut intrinsecam. Porro ratio bene consulta non dissuadet dissolubilitatem plenam nisi intrinsecam. Ceterum, quod saepe repetendum est, causa intrinsecae plenae indissolubilitatis est positiva institutio Dei.

Nec incommoda, quae attulimus in praeced. Th. contra divortium, valent pro hac, quam defendimus, extrinseca dissolubilitate. Nam 1° quae supponunt divortium fieri post consummatum matri-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

monium, heic non habent locum. 2° Si qua sunt incommoda, vim suam amittunt propter excellentius bonum, cum agitur de professione religiosa. 3° Cum dissolutio matrimonii rati, quae fit a Romano Pontifice, fiat ab independente auctoritate, ex certis causis, uno saltem petente coniuge, ob bonum quod reapse in utrumque redundet, nec laxantur frena cupiditatibus, nec amor castus minuitur, sed solum certis in casibus ubi minus prudenter facta est unio, remedium coniugibus exhibetur: quo quidem satis compensantur siqua incommoda timenda forent.

THESIS XXVI.

Docemus praeterea matrimonium infidelium etiam consummatum solvi extrinsece posse cum, altero ad fidem converso, alter renuit cohabitare aut non sine iniuria Creatoris aut damno spirituali fidelis, tum posse extrinsece solvi auctoritate Romani Pontificis.

I. Hi sunt Ecclesiae canones hac in re. « Nunquam vivente uxore licite poterit aliam etiam ad fidem conversus habere, nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso, aut etiamsi consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum ». *c. Gaudemus De Divort.* « Si alter infidelium coniugum ad fidem catholicam convertatur, altero, vel nullo modo vel non sine blasphemia divini nominis vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit ». *c. Quanto ibid.* Dissolubilitas ergo matrimonii etiam consummati in infidelitate contracti, cum alter coniugium ad fidem convertitur, sub his conditionibus est intelligenda. Quare non dicimus quod ipsa susceptione baptismi solvatur coniugium; hoc enim falsum est, cum per baptismum non solvantur coniugia, sed crimina dimittantur, *c. d. Gaudemus,* idque paulo inferius probabimus. Sed supradictis conditionibus exsistentibus potest iure divino dirimi vinculum matrimonii, quando autem et quomodo dirimatur, dicemus postea. Porro doctrina haec est communis Theologis et Canonistis (cf. s. Thomam q. LIX. a. 5. Suarez L. II. D. 74) tradita a Patribus, ut Ambrosio in Luc. L. VIII. n. 2. « Si omne coniugium a Deo est (non quidem quomodocumque, sed secundum integram formam divinae institutionis) omne coniugium non licet solvi. Et quomodo Apostolus dixit: quod si infidelis discedit, discedat? in quo et mirabiliter noluit apud christianos causam residere

divortii, et ostendit non a Deo omne coniugium ». Scilicet iuxta Ambrosium illud coniugium dicitur esse a Deo, quod est exactum ad normam divinae institutionis et quod initur in cultum et honorem Dei: huiusmodi vero non est matrimonium infidelium. Pariter Chrysostomus. hom. XIX. in c. 7. 1. Corinth. « quid est autem, si infidelis discedit, discedat? Ut si iubet te sacrificare aut sociam esse impietatis propter matrimonium aut recedere, melius sit διασπασθῆναι τὸν γάμον, καὶ μὴ τὴν εὐσέβειαν ». Doctrina est firmata praxi Ecclesiae per plurima secula a Sede Romana sollemniter sancita; decreta enim ex iure canonico superius allata, ab Innocentio III profecta sunt et a Gregorio IX in ius canonicum, quo universa Ecclesia regitur, translata. « Certum est (ait Benedictus XIV, De Synod. L. VI. c. 4) infidelium coniugium ex privilegio in fidei favorem a Christo Domino concesso et per Apostolum 1. Corinth. VII promulgato, dissolvi, cum coniugum alter christianam fidem amplectitur, renuente altero in sua infidelitate obdurato cohabitare cum converso, aut etc.»

II. Itaque origo huius doctrinae est Traditio Apostolica, quam Paulus scripto consignavit 1. Corinth. VII, idque testatur Innocentius III, *c. d. Quanto;* verbis enim recitatis subdit: « Et in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus: *si infidelis discedit, discedat; frater enim vel soror non est servituti subiectus in huiusmodi* ». Sed non minima difficultas est in colligenda artificialiter hac doctrina ex verbis Apostoli. Ea sunt, v. 12 seq. *Nam ceteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem et hic consentit habitare cum illa, non dimittat illum. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem... Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi: in pace autem vocavit nos Deus.* Adverte primum *fratrem* et *sororem* heic esse qui per baptismum Ecclesiae aggregati sunt: nam huiusmodi christianos Paulus alloquitur et eos qui tantum catechumeni essent, licet fideles, nomine *fratrum* Ecclesia non est dignata. De baptizatis ergo sermo est.

Porro ex verbis Apostoli illud certum est baptismo non solvi coniugium. Nam etiam post baptismum unius, frater dicitur *habere uxorem* infidelem, et mulier *habere virum* infidelem: praeterea si per baptismum ipso iure solveretur coniugium, Paulus haud hortaretur fidelem non dimittere infidelem, sive dimissionis nomine intelligatur diremptio vinculi, sive separatio quoad habitationem: si enim prior intelligatur, ea dimissio iam esset impossibilis; si altera, cum non sint amplius vir et uxor, nulla est ratio cur maneant simul;

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

monium, heic non habent locum. 2° Si qua sunt incommoda, vim suam amittunt propter excellentius bonum, cum agitur de professione religiosa. 3° Cum dissolutio matrimonii rati, quae fit a Romano Pontifice, fiat ab independente auctoritate, ex certis causis, uno saltem petente coniuge, ob bonum quod reapse in utrumque redundet, nec laxantur frena cupiditatibus, nec amor castus minuitur, sed solum certis in casibus ubi minus prudenter facta est unio, remedium coniugibus exhibetur: quo quidem satis compensantur siqua incommoda timenda forent.

THESIS XXVI.

Docemus praeterea matrimonium infidelium etiam consummatum solvi extrinsece posse cum, altero ad fidem converso, alter renuit cohabitare aut non sine iniuria Creatoris aut damno spirituali fidelis, tum posse extrinsece solvi auctoritate Romani Pontificis.

I. Hi sunt Ecclesiae canones hac in re. « Nunquam vivente uxore licite poterit aliam etiam ad fidem conversus habere, nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso, aut etiamsi consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum ». *c. Gaudemus De Divort.* « Si alter infidelium coniugum ad fidem catholicam convertatur, altero, vel nullo modo vel non sine blasphemia divini nominis vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit ». *c. Quanto ibid.* Dissolubilitas ergo matrimonii etiam consummati in infidelitate contracti, cum alter coniugium ad fidem convertitur, sub his conditionibus est intelligenda. Quare non dicimus quod ipsa susceptione baptismi solvatur coniugium; hoc enim falsum est, cum per baptismum non solvantur coniugia, sed crimina dimittantur, *c. d. Gaudemus,* idque paulo inferius probabimus. Sed supradictis conditionibus exsistentibus potest iure divino dirimi vinculum matrimonii, quando autem et quomodo dirimatur, dicemus postea. Porro doctrina haec est communis Theologis et Canonistis (cf. s. Thomam q. LIX. a. 5. Suarez L. II. D. 74) tradita a Patribus, ut Ambrosio in Luc. L. VIII. n. 2. « Si omne coniugium a Deo est (non quidem quomodocumque, sed secundum integram formam divinae institutionis) omne coniugium non licet solvi. Et quomodo Apostolus dixit: quod si infidelis discedit, discedat? in quo et mirabiliter noluit apud christianos causam residere

divortii, et ostendit non a Deo omne coniugium ». Scilicet iuxta Ambrosium illud coniugium dicitur esse a Deo, quod est exactum ad normam divinae institutionis et quod initur in cultum et honorem Dei: huiusmodi vero non est matrimonium infidelium. Pariter Chrysostomus. hom. XIX. in c. 7. 1. Corinth. « quid est autem, si infidelis discedit, discedat? Ut si iubet te sacrificare aut sociam esse impietatis propter matrimonium aut recedere, melius sit διασπασθῆναι τὸν γάμον, καὶ μὴ τὴν εὐσέβειαν ». Doctrina est firmata praxi Ecclesiae per plurima secula a Sede Romana sollemniter sancita; decreta enim ex iure canonico superius allata, ab Innocentio III profecta sunt et a Gregorio IX in ius canonicum, quo universa Ecclesia regitur, translata. « Certum est (ait Benedictus XIV, De Synod. L. VI. c. 4) infidelium coniugium ex privilegio in fidei favorem a Christo Domino concesso et per Apostolum 1. Corinth. VII promulgato, dissolvi, cum coniugum alter christianam fidem amplectitur, renuente altero in sua infidelitate obdurato cohabitare cum converso, aut etc.»

II. Itaque origo huius doctrinae est Traditio Apostolica, quam Paulus scripto consignavit 1. Corinth. VII, idque testatur Innocentius III, *c. d. Quanto;* verbis enim recitatis subdit: « Et in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus: *si infidelis discedit, discedat; frater enim vel soror non est servituti subiectus in huiusmodi* ». Sed non minima difficultas est in colligenda artificialiter hac doctrina ex verbis Apostoli. Ea sunt, v. 12 seq. *Nam ceteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem et hic consentit habitare cum illa, non dimittat illum. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem... Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi: in pace autem vocavit nos Deus.* Adverte primum *fratrem* et *sororem* heic esse qui per baptismum Ecclesiae aggregati sunt: nam huiusmodi christianos Paulus alloquitur et eos qui tantum catechumeni essent, licet fideles, nomine *fratrum* Ecclesia non est dignata. De baptizatis ergo sermo est.

Porro ex verbis Apostoli illud certum est baptismo non solvi coniugium. Nam etiam post baptismum unius, frater dicitur *habere uxorem* infidelem, et mulier *habere virum* infidelem: praeterea si per baptismum ipso iure solveretur coniugium, Paulus haud hortaretur fidelem non dimittere infidelem, sive dimissionis nomine intelligatur diremptio vinculi, sive separatio quoad habitationem: si enim prior intelligatur, ea dimissio iam esset impossibilis; si altera, cum non sint amplius vir et uxor, nulla est ratio cur maneant simul;

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

imo esset optima ratio separationis propter probabilissimum periculum fornicationis, quae ratio praevalere debet spei sanctificandi infidelem.

III. Quaestio est itaque de genuino sensu verborum Apostoli. Quaeritur porro primum utrum verba: *nam ceteris* τοῖς δὲ λοιποῖς *ego dico non Dominus,* referantur ad sequentia, an ad praecedentia. Non pauci quidem ea referunt ad sequentia, et sic *ceteri* sunt ii qui matrimonio iuncti sunt cum infidelibus: « ad imparia scilicets h. e. ubi non ambo christiani fuerant, coniugia loquitur » (August. De Adult. coniug. L. I. c. 13); et quae immediate sequuntur accipiuntur ut consilium Pauli, non ut praeceptum Domini. Atque ita inter alios acceperunt Patres Synodi Limensis approbatae a Sixto V. in decreto relato a P. Ballerini in Tract. de Matrim in nota ad n. 759, pag. 735 ult. edit. Exinde vero cum pluribus auctoribus a se citatis colligit Sanchez (De Matrim. L. VII. d. 73) numquam obligatum fuisse coniugem fidelem ad cohabitandum cum infideli, etsi hic vellet habitare sine iniuria creatoris et sine periculo fidelis; consilium enim tantum Paulus suggerit, non praeceptum. Quo posito facile intelligitur cur ferri potuerit prohibitio ab Ecclesia aliquando ne fidelis conversus habitet cum infideli nolente converti, et ille hoc ipso habeat ius transeundi ad alias nuptias. Cf. Sanchez ibid. et disp. seq. At aegre intelligitur tamen cur in iure canonico certae conditiones requirantur ut fidelis possit alias inire nuptias. Sed de hac re postea.

Itaque ut ad verba Pauli redeamus, doctissimus interpres Estius et post eum Cornelius a Lapide in h. l. censent e contrario ea verba: *ceteris ego dico, non Dominus,* referenda esse ad praecedentia: et sane ea verba, ut Cornelius advertit, a sequentibus per punctum disiunguntur in editione romana scilicet Clementina anno 1593 et plantiniana et aliis correctissimis. Tunc quae sequuntur exhibere simpliciter possunt doctrinam et praeceptum Domini, potestque ibi sermo esse de dimissione, quae sit diremptio vinculi. Si contextus spectetur, nobis valde probabilis videtur sententia horum interpretum. Nam verba *ceteris ego dico non Dominus* opponuntur praecedentibus v. 10 *Iis autem qui matrimonio iuncti sunt praecipio non ego, sed Dominus:* porro ceteri praeter coniugatos sunt innupti. Hos vero superius alloquens dixerat v. 8 *dico autem non nuptis et viduis: bonum est illis si sic permaneant sicut et ego.* Id ergo quod dixerat, monet nunc v. 12 consilium esse suum, non praeceptum Domini; sicut deinceps ait: *de virginibus praeceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Hac porro adhibita interpretatione, doctrina Ecclesiae circa dissolubilitatem matrimonii infidelium, hoc pacto stabilitur.

IV. Scilicet cum Paulus exorditur: *si quis frater* etc., transitum facit ad aliam quaestionem sibi a Corinthiis propositam et docet quod

si infidelis velit habitare cum fideli, non dimittatur, si autem discedit, discedat, quia fidelis non est in hac re subditus servituti. Quaeritur quaenam facultas fidelibus a Deo fiat. Certum est verba: *quod si infidelis discedit, discedat* etc., apta satis esse ad significandum quod possit fidelis relictus alias inire nuptias. Sensus est enim: si infidelis ipse se separat et dimittit fidelem, seu, ut ait superius, *si non consentit habitare cum fideli,* relinquatur, sinatur abire: cuiusmodi vero sit relictio explicatur a ratione addita, *quia in huiusmodi* h. e. in hac re (cf. Estium ibid.) ad vinculum coniugale quod spectat, *non est fidelis subiectus servituti* scilicet erga infidelem. Porro haec ratio ostendit ita relinqui posse infidelem, ut vinculum quoque solvatur: secus enim fidelis esset maxime obnoxius servituti erga infidelem; maneret enim obstrictus vinculo nec posset uti matrimonio ex malitia ipsius infidelis. Et sane vel negatio servitutis in eo est tantum quod relictus non teneatur sequi et reconciliari discedenti sine iusta causa, cuiusmodi est iste infidelis, vel in eo est quod relictus non teneatur amplius vinculo, quo obstrictus erat: atqui primum valet ex aequo in discessione tum infidelium tum fidelium coniugum sine iusta causa, ut iniuste relictus non teneatur reconciliari, et est commune quoque infidelibus inter se: atqui Apostolus loquitur speciatim de discessione infidelis et de aliqua praerogativa fidelium: ergo restat secundum.

Nunc adverte quod, si cum aliorum sententia teneas in prioribus verbis Apostoli (si quis frater.... non dimittat illam etc.) consilium contineri Apostoli, non praeceptum Dei, hoc ipso significatur hanc dimissionem a Deo ipso non prohiberi sed permitti, licet eam Apostolus ob certas causas h. e. bonum infidelis et filiorum dissuadeat. Quo posito sequitur multo magis sequentia (si discedit, discedat etc.) significare permissionem a Deo factam dissolvendi nuptias, cum id nec in priori hypothesi quod velit infidelis cohabitare, foret vetitum a Deo.

Itaque si infidelis discedit, si non consentit habitare cum fideli, *discedat*, abeat quo vult. Et ita certe intelligendum est illud concedi quod hac conditione non exsistente Apostolus forte non probasset, h. e. *dimittat* infidelem discedentem fidelis. Fidelis scilicet potest se eximere a vinculo coniugii cum illo contracti, potest aliud matrimonium contrahere. Atque haec est doctrina Ecclesiae proposita canonibus superius citatis.

Adverte quod Paulus tantum dicit, *si infidelis discedit aut non consentit habitare cum fideli:* verum et qui nolit habitare sine iniuria Dei, vel quin pertrahat fidelem ad peccatum, iure censetur discedere, quia etsi non recedat corpore, cogit tamen fidelem recedere, quia tunc fidelis debet aut ius certe habet recedendi a con-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sortio infidelis: atque ita hic praebens causam alteri fugae, ipsum fugat (Sanchez L. VII. D. 74).

V. Quid vero dicendum quando infidelis quidem converti renuit, vult tamen habitare sine contumelia creatoris et quin fidelem pertrahat ad peccatum? Licetne tunc converso matrimonium dissolvere, aliis initis nuptiis? Sanchez L. VII. D. 74, duas proponit sententias, alteram negantem, quam ipse valde probabilem censet, quaeque innititur praecipue textibus iuris canonici, qui eas conditiones postulant, alteram affirmantem, quam Sanchez veriorem existimat. Cuius vero demonstratio supponit id quod probavit in praeced. disp. nimirum « hodie illicitum esse fideli habitare cum coniuge infideli in infidelitate pertinaci, etsi velit sine Dei contumelia et pertractione ad peccatum habitare » Cf. disp. cit. « Praxis fert (ait cl. Ballerini l. c.) ut in locis infidelium v. g. inter Sinas, Indos, etc., conversis permittatur ut cum infideli cohabitent et rursus ut ad alias nuptias iuxta doctrinam Pauli transire possint, si infidelis aut nolit cohabitare, aut non consentiat cohabitare nisi cum iniuria creatoris: et huc spectat Cap. *Gaudemus* Innocentii III et declaratio allegata a Benedicto XIV (De Syn. LXIII c. 21, n. 1). Inter nationes vero christianas praxis invaluit ut cohabitatio non permittatur cum parte, quae obstinata sectae infideli v. g. iudaicae, adhaereat, quamvis haec protestetur se pacifice velle cohabitare. » Quo posito ita Sanchez probat opinionem suam: quia licet converso aliud inire matrimonium, quoties infidelis discedit ac relinquit fidelem; iam vero tunc dicitur fidelis relictus ac desertus ab infideli recedente quoties vel infidelis omnino recedit, vel eam cohabitationem eligit, quae fideli illicita est. Cum ergo hodie illicita sit fideli cohabitatio cum infideli, hic nolens converti dicetur revera recedere et fideli licebit aliud contrahere matrimonium. Sane Paulus « solum explicuit casum quo infidelis renuit cohabitare, et ex eo sequuntur alii duo casus, nimirum quando non vult cohabitare sine Dei contumelia vel pertractione ad peccatum, quia tunc vere infidelis dicitur recedere eligens eam solam cohabitationem, quae fideli interdicta est. At in praesenti casu eadem prorsus ratio hodie militat; cum infidelis nolens converti, eligat cohabitationem fideli vetitam. Ergo hic casus comprehensus erit hodie in eo privilegio Christi explicato a Paulo ». Quod confirmatur ex fine privilegii, nam ea posita lege, fidelis cogeretur manere innuptus et maxime foret subiectus servituti.

Porro vides quod si verba Apostoli: *si quis frater habet uxorem infidelem, et haec consentit habitare cum illa, non dimittat illam: et si qua mulier fidelis habet virum infidelem et hic consentit habitare cum illa, non dimittat illum;* si haec, inquam,

verba consilium tantum Pauli continent, nihil habetur ex eodem Paulo quod obstet huic legi vel praxi hodie vigenti, qua interdicatur fideli cohabitatio cum coniuge infideli: consilia enim pro diversis adiunctis personarum, temporum et locorum mutari possunt. At si ea verba legem Domini continent, quomodo potuit haec nova lex vel praxis induci, quae simpliciter vetat conversis habitationem cum infideli coniuge. Responderi potest quod ea lex Domini non excludit hanc novam legem Ecclesiae. Nam lex Domini non est universaliter ut non dimittatur infidelis volens cohabitare, sed (quemadmodum eam semper intellexit Ecclesia, et colligitur quoque ex sequentibus Apostoli verbis: non enim est subiectus servituti etc.), ne dimittatur infidelis volens cohabitare sine damno spirituali fidelis. Quando vero huiusmodi damnum sit illique sit occurrendum per separationem, id Deus reliquit Ecclesiae determinandum, apud quam proinde diversa praxis potuit esse in usu. Cum idcirco aetate apostolica et deinceps non censeretur expedire ut omnis conversus a coniuge infideli separaretur, nec de hac re lata fuisset lex aut praxis inducta cohabitationem vetans, lex Domini a Paulo promulgata quibusdam adhuc in casibus observari poterat, quod Paulus certe supponit (cf. commentarium Cyrilli Alex. in h. l. v. 8.): nihil tamen impediebat quominus deinde propter ipsam conditionem a Domino statutam, *si velit infidelis cohabitare,* intelligendam tamen cum hac limitatione, *sine damno spirituali fidelis,* ipsa cohabitatio cum infideli nolente converti prohiberetur, cum constiterit maius esse timendum damnum fideli ex hac cohabitatione, quam bonum ex eadem sperandum, infidelis scilicet conversio. Cum ergo finis legis sit *sanctificatio infidelis* et conditio legis sit ne cohabitatio noceat fideli, et haec pro diversis rerum adiunctis diversimode determinari possint, fit ut lex Domini nunc hoc pacto nunc illo impleri potuerit, et aliter adulta iam christianitate inter nationes infideles, aliter inter christianas impleta aliquando sit et impleatur.

VI. Quaeritur tandem quando et quomodo coniugium quod conversus ad fidem contraxit in infidelitate, dissolvitur? Potestas ad illud dissolvendum tunc habetur, cum una ex conditionibus enumeratis exsistit; dissolvitur autem cum alterum matrimonium contrahitur. Id manifestum est *c. Gaudemus;* ait enim Innocentius: « quod si conversum ad fidem et illa conversa (quae prius renuerat cohabitare, etc.) sequatur, ante quam propter causas praedictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur. » Ergo donec alterum matrimonium contrahatur, manet vinculum prius; solvitur hoc igitur simul ac secundum matrimonium fit, quemadmodum simul sunt corruptio unius et generatio alterius. Solvitur ergo prius matrimonium

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

non intrinsece ex voluntate unius coniugis, sed extrinsece ex lege Dei, intercedente secundo matrimonio quod est ratum.

VII. Hoc est privilegium a Deo concessum in favorem fidei baptismo susceptae, quod Paulus promulgavit docens infideli discedente non esse fratrem h. e. christianum subiectum servituti in hac re, nempe in matrimonii vinculo cum infideli contracto. Cuius privilegii ratio satis apparet, nempe tum ob dignitatem sacramenti fidei, tum simul ob necessitatem, qua adstringitur fidelis ad vitandam cohabitationem infidelis in his casibus. *In pace* ait Apostolus, *vocavit nos Deus*: vult scilicet Deus ut fidei consensus et pax in familia et societate christiana obtineat. Cum autem Christus noluerit obligari aliquem ad vitam caelibem sine propria voluntate, essetque onus gravissimum impositum neophytis continentiae obligatio ipsosque infideles posset deterrere a conversione, concessum est baptizatis in iis conditionibus alias inire nuptias (Sanchez ibid.). Porro tum ex verbis Pauli tum ex Ecclesiae interpretatione patet quodcumque matrimonium infidelium idemque etiam consummatum in favorem fidei dissolvi posse.

Nota tamen id quod Innocentius *c. Quanto,* docet: « si vero alter fidelium coniugum vel labatur in haeresim, vel transeat ad gentilitatis errorem, non credimus quod in hoc casu is, qui relinquitur, vivente altero, possit ad secundas nuptias convolare, licet in hoc casu maior adpareat contumelia creatoris. Nam etsi matrimonium verum inter infideles exsistat, non tamen est ratum: inter fideles autem verum et ratum exsistit, quia sacramentum Fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur; sed ratum efficit coniugii sacramentum, ut ipsum in coniugibus illo durante perduret. » Idque definivit Trid. De Matrim. cn. 5. Dignitas nempe sacramenti praevalet libertati innocentis, et obstat ne illud privilegium coniugi innocenti concedatur: et Paulus accurate monuit fidelem non esse subiectum servituti in *huiusmodi* h. e. in obligatione hac cum infideli, de qua loquitur: non licet ergo privilegium Christi ad alios extendere, cuius tandem ratio suprema est voluntas Dei manifestata ab Apostolo.

VIII. Quoniam ex privilegio Christi promulgato ab Apostolo potest dirimi matrimonium quod conversus ad fidem contraxit in infidelitate, dummodo tamen certae exsistant conditiones, necesse est ad hoc ut conversus (in natione infideli saltem exsistens, ubi non est prohibita cohabitatio infidelium) uti valeat licite eo privilegio, nosse ipsum quod hae conditiones vel aliqua sufficiens ex his habeantur. Quare opus est ut fidelis certior fiat quod coniux infidelis nolit cohabitare, vel si vult cohabitare, quod non sit cohabitaturus

sine iniuria Creatoris, aut quin pertrahere tentet fidelem ad peccatum. Quod si aliqua ex causa huiusmodi notitia obtineri nequit, vel quia coniux abest et ignoratur ubinam gentium sit, vel quia cum plures uxores quis habuerit, nescit quaenam sit legitima, locus non est usui privilegii huius. Huic autem incommodo alia via occurri potest. Nimirum Rom. Pontif. potestatem habet in his adiunctis dissolvendi matrimonium in infidelitate contractum etiam consummatum, et sic facultatem faciendi converso nubendi cui voluerit in Domino. Si enim potest R. P. dissolvere matrimonium ratum, quod est sacramentum; potest etiam dissolvere matrimonium consummatum infidelium, quod minus habet firmitatis. Sane 1° solvitur illud matrimonio rato conversi ad fidem: ergo minus firmum eo est. 2° Indissolubilitas matrimonio competit praecipue ratione significationis: ea vero significatio potiore iure habetur in matrimonio sacramento et maxime in matrimonio sacramento consummato. Matrimonium proinde etiam consummatum infidelium, cum non sit proprie sacramentum, minus firmum est quam ratum (q. LIX. a 5 ad 1ᵐ): ergo. Hanc potestatem sibi asseruerunt atque usi sunt Romani Pontifices, Pius V in Apostolicis literis *Romani Pontificis* et Gregorius XIII in Apostolicis literis *Quoniam saepe contingit,* aliique. Porro Gregorius XIII ita loquitur « nos attendentes huiusmodi connubia inter infideles contracta vera quidem, non tamen adeo rata censeri ut necessitate suadente dissolvi non possint, singulis dictorum locorum ordinariis, et parochis.... concedimus facultatem dispensandi cum quibuscumque utriusque sexus christifidelibus incolis dictarum regionum..... ut eorum quilibet etiam superstite coniuge infideli et eius consensu minime requisito, responso non expectato, matrimonia cum quovis fideli, alias tamen rite, contrahere et in eis postea carnali copula consummatis quoad vixerint, remanere licite valeant. » Ex quibus habes duo: 1° rationem subindicatam cur possit dissolvi huiusmodi matrimonium, quia nempe non est ratum sicut matrimonium christianum, sive minus est firmum matrimonio rato; h. e. non gaudet perfecta firmitate: 2° solvi haec matrimonia auctoritate Romani Pontificis sibi a Deo delegata. Qui enim dispensat et facultatem dispensandi concedit, ipse auctoritate sibi inhaerente vel propria vel delegata effectum producit: ita autem se gessit R. P.

IX. Obiicies duo. I Sententiam esse Benedicti XIV (De. Syn. L. XIII, c. 21) Romanos Pontifices non egisse in his nisi divini iuris interpretes, temperando canonicarum legum rigorem in eo quod pertinet ad iudicialem interpellationem, quae infideli coniugi facienda esset.

Respondeo 1° interpretationem authenticam divini iuris esse et

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ipsam actum quemdam auctoritatis: 2° recipi non posse eam privatam opinionem Benedicti XIV. Interpretatio enim iuris non mutat ius nec novum ius condit; ius autem divinum promulgatum a Paulo aliud est ab hoc iure quod Romanorum Pontificum literis continetur. Nam etsi non constet nolle infidelem sine damno fidelis habitare tum quoque cum cohabitatio utriusque licita est, fit a Romano Pontifice potestas dissolvendi vinculi: quod quidem sola ratione habita privilegii paulini nondum liceret. Nec profecto sufficit ambo iura esse in favorem fidelium; eidem fini enim diversae leges aptari possunt (cf. Ballerini l. c.).

Obiicies 2° matrimonium consummatum infidelium fortius esse matrimonio rato christianorum, quia matrimonium ratum significat eam unionem Christi Domini qua se coniungit animabus iustis: consummatum vero significat unionem Christi cum Ecclesia per assumptionem carnis, ut docet Innocentius III *c. debitum de bigamis*: ideoque matrimonium consummatum est firmius. Atqui etiam matrimonium infidelium consummatum repraesentat unionem Christi cum Ecclesia per incarnationem nam « *sacramentum* coniugii apud fideles et infideles exsistit quemadmodum ostendit Apostolus » ait idem Innocentius c. *Gaudemus de divortiis.*

Respondeo 1° haec non cohaerere cum sententia Gregorii XIII superius relata: 2° si ratio indissolubilitatis matrimonii consummati est solum repraesentatio unionis Christi cum Ecclesia per incarnationem, et ea aeque in consummato infidelium ac fidelium haberi dicitur, dicendum est matrimonium consummatum infidelium esse prorsus etiam extrinsece indissolubile quovis in casu: atqui id falsum est; nam solvitur in favorem conversi ad fidem. 3° Cum dicitur matrimonium ratum repraesentare unionem Dei cum anima iusti, id non est exclusive accipiendum, ut iam monuimus in Th. XXIV; significat enim et ipsum unionem Christi cum Ecclesia per voluntatem et amorem, quae voluntas et amor perpetui sunt (Magist. Sentent. in IV d. 26 n. 6), tum significat quoque, licet minus perfecte, unionem perpetuam Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem: nam mutua obligatio, qua alter alteri suum corpus tradit, ut sit ipsius, satis significat unionem Christi cum Ecclesia per carnem. Quia vero in matrimonio rato eminet vinculum animorum, in consummato vero commixtio carnis, hinc appropriata est matrimonio rato repraesentatio unionis Christi cum Ecclesia per voluntatem, quae unio est quoddam vinculum animorum et in ipsa unione Christi cum Ecclesia locum habet: consummato autem appropriata est repraesentatio unionis per carnis assumptionem. Et quia tandem unio Dei cum Ecclesia per gratiam continet unionem Dei per gratiam cum singulis iustis, quae solubilis est; hinc quoniam aliunde constabat matrimonium ratum identidem solvi posse, ad id declarandum dictum est matrimonium ratum repraesentare unionem Dei cum animabus iustis (q. LXI, a 2 ad 1^m), non exclusa repraesentatione alterius unionis Christi cum Ecclesia, sed exclusa tantum *perfecta* repraesentatione unionis per carnis assumptionem. Ita esse accipiendam hanc explicationem significationis matrimonii rati, ex eo liquet quod cum demonstranda esset solubilitas matrimonii rati ad argumentum proprium h. e. traditionem provocabatur (cf. allata superius), liquet rursus ex eo quod etsi unio Christi Dei per gratiam cum iusto solvatur voluntate hominis, non exinde inferebatur solvi coniugum voluntate posse matrimonium ratum, atque istud excepto casu privilegii a Deo concessi, firmum esse voluerint etsi coniux ordines sacros suscipiat, vel transeat ad infidelitatem, cuius postremi ratio affertur ab Innocentio III, quia matrimonium ratum est Sacramentum.

Itaque 4° respondemus rationem quidem efficientem ut matrimonium consummatum christianorum sit extrinsece quoque indissolubile, esse voluntatem Dei, rationem autem convenientiae qua veluti Deus concipitur determinatus ad id volendum esse repraesentationem unionis Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem, at repraesentationem eam, quae fiat per matrimonium Sacramentum. Quae conditio si desit, minus est firmum non quidem intrinsece sed extrinsece matrimonium. Et quia haec conditio intrinseca praevertit consummationem, ex qua oritur insolubilitas extrinseca et remoto priore removetur consequens; hinc mirum non est matrimonia, quae non sunt rata, minus habere firmitatis quam simpliciter rata. Dignitas scilicet Sacramenti est ea, a qua pendet extrinseca indissolubilitas. « Indissolubilitas matrimonii vinculo convenit maxime quatenus est Sacramentum » ait Pius VII in literis datis ad Archiep. Moguntinum 3ª octob. 1803.

Quocirca 5° etsi non negemus matrimonia etiam infidelium, quae secundum primitivam institutionem fiant, ideoque unitate et indissolubilitate praedita, eademque consummata, repraesentare quadantenus unionem Christi cum Ecclesia, quae significatio matrimonio in ipsa institutione praestituta est: attamen nondum est firma ratio perfectae indissolubilitatis quia deest ratio sacramenti, per quam unio Christi cum Ecclesia significatur perfecto modo h. e. secundum rationem sanctitatis. Innocentius vero III verbis allatis forte aliud dicere voluit; nam ex testimonio Apostoli citato I. Cor. VII, videtur habuisse prae oculis matrimonium contractum inter fidelem et infidelem.

X. Heic rursus quis ansam arripiat arguendi contra superius

statutam indissolubilitatem coniugii, seu contra argumentum suasivum ductum ex ratione; cum iam tot matrimonia etiam consummata facillime solvantur, quin ratio conqueratur.

Respondeo merito rationem a querelis cessare. Nam argumenta, quae ratio afferre potest in favorem matrimonii rite initi, quo nullum praestantius haberi potest, vim suam profecto amittunt si proferantur pro matrimonio imperfecto non exacto ad eam normam, quam Salvator humani generis revocans primam institutionem et eam absolvens praestituit: ut ab Ambrosio dici potuerint matrimonia infidelium non esse a Deo. Sane periculum fidei, quod per se oriretur, maius est malum quolibet alio incommodo manentis in infidelitate.

THESIS XXVII.

Privilegium paulinum non ad eos solos spectat, qui fidem catholicam sequuntur, sed ad omnes qui christianam fidem susceptione baptismi professi sunt.

I. Quaestio fieri potest an paulinum privilegium valeat etiam cum quis infidelis convertitur quidem, at non ad catholicam ecclesiam sed ad sectam haereticam aut schismaticam, e. g. si turca quis schisma graecorum vel anglicanam sectam amplecteretur. Erunt forte quibus videatur pro huiusmodi hominibus privilegium non valere. Nam privilegium dicitur concessum in favorem fidei: atqui in sectis haereticis non est fides, sive haeresis non est fides, sed vitium oppositum fidei. Quid quod Innocentius III c. *Gaudemus cit.* exponens hoc privilegium, mentionem disserte facit fidei catholicae? « si alter, inquit, infidelium ad fidem catholicam convertatur etc. » Et sane quaenam est ratio cur credatur Christus inimicis suis, qui peiores sunt infidelibus paganis (2ª 2ae q. X. a. 6), privilegium concedere voluisse, cum poena ipsis non beneficium debeatur?

II. Nihilominus respondeo quod nisi huiusmodi sectae ita sint prolapsae ut nomen tantum christianismi retinuerint, sint idcirco tales ut in iis adhuc religio veri Dei et christiana professio, etsi vitiata, adhuc vigeant ideoque et baptismus adhuc obtineat, videri nobis pro iis quoque privilegium paulinum valere. Novimus in hanc sententiam affirmantem conscripsisse dissertationem Card. Camillum Tarquini, quae edita tamen non fuit, neque ms. exemplar quivimus reperire. Ratio, qua nos movemur, una est quidem per quosdam tamen veluti gradus procedens. Scilicet privilegium istud innititur tanquam intrinsecae conditioni disparitati cultus: atqui cultus christianus, licet in sectis a catholica ecclesia separatis, dispar reapse est a cultu infidelium sive Iudaei sint sive Pagani: cuius rei certum indicium est quod nullum sit matrimonium haeretici cum pagano aut iudaeo propter impedimentum disparitatis cultus. Ius vero huius privilegii utendi acquiritur eo ipso quod susceptus est baptismus, qui est sacramentum fidei: nam certe non competit hoc ius cathecumenis, etsi perfecte credentibus. Non est ergo sola fides sed professio fidei christianae per baptismum sive aliis verbis sacramentum fidei, quod tale ius confert: atqui et in sectis haereticis aut schismaticis est professio fidei christianae per baptismi susceptionem sive est sacramentum fidei: ergo. Quoad schismaticos quidem nulla in hac re est difficultas: quoad haereticos vero adverte cum s. Thoma 2ª 2ae q. XI a. 1. quod « haeresis est infidelitatis species pertinens ad eos, qui fidem Christi profitentur, sed eius dogmata corrumpunt. » Quamvis ergo in haereticis non sit interior habitus fidei infusae, est tamen exterior professio fidei christianae, etsi vitiatae, et est verum sacramentum fidei, quod est christianae fidei sollemnis professio. Iam vero e mente theologorum ius utendi hoc privilegio ab ipsius baptismi virtute repetitur. « Ille qui ad baptismum accedit, regeneratur in Christo et priori vitae moritur, cum generatio unius sit corruptio alterius. Et ideo liberatur ab obligatione, qua uxori tenebatur reddere debitum et ei cohabitare non tenetur, quando converti non vult (in Suppl. q. LIX. a. 4.) et si non vult cohabitare sine iniuria creatoris.... vir fidelis discedens potest alteri per matrimonium copulari (ibid. a. 5.) ». Igitur omnes baptizati hoc iure gaudent. Tandem tunc matrimonium contractum in infidelitate solvitur, cum conversus aliud init matrimonium: huius autem matrimonii efficacia solet eo pacto explicari, quod « semper firmius vinculum solvit minus firmum, si sit ei contrarium... et matrimonium in infidelitate non est omnino firmum et ratum » (ibid. a. 5. ad 1m) h. e. non est omnino firmum quia non est ratum. Ita ergo res concipitur ut matrimonium alterum solvat id quod praecessit, quia illud, quod conversus init, est ratum. Atqui cuiuscumque baptizati matrimonium est ratum. « Sacramentum fidei, quod semel admissum numquam amittitur, ratum efficit coniugii sacramentum » (c. *quanto cit.*). Si ergo huius communis explicationis ratio habeatur, liquet ibi ius paulini privilegii a theologis agnosci ubi fidei sacramentum fuerit ideoque et in schismaticis et haereticis verum baptismum habentibus.

Hanc profecto esse persuasionem communem Theologorum vel ex eo patet quod cum de privilegio paulino accurate et singillatim disserunt, hanc distinctionem inter christianum catholicum et christianum haereticum ne attingant quidem, sive non quaerant u-

statutam indissolubilitatem coniugii, seu contra argumentum suasivum ductum ex ratione; cum iam tot matrimonia etiam consummata facillime solvantur, quin ratio conqueratur.

Respondeo merito rationem a querelis cessare. Nam argumenta, quae ratio afferre potest in favorem matrimonii rite initi, quo nullum praestantius haberi potest, vim suam profecto amittunt si proferantur pro matrimonio imperfecto non exacto ad eam normam, quam Salvator humani generis revocans primam institutionem et eam absolvens praestituit: ut ab Ambrosio dici potuerint matrimonia infidelium non esse a Deo. Sane periculum fidei, quod per se oriretur, maius est malum quolibet alio incommodo manentis in infidelitate.

THESIS XXVII.

Privilegium paulinum non ad eos solos spectat, qui fidem catholicam sequuntur, sed ad omnes qui christianam fidem susceptione baptismi professi sunt.

I. Quaestio fieri potest an paulinum privilegium valeat etiam cum quis infidelis convertitur quidem, at non ad catholicam ecclesiam sed ad sectam haereticam aut schismaticam, e. g. si turca quis schisma graecorum vel anglicanam sectam amplecteretur. Erunt forte quibus videatur pro huiusmodi hominibus privilegium non valere. Nam privilegium dicitur concessum in favorem fidei: atqui in sectis haereticis non est fides, sive haeresis non est fides, sed vitium oppositum fidei. Quid quod Innocentius III c. *Gaudemus cit.* exponens hoc privilegium, mentionem disserte facit fidei catholicae? « si alter, inquit, infidelium ad fidem catholicam convertatur etc. » Et sane quaenam est ratio cur credatur Christus inimicis suis, qui peiores sunt infidelibus paganis (2ª 2ae q. X. a. 6), privilegium concedere voluisse, cum poena ipsis non beneficium debeatur?

II. Nihilominus respondeo quod nisi huiusmodi sectae ita sint prolapsae ut nomen tantum christianismi retinuerint, sint idcirco tales ut in iis adhuc religio veri Dei et christiana professio, etsi vitiata, adhuc vigeant ideoque et baptismus adhuc obtineat, videri nobis pro iis quoque privilegium paulinum valere. Novimus in hanc sententiam affirmantem conscripsisse dissertationem Card. Camillum Tarquini, quae edita tamen non fuit, neque ms. exemplar quivimus reperire. Ratio, qua nos movemur, una est quidem per quosdam tamen veluti gradus procedens. Scilicet privilegium istud innititur tanquam intrinsecae conditioni disparitati cultus: atqui cultus christianus, licet in sectis a catholica ecclesia separatis, dispar reapse est a cultu infidelium sive Iudaei sint sive Pagani: cuius rei certum indicium est quod nullum sit matrimonium haeretici cum pagano aut iudaeo propter impedimentum disparitatis cultus. Ius vero huius privilegii utendi acquiritur eo ipso quod susceptus est baptismus, qui est sacramentum fidei: nam certe non competit hoc ius cathecumenis, etsi perfecte credentibus. Non est ergo sola fides sed professio fidei christianae per baptismum sive aliis verbis sacramentum fidei, quod tale ius confert: atqui et in sectis haereticis aut schismaticis est professio fidei christianae per baptismi susceptionem sive est sacramentum fidei: ergo. Quoad schismaticos quidem nulla in hac re est difficultas: quoad haereticos vero adverte cum s. Thoma 2ª 2ae q. XI a. 1. quod « haeresis est infidelitatis species pertinens ad eos, qui fidem Christi profitentur, sed eius dogmata corrumpunt. » Quamvis ergo in haereticis non sit interior habitus fidei infusae, est tamen exterior professio fidei christianae, etsi vitiatae, et est verum sacramentum fidei, quod est christianae fidei sollemnis professio. Iam vero e mente theologorum ius utendi hoc privilegio ab ipsius baptismi virtute repetitur. « Ille qui ad baptismum accedit, regeneratur in Christo et priori vitae moritur, cum generatio unius sit corruptio alterius. Et ideo liberatur ab obligatione, qua uxori tenebatur reddere debitum et ei cohabitare non tenetur, quando converti non vult (in Suppl. q. LIX. a. 4.) et si non vult cohabitare sine iniuria creatoris.... vir fidelis discedens potest alteri per matrimonium copulari (ibid. a. 5.) ». Igitur omnes baptizati hoc iure gaudent. Tandem tunc matrimonium contractum in infidelitate solvitur, cum conversus aliud init matrimonium: huius autem matrimonii efficacia solet eo pacto explicari, quod « semper firmius vinculum solvit minus firmum, si sit ei contrarium... et matrimonium in infidelitate non est omnino firmum et ratum » (ibid. a. 5. ad 1m) h. e. non est omnino firmum quia non est ratum. Ita ergo res concipitur ut matrimonium alterum solvat id quod praecessit, quia illud, quod conversus init, est ratum. Atqui cuiuscumque baptizati matrimonium est ratum. « Sacramentum fidei, quod semel admissum numquam amittitur, ratum efficit coniugii sacramentum » (c. *quanto cit.*). Si ergo huius communis explicationis ratio habeatur, liquet ibi ius paulini privilegii a theologis agnosci ubi fidei sacramentum fuerit ideoque et in schismaticis et haereticis verum baptismum habentibus.

Hanc profecto esse persuasionem communem Theologorum vel ex eo patet quod cum de privilegio paulino accurate et singillatim disserunt, hanc distinctionem inter christianum catholicum et christianum haereticum ne attingant quidem, sive non quaerant u-

trum soli catholici an alii quoque baptizati eo privilegio fruantur. Cuius omissionis ratio nulla esse potest praeter hanc, quia nimirum omnibus evidens erat fratrem et sororem fidelem, de quibus loquitur Paulus, eosdem esse ac baptizatos.

III. Quid itaque dicendum ad ea, quae pro contraria fuerunt opinione proposita? Ad primum respondemus quod professio fidei christianae ac sacramentum fidei in sectis quoque haereticis ac schismaticis reperitur: fides autem, in cuius favorem dicitur concessum privilegium, est professio fidei christianae, est sacramentum fidei. Nihilominus, quia Deus per se non vult esse nisi professionem fidei christianae catholicae, concedere licet quod primo et per se (prioritate naturae non temporis) privilegium hoc concessum sit professioni fidei christianae baptismoque suscepto in Ecclesia catholica, secundario vero propter identitatem baptismi et genericam communionem in professione fidei christianae extensum sit quoque ad sectas haereticas. Sane si (per impossibile) solae sectae haereticae exstarent, non ecclesia catholica, non putamus ullum privilegium illis concessurum fuisse Deum. Ad secundum respondemus quod Innocentius nominat ibi fidem catholicam eo quod ibid. prius de eadem mentio occurrerat et quaestio Pontifici proposita versabatur reapse in hoc facto, quod quis infidelis ad catholicam esset conversus. Quocirca historice tantum illud appositum *catholica* additur *fidei* ab Innocentio, non autem dogmatice, ut determinet conditiones necessarias pro valore privilegii: quapropter neque exclusive ea verba accipienda sunt. Ad tertium dicimus quod privilegium non propter haeresim aut schisma sed propter fidei christianae professionem ac baptismum concessum est. Etsi autem personae malae sint, id non impedit quominus quae ex voluntate Dei consequuntur baptismum nec statum iustitiae requirunt, ab iisdem habeantur, quemadmodum haberi possunt a malis quoque catholicis. Quod autem affirmatur de maiore malitia haereticorum quam paganorum, id verum est si crimina spectes subiective: sed si obiective conferas cultum paganum aut iudaicum post Christum cum professione christianae religionis, etsi in quibusdam dogmatibus corruptae, illud profecto falsum est. Cf. s. Thom. 2ª 2ae q. cit.

SCHOLION.

I. Doctrina est definita a Trid. cn. 8. Ecclesiam non errare cum ob multas causas separationem inter coniuges quoad torum, seu quoad cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit. Qua in re advertendum causas istas ad tria genera revocari, h. e. *mutuum consensum, periculum grave animae aut corporis et crimen*. Crimen quidem triplex distinguitur, nempe adulterium alterius, apostasia a vera religione sive per infidelitatem sive per haeresim, seductio ad peccatum ita ut qui seducitur in periculo peccandi versetur: hoc vero tertium ad secundum ex tribus generibus redit. Porro primum ex his criminibus est causa separationis propria et intrinseca matrimonio; aliae autem causae sunt communes aliis societatibus, ideoque veluti extrinsecae matrimonio: infidelitas tamen, quae dicitur quoque spiritualis fornicatio, est speciatim contra bonum matrimonii, quod est proles educanda ad cultum Dei (q. LXII, a. 1. ad 3). Item quoad primum crimen sufficit unus actus, et est ratio perpetuae separationis ita ut, etiamsi resipiscat coniux peccans, non teneatur innocens redire, nisi et ipse fornicetur (*c. Ex literis De Divortiis*), sed possit e. g. perpetuam continentiam vovere vel religionem ingredi. In aliis vero criminibus consuetudo quaedam requiritur, et sunt causae per se temporales, quibus cessantibus, tenetur innocens poenitenti reconciliari. (*c. De illa De Divortiis*. cf. s. Thomam l. c.). Tum advertendum separationem quoad torum, cum res privata sit, propria voluntate fieri posse; separationem vero quoad habitationem, cum res publica sit, indicio Ecclesiae fieri debere (*c. Porro De Divortiis*).

II. Iam vero licite fieri ob has causas separationem quoad torum vel habitationem, manente vinculo coniugali, probatur 1) quia nulla est repugnantia quod retento dominio amittatur ob aliquas causas, sive ex voluntate sua sive ex legis dispositione, usus rei sive ius proximum ad usum: 2) quia ex Evangelio docemur posse ob eas causas fieri huiusmodi divortium. Nam divortium, quod ex mutuo consensu fiat, licitum esse indicatur iis verbis Christi Matth. XIX, 29. Omnis qui reliquerit domum..... uxores aut filios etc., centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit. Cf. *titulum de Conversione coniugatorum*. Divortium ex causa criminis licitum supponit Apostolus 1 Cor. VII. 11. ubi, ut iam notavimus, de discessione ob iustam causam est sermo. Causam fornicationis probat Christus Matth. V. 32, accepta sententia Christi secundum communiorem interpretationem, ubi dimissio, quae conceditur, non est quoad vinculum; quia qui dimissam ducit moechatur: conceditur autem aliqua propter fornicationem; qui enim propter eam dimittit uxorem, non ei imputatur crimen adulterii, quod postea commissura sit eius uxor, sicut imputatur illi, qui innocentem dimittit; non ergo peccat, sed licite agit: porro dimissio non est sola separatio quoad torum, sed et quoad habitationem. Causam apostasiae a fide cum periculo perversionis alterius indicavit generatim Paulus ad Titum III. 10. Cf. *c. ult. De Convers. Coniug. et c. 2 De Divortiis*. Causam seductionis ad

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

peccandum probat Christus Matth. XVIII, 9. Si oculus tuus scandalizat te, erue eum et proiice abs te, quod et de coniuge intelligendum etiam esse ratio probat. Causam periculi gravis corporis ut periculi vitae, mutilationis, frequentium intollerabilium saevitiarum, probat ratio naturalis: *Cf. c. 13 in fine De Restitutione Spoliatorum.*

Haec proinde doctrina non est nova, tum quia in Evangelio et ab Apostolo, tum quia a Patribus traditur, ut ex testimoniis eorum superius citatis constare potest. Idem confirmatur a iure canonico Ecclesiaeque continua praxi.

III. Neque adversatur Evangelio, quod unius fornicationis meminit, si vera est ea interpretatio; ea enim mentio non est exclusiva, cum aliae causae alibi in Evangelio satis indicentur: sed ea tantum explicite indicatur, quia causam propriam et intrinsecam eandemque perpetuam Christus significare voluit; cum ceterae causae per se perpetuae non sint, sed iis cessantibus revocandi sint coniuges. Neque legi morali opponitur quod maneat vinculum facta separatione; nam 1) gratia Dei semper adest, qua possit haec iactura patienter tolerari: 2) si conferantur mala, quae ex perpetuitate vinculi, eiusque dissolutione promanare possunt, multo maiora sunt ea quae ex dissolutione orirentur utpote contra bonum maius h. e. familiae, societatis, religionis et contra bonum Sacramenti. Cf. Th. XXIII.

Cetera quaere penes Canonistas.

CAPUT IV.

DE POTESTATE STATUENDI IMPEDIMENTA MATRIMONII CHRISTIANI IN IISQUE DISPENSANDI

Praenotiones.

Matrimonium Christianum est, cum initur, contractus (quemadmodum diximus superius, Th. I. et Quaest. 1ª p. 95. coll. Th. XXIII n. II.) et est Sacramentum. Utramque rationem seorsim spectare licet. Itaque si sola ratio contractus consideretur, quae proprie viget in matrimonio *in fieri,* ipse 1) est *contractus naturalis*; ad eum enim excitat ipsa natura, in cuius officium est (q. XLI, a. 1), ipseque praecessit omnem publicam societatem, cuius est per familiam origo; valideque proinde iniri potuit absque ope vel auctoritate alicuius publicae potestatis.

2º) Cum vero *contractus* idem ab hominibus in societate exsistentibus fit, ipse sicut ceteri contractus ii quoque qui iure naturae fiunt, subordinatur publicae auctoritati regenti eam societatem, in qua contractus fit. Haec sane est lex generalis contractuum. Nam natura non omnia ἐν ἀτόμῳ determinavit, quae requiruntur ut in quovis casu contractus, qui iure naturae fiunt, fiant ut oportet; sed reliquit determinationi publicae auctoritatis vim coactivam habentis, quae propter bonum ipsum hominum adunatorum habet a Deo potestatem constituendi formam, secundum quam naturales contractus et licite et valide fiant. Porro neque quoad ineundum contractum matrimonialem vel natura vel eius institutor omnia singillatim determinavit; quoad gradus e. g. consanguinitatis, affinitatis, quoad personas sacras, criminosas, etc. in quibus sola ratio, spectata rei natura, nihil quoad plura constituit oportere vel non oportere permitti coniugium. Eadem proinde ratio docet oportere exsistere regulam in societate, qua id determinetur. Plures enim occurrunt casus, in quibus, etsi inspecto solo iure naturali coniugii, matrimonium iniri posse videatur, inspectis tamen aliis iuribus, quae ex aliarum essentiarum relationibus oriuntur, repugnantia quaedam statim apparet ut ipsum licite aut valide quoque fiat. Neque auctor naturae et coniugii institutor quoad omnia sufficienter positiva lege determinavit. Cum ergo oporteat normam exsistere certam, secundum quam ab omnibus in tot diversis adiunctis recte fiat hic contractus, sequitur auctoritatem publicam alicuius societatis, in qua idem contractus initur, potestatem habere praestituendi formam, secundum quam licite et valide fiat; ergo contractus matrimonii publicae auctoritati subordinatur eius societatis, in qua fit. Neque de hac re quaestio est inter Theologos, Philosophos legumque peritos, qui disputant quidem cui auctoritati sub Deo subsit hic contractus, concedunt tamen omnes aut supponunt alicui subesse. Quocirca opus non est nobis multum in hac re immorari, praesertim quia de eadem re redibit necessario sermo cum auctoritatem Ecclesiae in specie demonstrare oportebit.

3º) Iam vero potestas constituendi formam secundum quam valide contractus fiat, est simul potestas irritandi contractus aliter factos. *Irritare* autem *contractum matrimonialem est impedire ne mutuus consensus contrahentium sit efficax seu sufficiens ad transferendum corporum dominium, sive est personas inhabiles reddere ad contrahendum.* Prior dicitur irritatio directa, altera indirecta (Sanchez L. III. D. 4.). Cum vero haec altera irritatio habetur, prior quoque consequenter adest. Cum enim personae sunt inhabiles, eorum consensus nihil facit. Utriusque modi meminit Trid. Decret. De Matrimonio clausula irritante.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

peccandum probat Christus Matth. XVIII, 9. Si oculus tuus scandalizat te, erue eum et proiice abs te, quod et de coniuge intelligendum etiam esse ratio probat. Causam periculi gravis corporis ut periculi vitae, mutilationis, frequentium intollerabilium saevitiarum, probat ratio naturalis: *Cf. c. 13 in fine De Restitutione Spoliatorum.*

Haec proinde doctrina non est nova, tum quia in Evangelio et ab Apostolo, tum quia a Patribus traditur, ut ex testimoniis eorum superius citatis constare potest. Idem confirmatur a iure canonico Ecclesiaeque continua praxi.

III. Neque adversatur Evangelio, quod unius fornicationis meminit, si vera est ea interpretatio; ea enim mentio non est exclusiva, cum aliae causae alibi in Evangelio satis indicentur: sed ea tantum explicite indicatur, quia causam propriam et intrinsecam eandemque perpetuam Christus significare voluit; cum ceterae causae per se perpetuae non sint, sed iis cessantibus revocandi sint coniuges. Neque legi morali opponitur quod maneat vinculum facta separatione; nam 1) gratia Dei semper adest, qua possit haec iactura patienter tolerari: 2) si conferantur mala, quae ex perpetuitate vinculi, eiusque dissolutione promanare possunt, multo maiora sunt ea quae ex dissolutione orirentur utpote contra bonum maius h. e. familiae, societatis, religionis et contra bonum Sacramenti. Cf. Th. XXIII.

Cetera quaere penes Canonistas.

CAPUT IV.

DE POTESTATE STATUENDI IMPEDIMENTA MATRIMONII CHRISTIANI IN IISQUE DISPENSANDI

Praenotiones.

Matrimonium Christianum est, cum initur, contractus (quemadmodum diximus superius, Th. I. et Quaest. 1ª p. 95. coll. Th. XXIII n. II.) et est Sacramentum. Utramque rationem seorsim spectare licet. Itaque si sola ratio contractus consideretur, quae proprie viget in matrimonio *in fieri,* ipse 1) est *contractus naturalis*; ad eum enim excitat ipsa natura, in cuius officium est (q. XLI, a. 1), ipseque praecessit omnem publicam societatem, cuius est per familiam origo; valideque proinde iniri potuit absque ope vel auctoritate alicuius publicae potestatis.

2º) Cum vero *contractus* idem ab hominibus in societate exsistentibus fit, ipse sicut ceteri contractus ii quoque qui iure naturae fiunt, subordinatur publicae auctoritati regenti eam societatem, in qua contractus fit. Haec sane est lex generalis contractuum. Nam natura non omnia ἐν ἀτόμῳ determinavit, quae requiruntur ut in quovis casu contractus, qui iure naturae fiunt, fiant ut oportet; sed reliquit determinationi publicae auctoritatis vim coactivam habentis, quae propter bonum ipsum hominum adunatorum habet a Deo potestatem constituendi formam, secundum quam naturales contractus et licite et valide fiant. Porro neque quoad ineundum contractum matrimonialem vel natura vel eius institutor omnia singillatim determinavit; quoad gradus e. g. consanguinitatis, affinitatis, quoad personas sacras, criminosas, etc. in quibus sola ratio, spectata rei natura, nihil quoad plura constituit oportere vel non oportere permitti coniugium. Eadem proinde ratio docet oportere exsistere regulam in societate, qua id determinetur. Plures enim occurrunt casus, in quibus, etsi inspecto solo iure naturali coniugii, matrimonium iniri posse videatur, inspectis tamen aliis iuribus, quae ex aliarum essentiarum relationibus oriuntur, repugnantia quaedam statim apparet ut ipsum licite aut valide quoque fiat. Neque auctor naturae et coniugii institutor quoad omnia sufficienter positiva lege determinavit. Cum ergo oporteat normam exsistere certam, secundum quam ab omnibus in tot diversis adiunctis recte fiat hic contractus, sequitur auctoritatem publicam alicuius societatis, in qua idem contractus initur, potestatem habere praestituendi formam, secundum quam licite et valide fiat; ergo contractus matrimonii publicae auctoritati subordinatur eius societatis, in qua fit. Neque de hac re quaestio est inter Theologos, Philosophos legumque peritos, qui disputant quidem cui auctoritati sub Deo subsit hic contractus, concedunt tamen omnes aut supponunt alicui subesse. Quocirca opus non est nobis multum in hac re immorari, praesertim quia de eadem re redibit necessario sermo cum auctoritatem Ecclesiae in specie demonstrare oportebit.

3º) Iam vero potestas constituendi formam secundum quam valide contractus fiat, est simul potestas irritandi contractus aliter factos. *Irritare* autem *contractum matrimonialem est impedire ne mutuus consensus contrahentium sit efficax seu sufficiens ad transferendum corporum dominium, sive est personas inhabiles reddere ad contrahendum.* Prior dicitur irritatio directa, altera indirecta (Sanchez L. III. D. 4.). Cum vero haec altera irritatio habetur, prior quoque consequenter adest. Cum enim personae sunt inhabiles, eorum consensus nihil facit. Utriusque modi meminit Trid. Decret. De Matrimonio clausula irritante.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

4º) Quare de iure naturae quidem est ut legitimus consensus sit efficax; quinam autem sit legitimus non determinat sola natura; unde *contractus quoad esse formale seu valorem pendent quoque a publica auctoritate,* quae ultimo et in individuo praescribit formam validi contractus; qua posita contractus ii quoque, qui aliter fiant, quique, si solum ius naturae vigeret, validi essent (eo quod ius naturae primariis praeceptis eos non prohibet, relinquit tamen auctoritati sociali vel superiori prohibendum, dictans esse minus decentes) nulli sunt, non adversante auctoritate publica iuri naturae, sed illud declarante et determinante.

5º) Ita materia et forma contractus matrimonialis est (Th. XIII.) *consensus mutuus verbis expressus efficax,* quo nempe fiat mutua dominii in corpora traditio: *valor* autem seu efficacia pendet quoque a contrahendi modo sive forma, quae a publica auctoritate statuatur.

6º) Finis vero huius contractus est mutua potestas ad carnalem copulam, cuius potestatis finis ex naturae lege est procreatio et educatio prolis, qua humanum genus propagatur et actio creationis eiusdem veluti continuatur. Quia vero adaequata ratio cur homines exsistant est gloria Dei, quam procurando et obtinendo in se ipsis homines quoque felices fiant, cui rationi cetera subordinantur ut media, etiam ipsa exsistentia in societate; hinc fit ut *finis hic matrimonii necessario sit procreatio et educatio prolis ad cultum et honorem Dei,* et proinde potestas illud regens sit, quatenus talis, potestas religiosa, sive alia haec sit a potestate suprema civili, sive non sit, ut posset contingere in pura natura; de hac enim distinctione modo non disputamus.

II. Si vero consideretur ratio Sacramenti, matrimonium Christianum 1) est certe *res sacra,* cuiusmodi est prae omnibus sacramentum. Porro 2) ita est res sacra, ut *non sit aliquid mixtum ex re pure naturali et re sacra tamquam ex duobus elementis; sed est res physice simplex, intrinsece et essentialiter sacra, retinens quidem entitatem naturae sed supernaturaliter elevatam.* Nimirum *esse sacrum* non est aliqua natura aut substantia, sed est quidam modus rei quae est aliqua natura: unde ut aliquid sit intrinsece sacrum postulari nequit ut ipsum sit tantummodo sacrum, non aliquid naturae, quod absurdum foret: quid sane magis sacrum Christi Humanitate? quae tamen est certe res naturae. Falluntur ergo qui probare volunt matrimonium christianum esse mixtum ex re naturali et re sacra, quia manet in ipso ratio et res naturae. Et sane *mixtum ex re naturali et re sacra supponit* duo elementa realiter distincta quamvis unita, quorum prius sit res *pure* naturalis, h. e. carens modo qui est *esse sacrum;* si enim hunc modum habet, iam esse sacrum non est alia

res, sed una. Atqui non esse huiusmodi mixtum matrimonium christianum constat ex Th. X, in qua probatum est eandem esse rem contractum et sacramentum. Est ergo idem matrimonium res physice simplex, cui simplicitati profecto non obstat multiplicitas rationum seu formalitatum: quid enim simplicius Deo? Haec autem res simplex est intrinsece et essentialiter sacra. Ut aliquid sit tale requiritur ut *ratio sacri* sit modus ipsius, qui de ipso in recto praedicetur, sit modus absolutus, non pura relatio, sit modus necessarius, sine quo ipsum esse nequeat: atqui matrimonium christianum ita est sacramentum, ut esse sacramenti de ipso in recto praedicetur; vere enim dicitur: matrimonium est sacramentum. Hoc esse sacramenti est modus absolutus non pura relatio, huc enim redit ut sit efficax gratiae et habeat talem formam quae sit fundamentum similitudinis inter ipsum et unionem Christi et Ecclesiae. Tandem hoc esse Sacramenti est inseparabile a matrimonio christiano, nam non exsistente hoc modo, neque est res h. e. non est matrimonium seu contractus matrimonialis. Cf. Th. X. Manet ergo res naturae, sed supernaturaliter elevata, h. e. intrinsece et essentialiter effecta Sacramentum, ideoque res sacra.

3). Certum est autem quod Ecclesia nihil possit in materias et formas Sacramentorum a Christo institutas, quatenus nequit iis alias substituere et nequit efficere ut iis cum debita intentione positis non sit Sacramentum: at administratio Sacramentorum ipsi Ecclesia concredita est et ad ipsam spectat statuere modum et formam, qua licite administretur deque eorumdem exsistentia et valore iudicium ferre.

4). Est vero maxime notandum discrimen inter materiam et formam Sacramenti matrimonii et ceterorum Sacramentorum. Materia enim et forma matrimonii non est solus consensus, sed *consensus efficax,* potest autem esse verus consensus quin sit efficax, eiusque efficacia pendere potest a publica aliqua auctoritate, quae contractui formam praescribat: quare defectus potestatis in ipsas materias et formas sacramentorum non excludit potestatem adsignandi formam contractui et irritandi illum; ea enim stabiliuntur conditiones, quibus positis sit ipsa materia et forma sacramenti, quibus deficientibus non sit. Quare huiusmodi legibus adsignantibus formam mutatur *materialiter* non *formaliter* materia et forma Sacramenti: formaliter enim semper est *consensus mutuus expressus significans et efficiens traditionem potestatis.* Quemadmodum (ait Sanchez l. c.) si Ecclesia efficere posset ut haec vox *corpus* non amplius significaret quod significat, sed id ab alio termino tantum significaretur, tunc Ecclesia efficeret ut non amplius vox corpus, sed hic novus

terminus spectaret ad formam Eucharistiae: mutatio tamen esset tantum materialis non formalis; significatio enim maneret eadem, qua est ratio formalis cur vox *corpus* spectet ad formam Eucharistiae.

5). Quocirca potestas Ecclesiae administrandi Sacramentum matrimonii, potest etiam se porrigere, nisi aliud obstet, ad hoc ut formam adsignet contractui valido et irritet aliter factum. Qua de re plenius deinceps erit disputandum.

6). Haec vero potestas (ut eius notionem adumbremus) duplicem actum, utrumque positivum habet. Irritat enim contractus factos praeter formam a se praescriptam et probat ratosque habet contractus factos secundum eam formam. Haec autem probatio vel explicita vel saltem implicita necessaria est quoad eos contractus, qui a potestate legislativa possunt irritari, quando reapse ei potestati subsint. Si enim a potestate legislativa possunt irritari, nondum naturae ius determinavit ultimo eorum valorem independenter ab ea potestate: sed dedit quidem eis possibilitatem ut validi essent, quoad actualem vero valorem veluti indifferentes reliquit determinandos a potestate legislativa, cui contrahentes subsint; secus enim nec possent ab hac irritari: nequit enim ius positivum humanum efficere invalidum id quod ius naturae vult esse validum. Permissio proinde vel sola potestatis huius quod ii contractus actu valeant, confert ipsis eam determinationem, quam a sola natura non habent; unde et ea permissio actus est quoad valorem positivus, cum sit causa eademque necessaria effectus positivi. Quare cum potestas competens adsignat formam pro valore contractus, duplicem exerit actum, nempe impedit ne valeant aliter initi sive eos irritat, atque probat validosque efficit eos qui fiant iuxta eam formam; ita ut qui eos contractus reprobaret, non solum contra ius naturae, sed et contra ius illius potestatis ageret.

7). Talis potestas non fertur immediate in ipsum vinculum, quod nullum reddat, si sit, neque immediate fertur in materiam et formam exsistentis Sacramenti, quarum effectum impediat, si actu sint, *sed fertur immediate in consensum vel personas, qui potest esse validus et invalidus, quae possunt esse habiles vel inhabiles,* easque conditiones vel formam statuit, quibus ille sit validus, hae sint habiles: ideoque mediate tantum materiam formamque Sacramenti, quam contrahentes ponunt, et vinculum quod sequitur, attingit. Immediate enim forma et materia a contrahentibus ponitur: ea vero potestas conditiones antecedenter statuit, quibus servatis possint contrahentes validum inire contractum.

III. His positis ingrediamur quaestionem. Quaestio non est utrum sit in societate christiana potestas constituendi formam contractus

matrimonialis; sed quaestio est de subiecto huius potestatis. Haec quaestio duplex esse potest, nempe de potestate statuendi formam *pro honestate actus,* seu constituendi impedimenta impedientia, et de potestate statuendi formam *pro valore actus,* seu constituendi impedimenta dirimentia. Dicuntur porro impedimenta dirimentia, quia impediunt ne vinculum exsistat, efficiuntque ut personae, quae videntur copulatae, si matrimonium sit attentatum, sint reapse dissociatae sicut prius debeantque separari. De prima non est opus ut seorsim disputemus, tum quia eam Ecclesiae, cuius auctoritatem defensuri sumus, nemo negat, tum quia ex dicendis pro altera quaestione satis res comperta erit. Quaestio altera a nobis disputanda tripliciter distingui potest 1). An Ecclesiae competat huiusmodi potestas: 2) an competat iure suo: 3) an competat soli. Affirmativa sententia duplici argumentorum genere probari potest, nempe demonstratione demonstrante *quod ita res est,* et demonstrante *cur ita res sit.* Excludenda est autem primum inepta quaedam imaginatio Launoii (in Opere de Regia potestate in matrimonium p. I. a IV. c. 4 et a II. c. 8). Sit itaque

THESIS XXVIII.

In can. 4 Trid. (si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse. A. S.) Ecclesiae nomine non reges ac seculi principes, sed sacer principatus significatur: is autem canon dogmaticus est.

I. Docemus scilicet quod non ideo dicitur Ecclesia posse, quia aliqui, qui ad corpus Ecclesiae spectant, iique vel determinati, nempe reges, vel indefinite accepti, sive Sacerdotes sive reges, id possunt, sed quia sacer Principatus seu corpus Pastorum, qui Apostolis succedunt, vel Romanus Pontifex eorum caput, auctoritas nempe ecclesiastica, quae a Christo Apostolis eorumque successoribus communicata fuit, eaque sola id potest.

Unicum argumentum multipliciter propositum interpretationis Launoianae (supposito quidem, quod demonstrasse se putat, ius statuendi impedimenta matrimonii etiam christianorum, esse per se civile) in eo est quod Ecclesia numquam definita sit coetus Sacerdotum primi aut secundi ordinis, sed *fidelium congregatio:* immerito proinde ea definitio substituitur termino *Ecclesia* in canone. Novo scilicet et inusitato modo locuta esset tridentina Synodus, si nomine Ecclesiae intellexisset Sacerdotes primi ordinis aut etiam secundi ordinis. Quod argumentum dialecticis quoque luminibus

exornat Launoius. Ait enim *suppositionem* esse *simplicem* nominis Ecclesiae, cum accipitur de coetu fidelium, quia haec est eius immediata definitio: *suppositionem* vero esse *personalem,* cum intelliguntur quaedam personae. Atqui nequit fieri transitus a suppositione simplici ad personalem: ergo.

II. Advertendum est errare Launoium in Ecclesiae definitione. In Tom. V. operum suorum p. 2 epistolarum L. 8 exstat epist. 13 ad Nicolaum Gatinaeum. In ea pluribus refellit definitionem Ecclesiae datam a Bellarmino, quam dicit esse contra dialecticae leges, eamque pertinere ad explicandum statum ac regimen Ecclesiae, non ad explicandam eius naturam. Contendit autem ex Scripturis et perpetua traditione definiendam esse Ecclesiam *coetum fidelium* seu *catholicorum*. Quasi vero regimen et auctoritas in societate esset aliquid accidentale, ad eius intrinsecam naturam non spectans, aut ut Ecclesia Christi sit satis foret exsistere homines in eandem fidem coeuntes, ut volunt Protestantes. Est quidem Ecclesia fidelium coetus, at multipliciter potest haberi plurium coetus: est autem de essentia huius fidelium coetus a Christo instituti ut adunetur regimine et auctoritate apostolica vicaria Christi, quae viguit primum in Apostolis et deinde in eorum successoribus Episcopis ac praecipue et plenissime in Petro eiusque successoribus Romanis Pontificibus, quibus oves Christi subiectae constituunt eum fidelium coetum, qui est Ecclesia Christi. Sed de hac re in tractatu de Ecclesia.

III. Ineptam vero esse et falsam interpretationem Launoii facile demonstratur. Et primo quidem negatur consequentia illius argumenti. Si enim ex eo quod Ecclesia est coetus fidelium, non sequitur nomine Ecclesiae intelligi in canone *Sacerdotes,* qui sunt Ecclesiae pars, cur intelligendi erunt Reges, qui sunt pars nec necessaria, nec aeque nobilis? Consequens erit penes fideles esse hanc potestatem et idcirco ad multitudinem fidelium simul collectam spectare ius statuendi formam contractus matrimonialis eandemque posse hanc suam potestatem delegare aliis tanquam suis ministris: sed cur (hac quidem facta falsa hypothesi) ipsa suam potestatem potius delegaverit regibus, qui deesse possunt in Ecclesia et qui in Ecclesia sunt simplices fideles, non autem Sacerdotibus, qui ad Ecclesiam spectant prout Ecclesia est eiusque sunt pars necessaria, nondum constat et oblitus est Launoius declarare. Supponitur quidem ius hoc esse per se civile idque esse demonstratum, sed praeterquamquod demonstratum id non est; licet ne non solum se defendenti sed arguenti, ut facit heic Launoius in interpretatione huius canonis, derivare argumento suo vim ab hypothesi, quam adversarii negant, et qua seposita, nulla est vis argumenti?

Deinde non intelligimus cur hac posita interpretatione, eos, qui in can. 12 dicuntur iudices *ecclesiastici,* concedat Launoius esse iudices ex ordine sacerdotali vel ab eo habentes auctoritatem; si enim Ecclesia non est nisi coetus fidelium, iudices ecclesiastici erunt iudices ex fidelibus, seu quilibet fideles.

Verum his ineptiis omissis, quis non videt quod cum inducitur Ecclesia ferens leges, nomen *Ecclesiae* trahitur ex usu communi loquendi ad supponendum pro Ecclesia regente, sicut nomen regni, imperii, civitatis, secundum verba Christi Matth. XVIII. 17.

IV. Et sane nonne obiectum canonis est potestas simul et infallibilitas in usu huius potestatis (*potuisse* constituere, *non errasse* in iis constituendis)? atqui subiectum potestatis simul et infallibilitatis est solum Ecclesia regens et docens, non reges aut civiles potestates aut populus fidelium. Quid vero proscribitur in hoc canone? Error Lutheri, qui negavit Ecclesiae h. e. Romanae Sedi potestatem constituendi impedimenta dirimentia; eam tamen non negavit seculi principibus. « Coniunctio viri et mulieris est finis divini, quae tenet quocumque modo contra leges hominum contingerit debentque ei leges hominum cedere sine ullo scrupulo (De Captiv. Bayl. De matrimonio) »: hos homines deinceps vocat *romanenses tyrannos*. Tum in Responsione extemporaria ad articulos, quos magistri nostri ex Babyl. captivitate excerpserunt, ad illud doctrinae caput « Christianis nihil ullo iure posse imponi legum sive ab homine sive ab Angelis, nisi quantum volunt », ait ipse« hoc non de civilibus legibus sed de ecclesiasticis dixi. » Non ergo asserenda erat a Patribus potestas civilis, quae non negabatur, sed ecclesiastica propria sacerdotum, quae sola negabatur.

Quid quod idem evidenter patet ex ipsa practica interpretatione, quam Concilium praestitit suo canoni? Nam ipsum Concilium deinde auctoritate sua constituit impedimenta nova dirimentia, et vetera quaedam temperavit statuitque praeterea valere matrimonia filiorum sine consensu parentum inita, etsi Principes quidam secus vellent, ut Rex Galliarum, et acriter instarent pro opposita deliberatione. Facto ergo suo Patres Tridentini interpretati sunt canonem suum. Cur enim Patres, qui censebant ius hoc competere Regibus, his non auditis, nullave habita ratione eorum voluntatis aut desiderii, decernunt absolute quod sibiipsis placet? Cur reges acquieverunt? Ceterum in tota hac materia de matrimonio Ecclesia, cui auctoritas vel potestas aliqua circa Sacramentum Matrimonii adseritur, est semper Ecclesia regens et docens, cf. cann. 7, 8, 12, eademque intelligitur iis verbis: celebratio matrimonii *in facie Ecclesiae*: intelligitur enim talis celebratio, quae fiat ante qualificatum testem ab ipsa Ec-

UNIVERSIDAD AVEMARIA
UNIVERSIDAD PONTIFICIA ROMANA AVEMARIANA ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

clesia regente constitutum, quaeque publica sit ut innotescat vel per se innotescere possit matrimonium Ecclesiae regenti, quae de causis matrimonialibus iudicium ferre debet. Haec enim forma celebrationis praescripta est, quia malo ex clandestinis coniugiis orto *Ecclesia, quae* de occultis non iudicat, occurrere non potest. Decr. De Reform. Matrim.

V. Subdimus quod canon iste dogmaticus est. Agitur enim de iure Ecclesiae et de infallibilitate eiusdem in exercitio huius iuris: atqui ius et infallibilitas obiectum sunt dogmatis et a disciplina praesupponuntur ut causa eius: non ergo sunt res disciplinares. Praeterea non agitur de eo qui inobediens sit, sed de eo qui affirmet Ecclesiae deesse hanc potestatem vel eam errasse in eius usu; at affirmatione vel negatione *veritas* impugnatur: agit ergo Concilium de *statuenda veritate*, quae dogma est, non disciplina. Conf. Tractatum Card. Gerdil De Matrimonio. Oper. Tom. XV. Romae 1809. P. II. §. 5.

Quod autem de cn. 4° diximus, idem et de 3° dicendum est, quod sic se habet: si quis dixerit eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui levitico (c. XVIII) exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare, aut constituere ut plures impediant et dirimant: A. S.

Vides proinde argumentum nos non colligere ex eo quod sub anathematis poena canones statuantur; quis enim ignorat et transgressiones legis posse plecti anathemate? sed ex eo quod obiectum canonis sit doctrina et veritas asserenda et credenda.

THESIS XXIX.

Historice constat Ecclesiam arbitrio suo statuisse impedimenta dirimentia matrimonium christianorum.

I. Rem tantum historice factumque solum nunc spectamus. Iure ne an iniuria id Ecclesia fecerit, diudicandum erit in seqq. Thesibus. Modo quoniam adversarii, inter quos praecipuus post Marcum Antonium De Dominis eminet Ioannes Launoius, contendunt omnia impedimenta primum a seculari potestate constituta fuisse, et sic in Ecclesia vim obtinuisse, demonstrare volumus falsitatem historicam huius opinionis, quae tamen fundamentum est omnis doctrinae adversariorum. Ut vero haec historica thesis demonstretur praemittenda sunt quaedam.

1° Auctoritatis seu iurisdictionis Ecclesiasticae duplex functio est distinguenda, altera, qua authentice proponit divinam doctrinam di-

vinamque legem iubetque illam credi, hanc observari; altera qua ex vi potestatis sibi collatae divinitus sancit Ecclesia leges positivas, quas observare oportet. Porro cum in praesenti quaestione agitur de Ecclesiastica iurisdictione, non est quaestio proprie de prima, sed de secunda. Non enim negant adversarii Deum posse leges ferre circa matrimonium et impedimenta stabilire, nec negant Ecclesiam testem esse authenticam divinae revelationis; sed negant factam esse a Deo potestatem Ecclesiae leges ferendi circa matrimonii vinculum, vel eam solum hanc potestatem habere. Quocirca quae Apostolus in 1ª Cor. decrevit non satis opportune nunc afferrentur in medium; nam in quibusdam certe se habuit ut testis revelationis legisque divinae, in aliis videri potest se habuisse.

2° Tenendum est non solum legalem oeconomiam iudaicam per Ecclesiae institutionem fuisse a Christo abolitam, sed et id semper in Ecclesia creditum esse; ideoque creditum esse positiva praecepta, quae extant in lege Moysis, non habere amplius ex se vim obligandi. Id tamen non impedit quominus ad ea provocari possit tanquam ad normam, secundum quam leges suas condat Ecclesia; quod enim a Deo aliquando, licet pro certo tantum tempore, profectum est, dignitatem semper retinet cuiusdam normae, ad quam actiones suas exigant homines, cum in iisdem adiunctis aut similibus versantur, ut perfectius agant. Idcirco si contingat reperiri statuta impedimenta ab Ecclesia, quae iam Deus per Moysem positiva lege constituerat, perperam quis inferret ea ex iure divino eoque praecipiente esse constituta.

3° Ut demonstretur Ecclesiam usam esse auctoritate sua, non opus est afferre decreta Ecclesiae universalis, sed satis sunt etiam decreta particularium Synodorum, quae nullis contradicentibus, aliquid statuerint.

4° Ut quod in thesi proposuimus demonstremus, non est opus ut singulorum impedimentorum originem describamus, sed satis est in aliquibus immorari. Si enim constat Ecclesiam arbitrio suo quaedam statuisse dirimentia impedimenta, iam verum est quod affirmamus in Thesi

Iam vero eadem est ratio sive potestatis statuendi speciatim impedimenta sive potestatis decernendi formam contrahendi necessariam pro valore contractus (cf. Praenot. n. II.). Initium ducere licet ab eo impedimento, de quo, teste Bellarmino, quaestio est inter theologos an iuris Ecclestiastici sit, vel iuris divini; si enim iuris divini non est, certo demonstratur, ipsum auctoritate Ecclesiae fuisse constitutum.

II. Itaque *a*) Constat votum professionis religiosae impedimentum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

clesia regente constitutum, quaeque publica sit ut innotescat vel per se innotescere possit matrimonium Ecclesiae regenti, quae de causis matrimonialibus iudicium ferre debet. Haec enim forma celebrationis praescripta est, quia malo ex clandestinis coniugiis orto *Ecclesia, quae* de occultis non iudicat, occurrere non potest. Decr. De Reform. Matrim.

V. Subdimus quod canon iste dogmaticus est. Agitur enim de iure Ecclesiae et de infallibilitate eiusdem in exercitio huius iuris: atqui ius et infallibilitas obiectum sunt dogmatis et a disciplina praesupponuntur ut causa eius: non ergo sunt res disciplinares. Praeterea non agitur de eo qui inobediens sit, sed de eo qui affirmet Ecclesiae deesse hanc potestatem vel eam errasse in eius usu; at affirmatione vel negatione *veritas* impugnatur: agit ergo Concilium de *statuenda veritate*, quae dogma est, non disciplina. Conf. Tractatum Card. Gerdil De Matrimonio. Oper. Tom. XV. Romae 1809. P. II. §. 5.

Quod autem de cn. 4° diximus, idem et de 3° dicendum est, quod sic se habet: si quis dixerit eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui levitico (c. XVIII) exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare, aut constituere ut plures impediant et dirimant: A. S.

Vides proinde argumentum nos non colligere ex eo quod sub anathematis poena canones statuantur; quis enim ignorat et transgressiones legis posse plecti anathemate? sed ex eo quod obiectum canonis sit doctrina et veritas asserenda et credenda.

THESIS XXIX.

Historice constat Ecclesiam arbitrio suo statuisse impedimenta dirimentia matrimonium christianorum.

I. Rem tantum historice factumque solum nunc spectamus. Iure ne an iniuria id Ecclesia fecerit, diudicandum erit in seqq. Thesibus. Modo quoniam adversarii, inter quos praecipuus post Marcum Antonium De Dominis eminet Ioannes Launoius, contendunt omnia impedimenta primum a seculari potestate constituta fuisse, et sic in Ecclesia vim obtinuisse, demonstrare volumus falsitatem historicam huius opinionis, quae tamen fundamentum est omnis doctrinae adversariorum. Ut vero haec historica thesis demonstretur praemittenda sunt quaedam.

1° Auctoritatis seu iurisdictionis Ecclesiasticae duplex functio est distinguenda, altera, qua authentice proponit divinam doctrinam di-

vinamque legem iubetque illam credi, hanc observari; altera qua ex vi potestatis sibi collatae divinitus sancit Ecclesia leges positivas, quas observare oportet. Porro cum in praesenti quaestione agitur de Ecclesiastica iurisdictione, non est quaestio proprie de prima, sed de secunda. Non enim negant adversarii Deum posse leges ferre circa matrimonium et impedimenta stabilire, nec negant Ecclesiam testem esse authenticam divinae revelationis; sed negant factam esse a Deo potestatem Ecclesiae leges ferendi circa matrimonii vinculum, vel eam solum hanc potestatem habere. Quocirca quae Apostolus in 1ª Cor. decrevit non satis opportune nunc afferrentur in medium; nam in quibusdam certe se habuit ut testis revelationis legisque divinae, in aliis videri potest se habuisse.

2° Tenendum est non solum legalem oeconomiam iudaicam per Ecclesiae institutionem fuisse a Christo abolitam, sed et id semper in Ecclesia creditum esse; ideoque creditum esse positiva praecepta, quae extant in lege Moysis, non habere amplius ex se vim obligandi. Id tamen non impedit quominus ad ea provocari possit tanquam ad normam, secundum quam leges suas condat Ecclesia; quod enim a Deo aliquando, licet pro certo tantum tempore, profectum est, dignitatem semper retinet cuiusdam normae, ad quam actiones suas exigant homines, cum in iisdem adiunctis aut similibus versantur, ut perfectius agant. Idcirco si contingat reperiri statuta impedimenta ab Ecclesia, quae iam Deus per Moysem positiva lege constituerat, perperam quis inferret ea ex iure divino eoque praecipiente esse constituta.

3° Ut demonstretur Ecclesiam usam esse auctoritate sua, non opus est afferre decreta Ecclesiae universalis, sed satis sunt etiam decreta particularium Synodorum, quae nullis contradicentibus, aliquid statuerint.

4° Ut quod in thesi proposuimus demonstremus, non est opus ut singulorum impedimentorum originem describamus, sed satis est in aliquibus immorari. Si enim constat Ecclesiam arbitrio suo quaedam statuisse dirimentia impedimenta, iam verum est quod affirmamus in Thesi

Iam vero eadem est ratio sive potestatis statuendi speciatim impedimenta sive potestatis decernendi formam contrahendi necessariam pro valore contractus (cf. Praenot. n. II.). Initium ducere licet ab eo impedimento, de quo, teste Bellarmino, quaestio est inter theologos an iuris Ecclestiastici sit, vel iuris divini; si enim iuris divini non est, certo demonstratur, ipsum auctoritate Ecclesiae fuisse constitutum.

II. Itaque *a*) Constat votum professionis religiosae impedimentum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

esse dirimens matrimonii. Cuius impedimenti antiquitatem et originem requirentes monemus quod de solis virginibus seu feminis Deo sacratis disputamus, quarum certe antiquior est in Ecclesia sollemnitas consecrationis Deo. Testimonia huc spectantia haec sunt. Gelasius I. epist. ad Episcopos per Lucaniam Bruttios et Siciliam. ep. 20 ait: « Virginibus sacris temere se quosdam sociare cognovimus, et post dicatum Deo propositum incesta foedera et sacrilega miscere. » Porro foedus incestum non est coniugium. Ante ipsum Innocentius I. in litteris datis ad S. Victricium Episcopum Rothomagensem, rem distinctius declarat. « Quae Christo spiritualiter nupserunt et velari a Sacerdote meruerunt, si postea vel publice nupserint, vel se clanculo corruperint, admittendas non esse ad poenitentiam, nisi is, cui se iunxerant, de seculo discesserit. Si enim in omnibus haec ratio custoditur, ut quaecumque, vivente viro, alteri nupserit, habeatur adultera, nec ei agendae poenitentiae licentia concedatur nisi unus ex ipsis defunctus fuerit, quanto magis tenenda est de illa, quae ante immortali sponso se coniunxerat, et postea ad humanas nuptias transmigravit. Hae vero, quae nondum sacro velamine tectae, tamen in proposito virginali semper se manere promiserant, licet velatae non sint, his agenda aliquanto tempore poenitentia est, quia ipsarum sponsio a Domino tenebatur. Si enim inter homines solet bonae fidei contractus nulla ratione dissolvi, quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigerunt, solvi sine vindicta non debet? » Habes distinctam duplicem classem virginum, velatarum nempe et nondum velatarum. Velum imponebat Episcopus in publica et sollemni caerimonia professionis castitatis, quae fiebat in paschate. Lege Ambrosium Exhortat. Virginit. c. 7. et eundem sive alium Scriptorem De lapsu Virginis c. 5. Hoc velum Hieronymus epist. CXXX n. 2. appellat *flammeum virginale,* Optatus L. II. c. 19. et L. VI. c. 4. mitras seu mitellas vocat, « quae ex lana purpura tincta conficiebantur, quibus caput velabatur, quaeque erant, ut ipse ait, indicia professionis... ut rem iam Deo devotam nec qui sponsabat perseveraret petere, nec raptor auderet violare ». Cf. et lib. Tertulliani De velandis virginibus, ex quo apparet nondum ea aetate fuisse penes omnes hunc morem receptum velandi virgines. Porro matrimoniales coniunctiones velatarum adulteria esse decernit Innocentius: et cum lapsam negat admitti posse ad poenitentiam donec coniux vivat, significat eam unionem talem esse ut honestari nulla ratione possit, quod quidem fieret si valida esset. Idem evincitur ex oppositione virginis velatae cum alia haud velata: nam de huius voto solum affirmatur quod *cum vindicta solvatur:* aliud quippe non solvitur. Auctor sermonis ad

virginem lapsam (inter opera Ambrosii cf. pag. 65, in Tract. de Poenit.) c. 5 ait; « dicit aliquis, melius est nubere quam uri. Hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad nondum velatam. Ceterum quae se spopondit Christo et sanctum velamen accepit, iam nupsit, iam immortali iuncta est viro. Etiamsi *voluerit nubere communi lege connubii, adulterium perpetrat,* ancilla mortis efficitur. » Ambrosius in lib. De Virginitate c. 3. cum dixisset improbari ab aliquibus quod pater integritatem filiae voverit, subdit: « quo in negotio etiam nos vocamur in culpam. Quam tandem? quia nuptias prohibuimus illicitas. Vocent ergo in eandem culpam etiam Ioannem Baptistam... An erubescendum protulimus auctorem? quam vero causam aliam habuit ille martyrii repetite animo. Causa illius passionis certe haec fuit. Non licet tibi eam uxorem habere. *Si hoc de uxore hominis, quanto magis de virgine consecrata?* (Nempe si non licet habere uxorem alterius, quanto minus licet virginem consecratam). Gratias itaque divinitati quod hic nullus Herodes, atque utinam nulla Herodias. » Hieronymus L. I. adv. Iovinianum c. 7. « si nupserit virgo, non peccavit, non illa virgo, quae semel Dei cultui se dedicavit; haec enim siqua nupserit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit (1 Tim. V). Virgines, quae post consecrationem nupserint, non tam adulterae sunt, quam incestae. » Basilius in 1ª epist. canonica ad Amphilochium statuit cn. 6. « Canonicarum fornicationes pro matrimonio non reputentur, sed earum coniunctio omnino divellatur. » In 2. epistola vero cn. 18 uberius de hac re disserens, directe quidem loquitur de poenitentia virginibus lapsis iniungenda; simul tamen docet quid de earum coniugiis censeat. Dubitare quidem licet an Basilius proferat eam sententiam tanquam suam, an ut communem (cf. in Append.): at constat ipsum cum pluribus consentire. Ait ergo: « Si vidua iudicio subiicitur gravissimo, ut quae fidem in Christum irritam fecerit, quid nobis putandum de virgine, quae sponsa est Christi et sacrum vas Domino dedicatum? Magnum quidem est peccatum vel ancillam clandestinis matrimoniis sese dantem stupro domum implere, et deteriore vita iniuriam possessori facere: longe autem gravius est sponsam fieri adulteram, ac suae cum sponso coniunctioni dedecus ferentem, impudicis voluptatibus se dedere. Proinde vidua quidem ut corrupta ancilla condemnatur, virgo vero adulterae iudicio subiicitur. Quemadmodum igitur eum, qui cum aliena est muliere, adulterum nominamus, non prius admittentes ad communionem quam a peccato cessaverit, ita profecto et de eo, qui virginem habet, statuemus. Illud autem nunc in antecessum nobis statuere necesse est, virginem vocari, quae se sua sponte obtulit Domino, ac nuntium nuptiis re-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

misit ac sanctimoniae institutum amplexa est. » Haec est ergo sententia Patrum sec. IV. inculcata initio sec. V. ab Innocentio.

III. Porro si Synodos consulamus, inter canones ex pluribus synodis collectos in concilio Carthaginiensi an. 398 canon 104^us^ refertur, qui quidem certus non est, quippe qui in uno cod. ms. Urgellensi repertus est (Cf. Mansi Conc. Tom. IV) et non satis videtur cohaerere cum doctrina Augustini inferius citanda, qui dicitur synodo, in qua canon est conditus, subscripsisse: attamen hic canon haud dubie antiquus ita se habet. « Si quae viduae quantumlibet adhuc in minoribus annis positae, et matura aetate a viro relictae, se devoverunt Domino et veste laicali abiecta sub testimonio Episcopi et Ecclesiae religioso habitu apparuerunt, postea vero ad nuptias seculares transierunt, secundum Apostolum damnationem habebunt; quoniam fidem castitatis, quam Domino voverant, irritam facere ausae sunt. Tales ergo personae sine christianorum communione maneant, quae etiam nec in conviviis communicent. Nam si adulterae coniuges reatu sunt viris suis obnoxiae, quanto magis viduae, quae religiositatem mutaverunt, crimine adulterii notabuntur, si devotionem, quam Deo sponte et non coactae obtulerant, libidinosa corruperint voluptate atque ad secundas nuptias transitum fecerint? quae, etsi violentia irruente ab aliquo praereptae fuerint ac postea delectatione carnis atque libidinis permanere in coniugio raptori vel violento viro consenserint, damnationi superius comprehensae tenebuntur obnoxiae ». Etsi violentiam sint passae huiusmodi religiosae foeminae, si tamen postea raptori consentiant, eadem plectuntur poena, ac quae libere ad has nuptias transierint seculares. Cum autem ipsae comparentur adulteris, nec de permissione manendi in coniugio post poenitentiam peractam fiat sermo, sed solum poena gravissima indicatur in tali unione perseverantibus, videntur Patres nullas existimasse tales nuptias: cum praesertim ita a non paucis ea aetate de his nuptiis iudicaretur, ut constat ex Augustini testimonio mox citando. Attamen nolumus admodum auctoritatem huius canonis urgere. Concilium Toletanum I. an. 400 cn. 16. decrevit: « devotam peccantem non recipiendam in Ecclesia, nisi prius desierit et desinens egerit aptam poenitentiam decem annis.... quae autem maritum acceperit, non admittatur ad poenitentiam, nisi adhuc vivente ipso viro caste vivere ceperit aut postquam ipse decesserit. » Ex quo illud idem colligendum quod ex Innocentii decreto collegimus. In Conc. Aurelianensi V. an. 549 cn. 19 decernitur de puellis, quae monasterium ingressae in eo elegerint permanere, si postea propositum sanctum seculi ambitione transcendant, ut « cum his quibus coniugio copulantur, Ecclesiae communione priventur. » Quod « si culpam sequestratione sanaverint, ad communionis gratiam revo-

centur. » Cum absolute separatio praecipiatur, nullae existimantur nuptiae. Synodus Turonensis II. an. 567, cn. 20 recitato prius responso Innocentii ad Victricium, quod iam audivimus, et Apostoli testimonio 1. Tim. V. 12. subdit: « nos ergo hoc sequentes quod vel Apostolus Paulus vel Papa Innocentius statuit, in canonibus nostris inserentes, statuamus observandum ut nullus sacratam Deo virginem, quae in honorem Christi vestem mutavit, aut rapere aut competere aut sibi coniugem servare praesumat: quia etiam lex Romana constituit ut quicumque sacratam Deo virginem vel viduam fortasse rapuerit, si postea eis de coniunctione convenerit, capitis sententia feriantur (cod. Theod. L. I. De raptu).... qui ergo in hac pertinacia durare voluerint et plus in volutabro malae conversationis permanere quam se de vetito coniugio separare, perenni excommunicatione damnentur. » Ecce tibi, ait festive Launoius (oper. cit.) plusquam dirimens impedimentum ab Imperatore statutum, et Synodus leges imperatorias exsequitur. Verum 1° Synodus dicit sequi se Paulum Apostolum et Innocentium papam: citatio autem romanae legis adhibetur ad confirmationem convenientiae canonis, quod satis indicat illa vocula *etiam*. 2° Fieri non poterat ut canone suo Episcopi exsequerentur legem Imperatoris, quia lex de rapientibus solum loquitur, Synodus autem generatim de harum virginum connubio.

Itaque ut ex citatis constat, in non paucis Ecclesiis iam a seculo IV etsi nondum universaliter receptum, constitutum erat nullas esse nuptias puellarum vel virginum, quae mutata veste vel velo suscepto seu in monasteriis se Deo sacraverant. Id Patres statuunt provocantes ad traditionem Maiorum: an leges civiles hac de re ullae exstabant?

IV. Christianus Lupus (in prima prooemiali dissertatione ad Tomum IV, de Latinorum Episcoporum et clericorum continentia, c. 10) ait huiusmodi nuptias invalidas fuisse effectas lege Imperiali, Constantii scilicet Augusti, cuius lex exstat in codice Theodosiano, et quam innovavit Iovianus auctam capitali supplicio, ad quam legem Synodus Turonensis provocavit. Huius porro lex (Cod. Theod. L. IX. Tit. 25. De Raptu) ita se habet. « Si quis, non dicam rapere, sed vel attentare, matrimonii iungendi causa, sacratas virgines vel invitas (an *vel viduas?*) ausus fuerit, capitali sententia ferietur. » Causam huius ferendae legis aperit Sozomenus L. VI. c. 3. « Istam legem ideo tulit, quod quidam improbi viri, regnante Iuliano apostata, tales virgines vel vi vel persuasione ad hanc corruptelam inductas sibi coniugio iunxissent. » Lex ergo erat lata contra raptores vel corruptores violentos aut seductores virginum; sed si sancti-

monialis, relicto proposito, postea nubere voluisset, non prohibebatur hac lege, ut recte observat Valesius. Atqui Patres de ipsis virginibus loquuntur, quae sponte sua irritam faciunt primam fidem Deo obligatam: ergo admisso quoque quod ea lege nullae statuerentur nuptiae talium hominum, ea lex perperam affertur in nostra quaestione.

V. Verum e contrario habemus praeter decreta Innocentii quae non significant aliquid novi statui, etiam canones conciliares Constantio antiquiores de hac re decernentes, qui directe quidem eo spectant ut modum poenitentiae pro delicto constituant, significant tamen etiam quo loco haberentur huiusmodi nuptiae ab Ecclesia. Concilium Illiberitanum cn. 13 statuit: « Virgines, quae se Deo dicaverint et pactum perdiderint virginitatis atque eidem libidini serviverint, non intelligentes quod amiserint, placuit nec in finem eis dandam communionem. Quod si semel persuasae, ad infimi corporis vitia lapsae (ita legit hoc incisum Synodus Coloniensis an. 887, cn. 6), omni tempore vitae suae huiusmodi foeminae egerint poenitentiam ut abstineant se a coitu, eo quod lapsae potius videantur, placuit eas in finem communionem accipere debere. » Supponit canon debere has virgines lapsas abstinere a coitu, h. e. separandas esse ab iis, quibus se copulaverant in perpetuum. Id quidem per se aequivalet declarationi nullas esse huiusmodi nuptias. Iam vero adverte Patres Illiberitanos id non primos decernere, sed imo supponere, decernere vero poenam: ex quo inferas iam lege Ecclesiastica cautum esse quod nullae forent huiusmodi nuptiae. Ineptus enim esses, si ea aetate quaereres leges civiles id statuentes.

Quocirca iam seculo III Cyprianus epist. LX virgines appellat « membra Christo dicata, et in aeternum continentiae honore pudica virtute devota; atque epist. LXII easdem virgines Deo dicatas, quae semel statum suum continenter et firmiter tenere decreverint (seu, ut ait de Habitu Virginum c. 4. « se Christo dicaverint, et a carnali concupiscentia recedentes tam carne quam spiritu se Deo voverint ») postea ex commercio virorum corruptas, vocat adulteras Christi, ac iubet prorsus separari, nulla hypothesi facta alicuius coniunctionis maritalis, quae inter eos exsistere potuerit ac valida esse: « quod si obstinatae perseverant, nec se ab invicem separant; sciant se cum hac sua impudica obstinatione numquam a nobis admitti in Ecclesiam posse. » Voti autem continentiae, quod virgines proferebant, meminit etiam Tertullianus De velandis virginibus.

Ex his omnibus videtur antiquissima esse Ecclesiae lex statuens sollemne votum castitatis nullas efficere nuptias, quae postea ineantur.

VI. Obstat tamen 1° ipse Cyprianus epist. cit. dum ait: « inter-

cedendum est cito talibus (virginibus quae cum viris dormiebant, quae tamen se integras adhuc esse fatebantur), ut separentur dum adhuc separari innocentes possunt: quia dividi postmodum nostra intercessione non poterunt, posteaquam conscientia gravissima cohaeserunt... quod si ex fide se Christo dicaverunt, pudicae et castae sine ulla fabula perseverent, et ita fortes et stabiles proemium virginitatis expectent. Si autem perseverare nolunt, vel non possunt, melius est ut nubant, quam in ignem delictis suis cadant. »

At 1° quod dividi non possint, non ex eo est quod valida sit coniunctio, secus enim non affirmaret Cyprianus se nunquam eas posse in Ecclesiam admittere nisi separentur: sed est ex difficultate abstinendi quam experiuntur, qui his illicitis rebus dant operam. 2° Quod vero subditur *melius esse nubere,* id non virginibus iam Deo dicatis dicitur, sed adhuc se dedicaturis: scilicet quae perseverare non possunt, seu perseverandi animum non habent et in periculo incontinentiae versantur, melius est ut nubant, quam ut voventes Deo continentiam eamque postea violantes in ignem cadant.

2° Magis obstat Augustinus qui de bono viduitatis cc. 9. 10 ait « Quoniam, sicut ait Dominus, non omnes capiunt verbum hoc, quae potest ergo capere, capiat, et quae se non continet, nubat; quae non cepit, deliberet, quae aggressa est, perseveret. In coniugali quippe vinculo si pudicitia conservatur, damnatio non timetur: sed in viduali et virginali continentia, excellentia muneris amplioris expetitur, qua expetita et electa et voti debito oblata, iam non solum capessere nuptias, sed etiamsi non nubatur, nubere velle damnabile est... non quia ipsae nuptiae vel talium damnandae iudicantur; sed damnatur propositi fraus, damnatur fracta voti fides... postremo damnantur tales non quia coniugalem fidem posterius inierunt, sed quia continentiae primam fidem irritam fecerunt.... Proinde qui dicunt talium nuptias non esse nuptias sed potius adulteria, non mihi videntur satis acute ac diligenter considerare quid dicant: fallit eos quippe similitudo veritatis. Quia enim coniugium Christi dicuntur eligere quae christiana sanctitate non nubunt, hinc argumentantur quidam dicentes: si viro suo vivo quae alteri nubit adultera est, vivo ergo Christo, quae coniugium eius elegerat, si homini nubit, adultera est. Qui hoc dicunt, acute quidem moventur, sed parum attendunt hanc argumentationem quanta rerum sequatur absurditas » sequuntur absurda. Pergit: « fit autem per hanc minus consideratam opinionem, qua putant lapsarum a sancto proposito feminarum, si nupserint, non esse coniugia, non parvum malum, ut a maritis separentur uxores, quasi adulterae sint non uxores, et cum volunt eas separatas reddere continentiae, faciunt maritos earum adulteros veros,

cum, suis uxoribus vivis, alteram duxerint. Quapropter non possum quidem dicere a proposito meliore lapsas, si nupserint, feminas, adulteria esse non coniugia: sed plane non dubitaverim dicere, lapsus et ruinas a castitate sanctiore, quae vovetur Domino, adulteriis esse peiores. »

Ex his Augustini verbis habes in primis quo sensu olim diceretur coniunctiones sanctimonialium cum viris esse adulteria, eo quod nimirum nuptiae nullae essent; a qua proinde locutione abstinet Augustinus; porro haec locutio non erat quorumdam tantum, sed potius communis, ut ex testimoniis allatis liquet. Quid autem dicendum de Augustini sententia? Idonea responsio est hac Augustini opinione probari id tantum, quod nimirum aetate sua nondum esset universaliter receptum aut universali lege statutum nullas esse tales nuptias, quod nos non contendimus: non vero probari quod pluribus in locis id admissum non fuerit. Id autem nos solum contendimus non paucis in locis id fuisse statutum, quod quidem, ut monuimus, ipsum Augustini testimonium confirmat. Quod vero ex Epiphanio (Haer. LXI c. 7) Basilio (epist. 1ª Canonica cn. 7). Leone (epist. ad Rusticum resp. 14) refertur, spectat ad monachos, de quibus adeo clara testimonia non habemus nec disputamus.

VII. Constat ergo primis ecclesiae seculis hanc viguisse in Ecclesia sententiam: nuptias puellarum post virginitatem Deo sollemniter consecratam nedum illicitas, sed et nullas esse: exstitisse quidem et aliquos, qui aliter senserint: id vero non derogare antiquitati legis sed solum plenae eiusdem universalitati; quod in re nondum certo canone pro universa Ecclesia constituta locum habere posse nemo non videt. Quo posito nulla difficultas oritur ex Bernardo (De Praecepto et dispens. c. 17) nolente iudicium ferre de sententia Augustini, quam retulimus, et de modo quo se Gregorius M. gessit erga quemdam monachum Venantium.

Constat deinde in huiusmodi negotio nullam sibi partem vindicare Imperatores aut Reges; nullae enim hac de re seculares leges latae sunt ante citata Ecclesiae decreta. Perperam proinde Launoius hoc impedimentum derivavit a lege imperiali citata a Synodo Turonensi.

Quaestio ergo omnis eo redit an iure divino vel ecclesiastico aut apostolico id sit constitutum. Eo ipso autem quod non statim ab omnibus haec lex admissa fuerit variaque fuerit olim disciplina, satis constat auctoritate Ecclesiae hoc impedimentum esse inductum; cum praesertim non quodlibet votum castitatis hunc effectum induceret, ut patet ex verbis Innocentii.

VIII. Impedimenta quaedam affinitatis et consanguinitatis atque

alia Ecclesia sua auctoritate decrevit. Sane *b*) Conc. Illiberit. c. 61 statuit « si quis post obitum uxoris suae, sororem eius duxerit, et ipsa fuerit fidelis, quinquennium a communione placuit abstinere. » Prohibitio saltem huius rei in hoc canone continetur. De quo canone ait Franciscus Mendoza (De Confirmando Concilio Illiberitano ad Clementem VIII). « Primum, ut opinor, Ecclesiae decretum literis consignatum, quo constitutum est matrimonium affinitate impediri, hoc hispanorum episcoporum videtur, antiquo romanorum iure abrogato, quo licebat cum defunctae uxoris sorore matrimonium contrahere. » Congruit quidem hoc decretum cum Mosaica lege Lev. XVIII, 18, quadantenus, quatenus ibi prohibetur vir accipere in pellicatum sororem uxoris suae adhuc viventis.

Concilium Neocaesariense an. 314 c. 2 de eadem re aliquid amplius decernit. « Femina, si duobus fratribus nupserit, extrudatur usque ad mortem. Sed in morte propter humanitatem, si dixerit quod, ubi convaluerit, solvet matrimonium, habebit poenitentiam. » Si poenitentia non datur nisi sub promissione separationis seu dissolutionis matrimonii, vel supponitur ipsum nullum reapse fuisse, vel hoc ipso canone implicite edicitur: adversarii vero volunt supponi quidem irritum sed vi alterius legis.

Itaque qua lege irritabatur hoc coniugium? Nulla exstabat aetate illa lex Imperatorum. Affert quidem Launoius legem *Etsi licitum* editam a Costantino et Constante Augg. et Iuliano Caesare ann. 355 (exstat in Cod. Theod. L. III. Tit. 12), quam postea secutae sunt aliae leges Honorii ac Iustiniani, sed hae omnes his canonibus posteriores sunt posterioresque sunt Basilio, qui iam huiusmodi nuptias non solum improbaverat, sed ab Ecclesia improbari nullasque haberi docuerat epist. CLX ad Diodorum Tarsensem hic verbis: « Primum itaque quod in huiusmodi rebus maximum est morem nostrum obiicere possumus, ut vim legis habentem, eo quod nobis a viris sanctis traditae sunt regulae. Mos autem ille est huiusmodi ut si quis impuritatis vitio aliquando victus in illicitam duarum sororum coniunctionem inciderit, neque id matrimonium existimetur, neque omnino in Ecclesiae caetum admittantur priusquam a se invicem dirimantur. Quare etiamsi nihil aliud dici posset, satis esset ipsa consuetudo ad boni custodiam. » Tum sophismata dissolvit illius qui id licere defendebat eo quod non esset in lege Moysis prohibitum; illud primum Basilius monens « *quaecumque lex dicit, iis, qui in lege sunt, dicere.* » Cf. mox citanda verba Zachariae R. P. Accipe nunc Verba Pii VI in litteris datis an. 1782 ad Archiep. Trevirensem. « Hic animadverti praecipue potest ipsum affinitatis impedimentum primis illis seculis (cum nempe, ut ait, gravissimas persecutiones a

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Principibus Ecclesia tolerabat) fuisse ut dirimens per ecclesiasticam legem declaratum, ut habemus ex epist. s. Basilii ad Diodorum et ex conc. Neocaesariensi c. 2. »

Ex his porro ita ratiocinamur: Ecclesiae Patres prohibuerunt ac nullum esse decreverunt matrimonium huiusmodi tum quoque cum per leges civiles licebat, censueruntque sibi potestatem inesse illud prohibendi et irritandi: ergo arbitrio suo Ecclesia hoc impedimentum constituit censuitque sibi competere hanc auctoritatem. Porro canones Concilii Neocaesariensis ab universa Ecclesia antiquitus recepti sunt. Vides nos non asserere quod universa Ecclesia ea aetate hoc impedimentum induxerit, fueritque ubique observatum; id nostra nunc nihil refert: nobis satis est quod Ecclesiae Patres censuerint ad auctoritatem Ecclesiasticam spectare huiusmodi ius eoque iure usa sit auctoritas Ecclesiastica: quae duo ex Synodo Neocaesariensi ac Basilii testificatione constant. Cum autem Synodus haec esset particularis, nihil mirum si mos ille, de quo Basilius loquitur, non obtinuerit tunc penes omnes.

IX. *c*) Concilium Epaonense in regno Burgundiae an 517. cn. 30. plures incestas coniunctiones vetat, nihilque eis veniae reservat, nisi cum adulterium separatione sanaverint. Inter has recensentur si quis relictam fratris, si quis germanam uxoris suae, si quis novercam accipiant; si quis relictae avunculi misceatur, quae spectant ad affinitatem. Tum quoque quod ad consanguinitatem attinet: *si quis consobrinae sobrinaeve se societ;* quibus immediate subduntur a Concilio haec verba: « *quod ut a praesenti tempore prohibemus, ita ea* (matrimonia huiusmodi) *quae sunt anterius instituta non solvimus.* » Et concludunt: « Sane quibus coniunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris coniugii libertatem », quibus significant se ita prohibere eas nuptias ut irritent, nullum scilicet vinculum exsistat inter sic contrahentes.

Ait Launoius cum aliis Patres innixos esse legi Theodosii senioris, qui « patrueles fratres et consobrinos vetuit inter se coniugii convenire nomine » ut testatur Ambrosius epist. LX ad Paternum, n. 8. Obiicitur ipsis eam legem fuisse ab Arcadio abrogatam, leg. *Celebrandis*, quae exstat in Cod. Iustiniani L. v. Tit 4. c. 17. de qua vide quae disputat Gothofredus ad Cod. Theodos. L. III. Tit. 12. lege *Manente*, ubi demonstrat nullam esse rationem cur de ea lege *Celebrandis* dubitetur: cf. praeterea quae dicimus in Append. At in quiunt, utraque in hypothesi sive abrogata fuerit sive secus, patet auctoritas Principis secularis in contractum matrimonialem. Nam si post imperium Theodosii senioris valuerunt matrimonia inter patrueles aut consobrinas, id factum esse dicendum est auctoritate Arcadii ac Iustiniani,

qui eam legem abrogarunt. Si vero matrimonia haec prohibita erant, id ex lege Theodosii senioris adhuc vigentis repetendum. Quibus sic arguentibus scite reponit Cardin. Gerdil oper. cit. hoc dilemma. Aut lex Theodosii fuit revocata, aut non. Si non fuit revocata usque ad Iustinianum saltem, ipsis adversariis fatentibus, vigebat. Si ergo haec lex valebat in Galliis, matrimonia contra eam legem contracta habita fuissent nulla. Et tamen ibi talia matrimonia contrahebantur et Patres Epaonenses prohibentes ea matrimonia in futurum, rata habuerunt prius contracta. Igitur non habuerunt ii Patres rationem ullam legis secularis. Si autem fuit revocata lex, licebant ergo vi civilis auctoritatis ea matrimonia: at nihilominus Patres Epaonenses ea prohibent et irritant in futurum; nullam ergo rursus potestatis secularis rationem habuerunt. An erat aliqua lex Gotorum aut Burgundiorum, quam sequerentur Patres? At alterutrum de duobus: vel lex eius nationis huiusmodi connubia prohibebat, vel permittebat. Si permittebat, Patres eadem irritantes, non sequuntur legem. Si prohibebat, Patres rata habentes hactenus inita, contradicunt legi. Scilicet eminet in hoc facto auctoritas Ecclesiae, quae iure suo circa matrimonialem contractum leges fert. Idem paulo post statuit Synodus Antissiodorensis an. 578. cn. 31. et postea an. 721. Gregorius II in Concilio Romano et Zacharias an. 743. in Conc. Rom. (cf. Append.) nullam legum imperialium facta mentione, sed legis mosaicae tantum. Sed audi eundem Zachariam in epist. ad Pipinum et episcopos ac proceres Galliarum c. 22. « De his, qui duobus fratribus nupserint, vel duas sorores acceperint, in Conc. Neocaesariensi c. 2. continetur etc. Nos autem gratia divina suffragante, iuxta praedecessorum Pontificum decreta multo amplius confirmantes, dicimus ut dum usque sese generatio cognoverit, iuxta ritum et normam christianitatis et religionis romanorum non copulentur coniugia ». Vides heic vim exerere solam auctoritatem romanae sedis et solum praedecessorum suorum Zachariam facere mentionem. Ceterum illud perconctari libet a Launoio. Quoniam ea lex Theodosii abrogata fuit ab Arcadio, vel certe a Iustiniano, qui legem *Celebrandis* inseruit codici suo, hoc impedimentum dirimens perrexit ne valere in Ecclesia, an desiit ut licuerit fidelibus tales contrahere nuptias. Si perrexit; ergo non vi imperialis legis obligabantur eo impedimento christianorum matrimonia: si desiit, quoniam deinceps certe rursus valuit sicut nunc valet, nec alia lex imperialis occurrit, sed solum ecclesiastica, cuiusmodi ex. gr. sunt canones Gregorii II et Zachariae iam citati, consequens est tandem Ecclesiam arbitrio suo impedimenta statuisse.

X. *d*) Synodus Matisconensis II. an. 585. cn. 16. declaravit

irrita matrimonia contracta a viduis clericorum. « Illud quoque rectum nobis visum est disponere; ut quae uxor subdiaconi vel exorcistae vel acolyti fuerat, mortuo illo, secundo se non audeat sociare matrimonio. Quod si fecerit, separetur et in coenobiis puellarum Deo tradatur, ut ibidem usque ad exitum vitae suae permaneat. » Idem paulo ante, anno scilicet 578 vetuerat Synodus Antissiodorensis. cn. 22. quoad relictam presbyteri, diaconi, subdiaconi. (Cf. Natalem Alex II. E. sec. VI.) Porro Zacharias R. P. an. 743 in Concilio Romano idem statuit cn. 5. « Ut presbyteram, diaconam, nonnam aut monacham, vel etiam spiritualem commatrem nullus sibi praesumat nefando coniugio copulare. Nam qui huiusmodi opus perpetraverit, sciat se anathematis vinculo esse obligatum. » Iam vero nuptiae nefandae sunt nuptiae nullae. Idem paulo ante statuerat in Conc. Rom. cnn. 1. 4. Gregorius II. Nec Galliarum Episcopis nec Romano Pontifici lex ulla civilis praeivit, quae id constituerit; neque video quo iure id constituere possit auctoritas, quae bonum civile tantum quaerit, ut nullae sint nuptiae earum, quae relictae sunt a presbyteris vel diaconis, initae post horum mortem. Haec lex etiamnum, saltem probabilissime, viget. Cf. Ballerini de Statibus particularibus n. 44 in nota.

XI. *e*) Quod spectat ad impedimentum raptus, constat quidem vetitum fuisse imperiali lege matrimonium inter raptorem et raptam (l. unic. C. De Raptu): at pariter constat eam legem auctoritate Ecclesiae fuisse temperatam, permittentis coniugium sive si praecesserit desponsatio (Gregorius II. Conc. Rom. cn. 11.) sive si post raptum rapta puella consenserit (Innocentius, III. cp. finali De Raptoribus).

XII. *f*) Quoad impedimentum disparitatis cultus, censent Theologi cum Bellarmino (De Matrim. L. I. c. 23.) ipsum nulla lege statutum fuisse, sed universali consuetudine, quae post sec. XI vim et auctoritatem legis obtinuerit. Hanc vero consuetudinem esse ecclesiasticam et ex Ecclesiae consensu vim habuisse quis neget? At Launoius huic impedimento civilem reperit originem. Nam Impp. Valentinianus et Valens an. 365 legem tulerunt, quae exstat in Cod. Theod. L. III. tit. 14. l. 1., qua praecipitur ut « nulli provincialium, cuiuscumque ordinis aut loci fuerit, cum barbara sit uxore coniugium, nec ulli gentilium provincialis femina copuletur. » Item Impp. Valentinianus, Theodosius, Arcadius an. 388 legem tulerunt « ne quis christianam mulierem in matrimonium Iudaeus accipiat, neque Iudeam Christianus coniugio sortiatur. Quod si fecerit, adulterium volunt reputari. »

Verum 1° quoad priorem legem advertit ibid. Gothofredus gentiles et barbaros heic promiscue sumi et non ita appellari respectu fidei, sed respectu Romanorum, eosque esse, qui ex variis gentibus felicitatem romanorum sequentes se contulerant ad imperium romanum, cuiusmodi erant Alemanni, Sarmatae, Gothi, qui militabant in exercitu romano: ab his porro timendum erat ne affinitatibus contractis cum romanis iisque subnixi iidem adversus Rom. Imperii securitatem aliquid molirentur.

Quod spectat ad alteram legem quae nuptias prohibet ob disparitatem cultus, iam Christiani noverant se puellas christianas nisi christianis dare non posse, ut ait Augustinus epist. 255. ad Rusticum. Hanc legem suspicatur Gothofredus tulisse Theodosium ex suasione Acholii episc. Thessalonicensis; data est enim Thessalonicae.

Ceterum si dicas has imperiales leges fuisse vi sua irritantes coniugia, dicendum erit Ecclesiam non habuisse rationem harum legum; nam solum post millesimum haec vis irritans obtinuit communiter in Ecclesia.

XIII. *g*). Impedimentum criminis reperimus sancitum in Synodo Triburiensi an. 895 in Germania can. 51. quo statuitur ut « si quis cum uxore alterius, vivente eo, fornicatus fuerit, moriente, synodali iudicio, aditus ei claudatur illicitus, nec ulterius ei coniungatur matrimonio, quam prius polluit adulterio. » Ait Launoius id statuisse Patres Triburienses auctoritate Arnulphi Imperatoris. Unde vero id colligit Launoius? Quia nempe ab initio Synodi Patres sciscitati sunt ab Imperatore, quo studio vel quali benignitate Ecclesiam Christi defendere dignaretur. Scilicet exposcere a Principe officium debitum defensionis est ab eodem accipere auctoritatem! At instat Launoius, iam ante Triburienses Patres significasse Nicolaum I hoc impedimentum a lege civili pendere. Nam epist. 48 loquens de Waldrada pellice Lotharii Regis, ait quod mortua quoque Theutberga legitima ipsius coniuge, nullis legibus, nullis sine sui discrimine regulis Waldradam moecham in uxorem unquam permittetur assumere Lotharius. En ad *leges* non ad canones provocat Nicolaus. Quam ineptus interpres! non vidit scilicet quod si id a legibus secularibus pendebat, integrum fuisset Lothario eas parvipendere vel abrogare utpote Regi, cui iuxta ipsum Launoium potestas competebat in matrimonia.

Itaque iam seculo IX. vigebat hoc impedimentum in Ecclesia, nullamque veterum Imperr. legem invenire potuit Launoius, quae id firmaret. Arbitrio ergo suo illud Ecclesia statuit.

XIV. *h*) Gregorius M. epist. ad Augustinum (epistt. L. XI. ep. LXIV resp. 6. indulget Anglis ut in tertia vel quarta generatione copulentur, interdicta secunda. Sic enim loquitur. « Quaedam terrena lex (lex illa scilicet *Celebrandis* de qua iam locuti sumus)

in romana republica permittit, ut sive fratris, sive sororis, seu duorum fratrum germanorum, vel duarum sororum filius et filia misceantur. Sed experimento didicimus ex tali coniugio sobolem non posse succrescere. Et sacra lex (Lev. XVIII) prohibet cognationis turpitudinem revelare. *Unde necesse est ut iam tertia vel quarta generatio fidelium licenter sibi iungi debeat. Nam secunda, quam diximus, a se omnimodo debet abstinere.* » Audis Romanum Pontificem non admodum sollicitum esse quid terrena lex concesserit, imo illam reiicere. Huiusmodi porro decretum Gregorius auctoritate sua condidit, nec rogato aut expectato consensu secularium principum in Anglia: ergo. Fuisse vero hanc dispensationem a lege iam in Ecclesia vigente significat ipse Gregorius epist. ad Felicem Messanensem Epis. (LXIV. cp. XVII. n. 2) « quod autem scripsi Augustino Anglorum gentis episcopo de consanguinitatis coniunctione, ipsi et Anglorum genti, quae nuper ad fidem venerat, ne a bono quod ceperat metuendo austeriora recederet, specialiter et non generaliter ceteris me scripsisse cognoscas. Unde et mihi omnis romana civitas exstitit testis, nec ea intentione haec illis scriptis mandavi, ut postquam firma radice in fide fuerint solidati, si infra propriam fuerint consanguinitatem inventi, non separentur, aut infra affinitatis lineam, idest usque ad septimam generationem coniungantur. » Iam vero qui in lege dispensare potest nullius consensu rogato, ipse legem condere proprie potest; quia ille est actus proprius legislationis: ergo.

Dubitant de genuinitate epistolae citatae ad Augustinum quidam eruditi, inter quos Sebastianus Berardi (Gratiani Canones genuini P. 72. c. 59. sect 7), cuius tamen argumenta potius intrinseca minimi sunt valoris falsoque is supponit Augustinum nullos christianos in Anglia reperisse. Qui de hac epistola dubitat, et de citata epist. ad Felicem Messanensem dubitat. Atqui 1° genuitatem huius alterius epistolae probat testimonium Ioannis Diaconi, qui eius partem recitat L. II. c. 37. Hincmarus quoque de ea saepe mentionem facit speciatim in opusculo De Divortio Lotharii, Interrog. 12. sub finem. Reperitur quoque haec epistola Gregorii in pluribus Mss. Haec et aliae habet editor operum Gregorii edit. venetae in notis ad ipsam epistolam. Iam vero 2° ex his sequitur quod et prior ad Augustinum sit opus Gregorii. Huius meminit diserte idem Hincmarus epist. 36. n. 15. (ed Migne) et idem Ioannes diaconus eodem loco cit. et Zacharias R. P. epist. ad Theodorum episc. Ticinensem (Cf. Mansi Concc. Tom. XII. inter epistolas Zachariae epist. 18ª). Eandem recitat Beda testis in hac re maxime idoneus, Lib. I. Hist. Angl. c. 27. et exstat in pluribus codicibus mss. In Excerptis vero Egberti

Eboracensis episc. ab ann. 735 ad 771 exc. 137. refertur responsio Gregorii ad Felicem Episcopum quae in eius epistola ad ipsum exstat. (Cf. ibid. notas editoris et Natalem Alex. H. E. sec. VI c. IV. a 16.) At aiunt. Bonifacius Apostolus Germanorum, qui Anglus erat, eam sec. VIII ignorasse videtur; sic enim epist. 15 scribit ad Nothelmum episc. Cantuariensem: « Obsecro ut illius epistolae, qua continentur, *ut dicunt,* interrogationes Augustini Pontificis ac Praedicatoris primi Anglorum et responsiones s. Gregorii Papae, exemplar mihi dirigere curetis, quod in tertia generatione propinquitatis fidelibus licet matrimonia copulari, et id scrupulosa diligentia investigare studeatis, si illa conscriptio supradicta Patris nostri Gregorii esse comprobatur an non; quia in scrinio Romanae Ecclesiae, ut affirmant scriniarii, cum ceteris exemplaribus supradicti Pontificis quaesita non inveniebatur. » Verum ut dubitanter loqueretur Bonifacius, quamvis eam procerto prius ut Gregorii habuisset, haec ipsa potuit esse ratio, quia nempe non reperiebatur Romae. Etsi vero quis miretur eam Romae repertam non fuisse, mirum fuisset magis quod Beda seculo post commentum illud Gregorio supposuisset et Zacharias R. P. mentionem fecisset epistolae Gregorii ad Felicem, quae illam priorem necessario supponit. Ad hanc Gregorii Magni dispensationem provocavit Pius VI litteris datis ann. 1782 ad Archiep. Trevirensem. Cf. quae de hac re dicemus in Append.

Quod vero quidem dicunt concessionem Gregorii Magni spectare ad coniugia inita ab Anglis in infidelitate ante baptismum, id refellitur ipsis Pontificis verbis, quae normam statuunt pro coniugiis futuris ac refellitur declaratione eiusdem concessionis facta a Zacharia epist. cit. ad episc. Ticinensem. Tum de nuptiis in infidelitate contractis loquitur Gregorius M. statim in responsione sequente illam concessionem.

XV. *i*) Sub initium seculi X grave exarsit dissidium in Ecclesia graeca, eo quod Imperator Leo Sapiens quartas iniverit nuptias. Patriarcha enim Constantinop. cum aliis metropolitanis noluit eas nuptias probare, eo quod essent contra Ecclesiae disciplinam. Scripsit Leo ad omnes Patriarchas ut rem vellent definire. Tum eiecto in exilium Nicolao Mystico Patriarcha Constantinop. eoque exauctorato, suffecit Euthymium, qui nuptias probavit. Adhuc autem dissensione vigente, Nicolaus tandem restitutus ab ipso Leone litteras dedit ad Romanum Pontificem suadens et deprecans ne tantum facinus probare vellet. Denique sub Constantino Prophyrogeneta filio Leonis inita est pax inter graecos Episcopos, eo pacto, ut absolveretur quidem Leo, quemadmodum filius eius rogabat, in posterum vero eae nuptiae prohiberentur. Iam vero ex isto facto liquet ea aetate im-

peratores et Episcopos censuisse non ad civilem auctoritatem, sed ad ecclesiasticam spectare iudicium in causa matrimonii, et reapse Ecclesia sola hac in re sententiam tulit causamque finivit.

l) Eodem seculo, anno scilicet 912. Henricus cognomento Auceps coactus est a Sigismundo episc. Halberstadiensi dimittere eam, quam sibi in coniugium copulaverat, quae vidua monasterium ingressa fuerat velumque susceperat. Rursus an. 949. Fulbertus cameracensis Episcopus, frustra parentibus et amicis rogantibus atque minantibus, dissolvendum indixit coniugium quoddam incestum, quod cum filia Isaaci comitis cameracensis contrahendum erat.

XVI. *m*) Sub finem seculi XI et initium subsequentis cum Philippus I Galliarum Rex ,vivente uxore sua, aliam h. e. Bertradam sibi coniunxisset, auctoritate Urbani II coactus fuit dimittere eam. Mortua vero priore coniuge, Ivo Carnotensis Episcopus Romanum Pontificem Paschalem II rogavit vel suasit ut dispensare vellet Philippum ad ducendum Bertradam (cf. Ivonis epist. 144): dispensatio vero negata; quocirca dicitur Bertrada « petulans pellex adultera regi usque ad mortem adhaesisse » Porro non agebatur in huiusmodi causis de impedimentis ex iure divino: cur igitur seculares domini et reges non sibi vindicarunt vel iudicibus secularibus cognitionem harum causarum? cur nulla exorta est dubitatio de Ecclesiae auctoritate?

n) Cum Robertus Rex Francorum Bertam consanguineam suam duxisset uxorem, assentientibus Episcopis Regni, Gregorius V. coacto concilio Romae anno 998 coegit Regem dimittere quam duxerat ac utrumque poenitentiae subiecit. Non censebant ergo ea aetate Reges auctoritati civili subesse matrimonium sibique ius competere impedimenta statuendi et dispensandi in iis: sed et laici et clerus universus hanc potestatem ad solam Ecclesiam referebant.

XVII. *o*) initio seculi XIII Otho IV uxorem voluit ducere filiam defuncti Philippi, qui cum eo de imperio decertaverat. Erat illa coniuncta Othoni in quinto gradu consanguinitatis, quod tum impedimentum dirimens habebatur. Flagitata idcirco fuit dispensatio ab Innocentio III, qui non nisi multum exoratus eam concessit. Iam vero heic agebatur de impedimento non iuris divini sed humani: Reges et Imperatores Germaniae erant suae auctoritatis acerrimi vindices, seculique proceres eam propugnabant contra ipsa quoque Ecclesiae iura. Qui factum est ut nemini in mentem venerit potestatem statuendi impedimenta ideoque et ab iis dispensandi residere originario et immutabili iure penes Principes civilis societatis? cur Innocentius, qui haud libenter id concessit, non se exemit ab hac cura respondens Othoni posse ipsum vel civilem magistratum hac in

re dispensare? Certa igitur erat ea aetate omnibus etiam Principibus, qui sua iura non ignorabant, potestatem proprio iure competere Ecclesiae.

XVIII. *p*) In Concilio habito Tiburiae iam citato canon 39 sic habet: « si unus ex duobus (Francus et Baioarica) unam carnem in duas dividere et copulam nuptialem machinetur disiungere dicendo non secundum suae gentis legem iura matrimonii contraxisse et idcirco separari posse, canonica institutione definimus, et nostro omniumque orthodoxorum iudicio statuimus *ut quod legis imperfectum sit perficiatur et ius matrimonii nequam resolvatur.* » Persuasum ergo erat his Patribus valorem matrimonii non a legibus civilibus sed a canonibus Ecclesiae pendere, atque haec erat omnium orthodoxorum sententia leges civiles emendandas esse iuxta canones ecclesiasticos suaque auctoritate contra leges civiles usi sunt Patres Triburienses: ergo.

XIX. *q*) In Concilio Tridentino postulatum est ab Oratoribus Regni Galliarum ut irritarentur certis sub conditionibus matrimonia a filiis sine consensu parentum contracta. Maxime cordi erat illis id assequi; iam in Regno Galliorum huiusmodi nuptiae prohibitae fuerant auctoritate regia, et post Concilium quoque quantum civilis auctoritas eniti potuit, illas reiecit. Quaerimus cur Reges seculares non irritarunt eas nuptias? Cur Patres Tridentini noluerunt morem gerere Principibus seculi, imo anathemate damnarunt eos, qui affirmarent talia matrimonia esse irrita? Manifestum est sententiam certam et communem ea aetate fuisse quod auctoritas ferendi leges circa valorem contractus matrimonialis solum sit penes Ecclesiam, ipsamque Ecclesiam hac auctoritate esse usam cum ea matrimonia rata et valida esse decrevit.

XX. Arbitramur monumenta hactenus allata satis esse ad demonstrationem facti, quod Ecclesia scilicet quavis aetate arbitrio suo decernebat circa ea, quae spectant ad matrimonium christianorum ipsiusque contractus valorem. Iam ab initio Ecclesiae nascentis sese manifestat providentia eiusdem circa fidelium matrimonia. Inde est enim quod inquit Ignatius martyr ad Polycarpum c. 5. « Decet ut sponsi et sponsae *de sententia Episcopi* coniugium faciant, quo nuptiae sint secundum Dominum et non secundum cupiditatem. » Et Tertullianus (De Monogamia c. 11°.) testis est quod sua aetate qui matrimonium inire vellet, ipsum ab episcopo, a presbytero postulabat, illique uxores et viros dabant.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

THESIS XXX.

Ecclesiae competit potestas constituendi impedimenta dirimentia matrimonium, eaque ipsi competit iure proprio.

I. Probatur primum ex facto h. e. ex usu huius potestatis. Nam Ecclesia semper usa est hoc iure et censuit se uti posse omnesque fideles suis legibus obligare: atqui id nequiret fieri, si reapse Ecclesia careret hac potestate: ergo. Maior liquet ex praeced. th. minor constat ex inerrantia Ecclesiae. Nam hoc facto constanti tum saltem implicite docuit se hanc potestatem accepisse a Christo atque idcirco hanc vere suam potestatem esse, tum explicite normam moralem quoad coniugia fidelibus praestituit, quae si suo fundamento h. e. Ecclesiae auctoritate destituerentur, induceret Ecclesia per se fideles in id quod inhonestum est: utraque ergo ex parte error in re fidei vel morum traderetur ab Ecclesia; cum igitur id repugnet, sequitur Ecclesiam haud carere hac potestate.

II. Veritatem historicam huius facti quod ab initio Ecclesia leges tulerit a quibus valor ipse contractus matrimonialis penderet licet quoque hoc pacto veluti a priori demonstrare. Scilicet convenit inter omnes oportere in societate bene ordinata esse leges positivas, quibus coniugia et coniugalis vinculi valor regantur ac determinentur: ergo et in primitiva Ecclesia leges huiusmodi pro opportunitate ferebantur; ideoque auctoritas exstabat quae hae leges ferre posset. Iam vero ipsa societatis religiosae christianae natura talis erat ut ei specialiter quaedam leges convenirent, impedientes coniugia, quae leges in aliis societatibus non requirerentur, idque proprium est cuiusque societatis praesertim religiosae ut ei speciales aliquae leges tum in ceteris rebus, tum in materia coniugiorum quoque conveniant. Porro quis primis Ecclesiae seculis iudex hac in re esse potuit et tales leges ferre? Profecto non civilis auctoritas aliena ad Ecclesia eiusque hostis. Ergo ab ipsa ecclesiastica auctoritate, quae poterat omnia solvere et ligare quae Ecclesiae necessaria et utilia forent, leges circa coniugia sive simpliciter prohibentes sive etiam irritantes etiamtum pro opportunitate latae sunt.

III. Et sane constat ratio cur ita sit. Nam competit certe Ecclesiae ius in sacra, ipsique concredita est administratio Sacramentorum: matrimonium autem Christianum intrinsece et essentialiter res sacra est et Sacramentum: ad administrationem vero huius Sacramenti spectat quoque constitutio impedimentorum dirimentium sive adsignatio formae pro valore actus; ius enim administrandi Sacramenta, praeter materias et formas a Christo institutas, ad ea omnia se porrigit, quae necessaria vel convenientia sunt, ut Sacramentum rite celebretur: necesse est autem vel maxime decet ut quaedam coniunctiones ne dum prohibeantur, sed et irritentur et haec irritatio non mutat formam et materiam Sacramenti, sed conditiones antecedentes ponit, quibus exsistere possit contractus qui sit materia et forma Sacramenti, ut uberius seq. Th. demonstrabimus : ergo hoc ius continetur iure administrandi Sacramenta: ergo.

IV. Docemus porro quod non concessione sive permissione auctoritatis civilis, multoque minus ex iniusta usurpatione, sed ex propria et insita potestate a Christo immediate accepta constituit Ecclesia impedimenta dirimentia matrimonium Christianum et constituere potest. Aiunt scilicet adversarii hoc ius proprium esse et originarium principatus civilis: principes tamen seculares concessisse Romano Pontifici et Ecclesiae huius iuris exercitium. Porro advertatur ita exercuisse Ecclesiam hoc ius ut etiam invitis Principibus eo sit usa. Dicendum est ergo ab adversariis Principes ita concessisse Ecclesiae exercitium istius iuris, ut eo ipsi statuerint non amplius uti.

Doctrina quam defendimus est de fide, a Pio VI. asserta Constit. *Auctorem fidei,* qui eam doctrinam non solum docet, vocans contrariam *haereticam,* sed praeterea docet eam contineri cann. 3. 4. 9. 12. Sess. XXIV. Conc. Trid. Porro infallibile est Romani Pontificis magisterium, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens pro suprema sua Apostolica Auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit (Conc. Vatic. Sess. 4.), quod certe in hac Constit. praestat Pius VI. Sic autem ait n. 59. « *Doctrina Synodi asserens* ad supremam civilem potestatem dumtaxat originarie spectare contractui matrimonii apponere impedimenta eius generis, quae ipsum nullum reddant dicunturque dirimentia;..... *subiungens* supposito assensu et conniventia Principum potuisse Ecclesiam iuste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii, *quasi Ecclesia non semper potuerit ac possit in Christianorum matrimoniis iure proprio impedimenta constituere, quae matrimonium non solum impediant sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus Christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare: canonum 3. 4. 9. 12. Sess. XXIV. Conc. Trid. eversiva, haeretica.* »

V. Sane canon 4. Tridentinus est. « Si quis dixerit Ecclesiam non posse constituere impedimenta dirimentia matrimonium, vel in iis constituendis errasse: A. S. ». Canon 3. vero « Si quis dixerit

eos tantum consanguinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare aut constituere ut plures impediant et dirimant: A. S. » Iam vero constat canones istos dogmaticos esse eadem demostratione, quam dedimus Th. XXVIII. p. II. Asseritur iis proinde veritas credenda, non quidem aliqua veritas facti dogmatici; nam non de facto sed de iure sermo est: nec veritas aliqua per se naturalis connexa cum aliqua revelata; nam huius connexionis hic nullum indicium: et sane cum agatur de potestate Ecclesiae, ea licet identidem iure quoque naturae determinari possit, revelatione tamen omnis contineri quoque debet, a qua accepimus Ecclesiam omnesque eius proprietates et potestatem. Asseritur ergo his canonibus veritas revelata potestatis Ecclesiae statuendi impedimenta dirimentia, quae idcirco veritas credenda est fide divina. Atqui potestas Ecclesiae fide divina credenda debet esse propria ipsius, iure divino ipsi competens, non adscititia ex concessione principum; ergo. Prob. minor. Quod credendum est fide divina inniti debet divinae revelationi, at potestas Ecclesiae delegata ei a principibus inniteretur solo illi iuri, cui ipsa Principum potestas innititur, naturali scilicet aut sociali, et quidem non admodum evidenti, cum nondum penes omnes certissimum sit habere principes ius condendi huiusmodi leges, quae valorem matrimonii attingant. Porro quae ex his fontibus naturalibus hauriuntur non proponuntur fidelibus fide divina credenda. 2° Si haec Ecclesiae potestas non propria ipsius foret, sed ex Principum concessione esset, posset a principibus revocari ea facultas et ecclesia sic carere posset ea potestate, ideoque tunc falsa foret definitio Ecclesiae nec amplius esset credenda: porro dogma fidei nullo unquam tempore falsum esse potest; ergo. Quod autem posset a principibus revocari ea facultas in hac hypothesi manifestum est. Nam in hac hypothesi esset talis potestas propria principatus civilis per se in bonum societatis civilis, atqui talis potestas necessario inest potestati civili, ita ut licet princeps possit eius exercitium alteri concedere, nequeat tamen 1°) ea se potestate exuere, quia necessario ipsa manet manente auctoritate civili; nam eius est essentiale elementum: 2° nequeat ita exercitium concedere, ut sibi adimat facultatem revocandi concessionem. Etsi enim quaedam iura non essentialia societati aut auctoritati sociali possint a Principe renuntiari quin ipsa desinat et ita renuntiari ut non amplius valeat repeti quod alteri non inferiori concessum est: id nequit dici de iuribus essentialibus societatis aut auctoritatis socialis, cuiusmodi esset ius utendi potestate statuendi impedimenta, ita ut manens ipsa auctoritas socialis amittat haec

iura. Et sane quod est in bonum societatis non est tantum potestas quantum exercitium, ad quod potestas ordinatur: sicut ergo ipse princeps perseverat esse ille, qui iure potest et debet consulere bono societatis idque praestat usu auctoritatis suae, ita manet semper in ipso ius revocandi concessionem, cum censeat illius usum non conducere ad bonum societatis. Praeterea ius proprium Ecclesiae independens ab auctoritate civili, sive quod perinde est, ius divinum quo Ecclesia agit, manifestum fit ex eo quod semper in Ecclesia fuerit et sit haec potestas eiusque exercitium etiam sub principibus infidelibus. Cf. Th. praeced. Si haec enim potestas inerat Ecclesiae et inest tum quoque cum vel ipsa tota vel ea pars gregis in quam exercetur, est sub infidelium et inimicorum dominatione: nequit dici Ecclesia mutuata eam esse a Principibus. Ita sane arguit Pius VI in litteris datis an. 1782. ad Archiepis. Trevirensem. « Cum nullo unquam tempore dogma fidei falsum esse potuerit aut esse possit, necesse est ut ab Ecclesiae origine et omni ante acto tempore verum fuerit et omni consequenti aetate verum futurum sit Ecclesiam ea, quae a Concilio asseritur, potestate pollere. At si tacita saltem principum requireretur ad eam habendam potestatem concessio, sequeretur illud primis Ecclesiae temporibus sub principibus nimirum ethnicis verum esse non potuisse, neque hoc tempore verum esse posse iis in locis, in quibus Christi fideles degunt sub infidelium dominatione. Et si ob aliquam, ut vocant, rationem status Principes revocata ea, quae obtenditur, indulgentia, abrogare sancita ab Ecclesia impedimenta valerent, fieri posset ut verum esse desineret quod a Tridentino definitum est, idque portenti exsisteret ut aliquando dicendum foret Ecclesiam non posse quod Ecclesiam posse Spiritus S. oecumenicae Synodi oraculo declaravit. »

VI. Praeterea nequit censeri acceptum a Principibus ius, quod contra ipsos Principes nequidquam reluctantes Ecclesia exercuit, quin audiretur haec exceptio: in causis matrimonialibus supremos iudices esse seculares Principes; id enim certo contigisset, si ex concessione Principum auctoritas ecclesiastica hoc iure esset usa.

VII. Et sane si concessio haec facta est, doceatur quo tempore, a quo Principe facta sit. Non fuit concessum profecto hoc ius primis Ecclesiae seculis ante Constantinum, ut satis liquet. Nequit vero affirmari concessionem istam factam esse eo spatio temporis, quod intercessit inter initium seculi IV et aetatem mediam; nam ea aetate ipsi adversarii monent, Imperatores suis legibus impedimenta matrimonii sanxisse. Porro aetate media contentiones maximae inter Ecclesiam et Imperium obortae, nec unquam plene exstinctae, vindicantibus sibi Imperatoribus iura vel maxime indebita, nedum civi-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

lia sed et sacra, prohibent ne arbitremur concessisse Ecclesiae Supremos Principes huiusmodi facultatem, aut si aliqui concesserint, alios non revocasse. Recitetur, si fieri potest, nomen unius Principis, qui hoc privilegium Ecclesiae concesserit, proferatur unus actus concessionis ex aliquo monumento antiquitatis: nihil hactenus productum est in medium.

Et re quidem vera est prorsus inepte inventa istius concessionis fabula. Etenim vel unus Princeps pro omnibus concessit, vel omnes singillatim, tum ille aut isti vel pro sua tantum aetate, vel pro cunctis subsequentibus aetatibus concesserunt. Atqui non unus pro omnibus; nam nunquam is exstitit, cui omnes, qua pateret orbis, christiani subessent. Non omnes singillatim; nam secus ex tot monumentis, quae exstitissent huius facti, aliquod certe superesset nobis. Si autem concessio facta ab illis fuit temporaria, quae morte intercedente concedentis exspirare deberet, oportet tot actus concessionis huius conditos esse quot fuere principes, ex quibus tamen nullum superesse credat Iudaeus Apella. Iam vidimus vero non fuisse in potestate Principum, si istud ius est ipsorum proprium, ita se eo abdicare, ut facultatem ademerint suis successoribus eodem utendi: ergo.

VIII. Reponunt tamen adversarii quaedam, quae solutione egeant. Arguunt primum ex s. Ambrosio, qui (epist. LX ad Paternum) cum omnia colligat, quibus dissuadere valeat Paternum, ne filio suo neptem ex sua filia dare velit in uxorem, nullam legem Ecclesiasticam habet, quae id prohiberet, sed partim ex Levitico et aequitate naturali, partim ex imperiali lege Theodosii deducit a simili argumentum ad illud matrimonium improbandum. Quocirca ea aetate non in Ecclesiastica sed potius in imperiali potestate situm censebat Ambrosius ius decernendi impedimenta matrimonii.

Respondeo. Ambrosius postquam ex aequitate naturali ostenderit illicitum esse hoc coniugium, nec esse de hac re dubitandum, subdit: « quid enim est quod dubitari queat, cum lex divina etiam patrueles fratres prohibeat convenire in coniugalem copulam, qui sibi quarto sociantur gradu? Hic autem gradus tertius est, qui etiam civili iure a consortio coniugii exceptus videtur. Sed prius sacrae legis scita interrogemus; praetendis enim in tuis litteris quod permissum hoc divino iure connubium huiusmodi pignoribus existimetur, eo quod non sit prohibitum. Ego autem et prohibitum assero, quia cum leviora interdicta sint de patruelibus fratribus, multo magis hoc, quod arctioris est plenum necessitudinis, interdictum arbitror. Qui enim leviora astringit, graviora non solvit, sed alligat... Numquid ideo licet quia non est prohibitum (expresse?) Minime.

Interdictum est enim naturae iure, interdictum est lege, quae est in cordibus singulorum, interdictum est inviolabili praescriptione pietatis, titulo necessitudinis. Quanta huiusmodi invenies non esse interdicta lege per Moysem edita, et tamen interdicta sunt quadam voce naturae?..... Sed si divina te praetereunt, saltem imperatorum praecepta, a quibus amplissimum accepisti honorem, haudquaquam te praeterire debuerunt. Nam Theodosius imperator etiam patrueles fratres et consobrinos vetuit inter se coniugii convenire nomine, et severissimam poenam statuit, si quis temerare ausus esset fratrum pia pignora; et tamen illi invicem sibi aequales sunt, » secus ac avunculus et neptis, cuiusmodi erant ii, quos sociare volebat Paternus. Argumentum Ambrosii ex lege positiva ductum est istud: lex sacra seu divina atque lex imperialis prohibent inter patrueles et consobrinos iungi connubia: ergo et coniugium avunculi cum nepti, inter quos arctior est necessitudo, prohibitum censeri debet, Addit tertium gradum etiam civili iure a consortio coniugii exceptum videri.

Quaeritur quaenam sit haec lex divina aut sacra, ad quam provocat s. Doctor. In primis patet ex ipsa argumentatione instituta eandem esse Ambrosio legem divinam ac sacram: haec autem lex, ad quam ipse Paternus provocabat, non alia censeri posse videtur ab ea, quae in Levitico habetur; nam deinceps de eadem lege Ambrosius loquens, eam simpliciter legem appellat et legem Moysis. At difficultas est, quia in Lege Moysi ea prohibitio ne patrueles fratres et consobrinae conveniant in coniugalem copulam, non reperitur. Cur non provocavit potius Ambrosius ad similem legem Moysis prohibentem coniugium viro cum sorore patris sui? Vel ergo lex divina et sacra est aliqua lex Ecclesiae, vel memoria lapsus Ambrosius fuisse videtur.

Ceterum patet 1° vim demonstrativam inhonestatis illius coniugii quod Paternus moliebatur, non petere Ambrosium a lege Theodosii; quae de alia re loquitur, nec potuisse ex ea lege ostendere illud matrimonium nullum esse, eo quod rursus ad alia connubia ea lex spectabat. Sed ex ea lege tantum suasionem colligit Ambrosius eamque urget veluti ad hominem contra eum, qui censebatur nolle id admittere quod Theodosio non probaretur, quippe qui amplissimos honores ab eo accepisset.

2.° Quoad argumentum desumptum ex iure civili, cum ait Ambrosius *tertium hunc gradum etiam civili iure a consortio coniugii exceptum videri,* advertendum est inter fragmenta iurisconsulti Ulpiani, qui fuit sub Alexandro Severo praefectus praetorio, hoc reperiri Tit. V. « inter cognatos ex transverso gradu olim quidem usque ad quartum gradum matrimonia contrahi non poterant: nunc

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

autem ex tertio gradu licet uxorem ducere, si tamen fratris filia non etiam sororis filia aut amita aut matertera, quamvis eodem gradu sit. » Cuiacus in Cod. L. V. Tit. 5. ait: « In Pandectis nusquam invenies inter nuptias illicitas proferri patrui nuptias cum fratris filia. Hodie quidem sunt illicitae, fateor (ex lege Diocletiani Cod. Leg. 17ª Tit. 4. L. V.). Diu fuere licitae: nec tamen licuit unquam avunculo ducere sororis filiam, quod mirum est. » Porro hic est casus propositus Ambrosio a Paterno: et hinc apparet cur dixerit s. Doctor exceptum videri hunc tertium gradum etiam civili iure.

His nihilominus positis, videtur potius nobis ex tota hac historia argumentum colligendum esse pro doctrina, quam defendimus. Sane 1° Paternus, vir legum certe peritus, cum de matrimonio ageretur, non leges aut iudices seculares, sed Episcopum suum consulit, eoque dubitante, Ambrosium: nec ullius legis civilis mentionem facit, sed solum divinae; etsi lex civilis clare iam proposita, lex nempe Diocletiani et Maximiani (cod. Iustiniani l. c.) aperte illi matrimonio adversaretur. Ergo non censebant Paternus eiusque Episcopus matrimonia christianorum legibus civilibus ligari; nulla enim, posita ea lege, iam super fuisset quaestio. 2° Ambrosius ipse hanc eandem iuris civilis dispositionem certe noverat; et nihilominus eius tantummodo mentionem iniicit, quin ex ipsa solvat quaestionem, sed alia argumenta ad probandam sententiam suam adducit urgetque potissimum legem Theodosii, quae ad rem proprie non faciebat, sed qua suaderi poterat Paternus Theodosio illud coniugium non probari, quod maxime valere arbitrabatur Ambrosius ad deterrendum Paternum ab eo coniugio. In summa Ambrosius argumenta tantum suasiva congerit nec legis civilis auctoritate solvit quaestionem. Haec profecto explícanda sunt ab iis, qui contendunt ea aetate persuasos fuisse christianos potestatem ferendi leges circa matrimonia christianorum penes principatum esse civilem. Nobis enim e contrario sunt argumento censuisse fideles IV. seculi non secus ac Ecclesiam seculi XIX potestatem huiusmodi penes Ecclesiam solam residere.

3° Cur ergo s. Doctor non provocat ad legem Ecclesiae? Verum nos probavimus quidem Ecclesiam ab origine potestatem habuisse eamque exercuisse in matrimonium christianorum, non vero affirmavimus quod iam ab initio omnia impedimenta constituerit. Ex silentio ergo Ambrosii illud tantum poterit esse consequens, nondum ab Ecclesia, cum adeo raro tales coniunctiones expeterentur, fuisse latam eam legem. Ex eo autem quod Ambrosii responsio non innitatur legi civili eas nuptias iam tum prohibenti, colligitur certum argumentum quod non censuerit ipse matrimonia christianorum regenda esse lege civili.

IX. Arguunt ex Augustino, qui (De Civ. Dei L. XV, c. 16) ut excludat coniugia consobrinorum, plures amplificat congruentias aequitatis nec legem ecclesiasticam ullam profert, sed solum recentem legem civilem, cuius vi significat factum esse ut eae nuptiae illicitae forent. « Experti sumus, inquit, in connubiis consobrinorum etiam nostris temporibus propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quam raro per mores fiebat, quod fieri per leges licebat, quia id nec divina prohibuit et nondum prohibuerat lex humana » lex scilicet a Theodosio lata.

Respondeo. Quod ex Augustini verbis deduci potest, istud est: 1° ante Theodosium Ecclesiam non prohibuisse eas nuptias aut saltem Augustinum non agnovisse hanc prohibitionem, si alicubi facta fuit: 2° etiam ea lege non exsistente, raro vi morum eas nuptias usurpatas fuisse: 3° desiisse autem contrahi postquam humana lege vetitae fuerunt. At 1° certum non est eos, inter quos raro fiebant, esse christianos: Augustinus enim universim de hominibus suae aetatis loquitur, qua plures adhuc ethnici exstabant: ideoque 2° nequit colligi ex Augustini verbis christianos vi imperatoriae legis abstinuisse ab iis nuptiis. Multo minus 3° inferri potest non censuisse Augustinum Ecclesiam potuisse prohibere et irritare eas nuptias; nam factum solum narrat, de iure non disputat: unde inferre quidem licet nondum Ecclesiam tulisse eam legem, non autem quod non potuerit ferre aut quod non fuerit opus auctoritate Ecclesiae ut ea lex pro christianis matrimoniis valeret, ut demonstrabimus Th. XXXII. Quo posito, nomine *legis humanae*, quae opponitur legi divinae, lex quoque positiva Ecclesiae potest comprehendi sive alterutra aut Ecclesiastica aut civilis significari: quocirca ea distinctione Augustinus non docet prohiberi matrimonia tantum posse vel lege divina vel humana civilis societatis, sed vel divina vel humana sive civili pro infidelibus, sive ecclesiastica pro fidelibus et hac vel per se decernente vel probante legem civilem. Ad factum vero quod spectat cum sola lex humana civilis tunc exsisteret, eaque pro infidelibus valeret, in contextu Augustini dictio *lex humana* supponitur historice pro sola lege civili. Nisi, quod opus non erat Augustino referre, accesserit probatio Ecclesia, quae vellet ea lege matrimonia christiana obligari.

X. Frustra obiicitur quod Athenagoras in Legat. profiteatur *Christianos uxorem ducere secundum leges ab Imperatoribus* (1) *positas*. Nam non dicit has leges valere pro Christianis citra Ecclesiae approbationem et citra eam Christianos uxores ducere. Id

(1) Lectio quidem edita refert ὑφ' ἡμῶν: at non pauci eruditi censent legendum ὑφ' ὑμῶν (h. e. ab imperatoribus), quibus non aegre assentimur.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vero solum simpliciter affirmat h. e. factum, quod fini a se intento scilicet defensioni christianorum conducebat. Neque enim negare poterat christianos secundum sententiam Episcopi nuptias inire. Frustra quoque affertur canon Conc. Carthag. (p. 144) in quo, prohibitis secundis nuptiis vivente priore coniuge, aiunt Patres *legem imperialem petendam promulgari;* haec enim non est nisi imploratio brachii secularis pro coercendis contumacibus. Sane ea prohibitio divina est, quae non indiget confirmatione potestatis humanae. Eodem modo accipiendum est quod in legibus Longobardorum Rex Luitprandus prohibens duci relictam ex consobrino aut sobrino, ait « quia Deo teste, Papa Urbis Romae per suam epistolam nos hortavit ut tale coniugium fieri nullatenus permitteremus »; haec enim adhortatio non eo spectabat ut ipse Rex impedimentum dirimens statueret, sed ut Ecclesiae morem gereret non permittens scilicet quod Ecclesia prohibuit, quae permissio, quamvis invalida, scandalorum occasio fuisset: indicium vero prudentiae et modestiae est in Pontifice adhibere adhortationem citra imperium, non est defectus potestatis. Nec causam adversariorum iuvat cn. 5. Conc. Lateran. an. 1123. « Coniunctiones consanguineorum fieri prohibemus quoniam et divinae et seculi prohibent leges. Leges enim divinae hoc agentes et eos qui ex eis prodeunt, non solum reiiciunt, sed maledictos appellant; leges vero seculi infames eos vocant et ab hereditate repellunt. Nos itaque patres nostros sequentes infamia eos notamus et infames esse censemus. » Primo quidem Patres huius concilii dicunt se sequi Patres suos in decreto condendo: Episcopi autem in Synodum collecti non appellant Patres suos nisi praecedentes Episcopos et Doctores Ecclesiae, non laicos aut imperatores. Deinde lex divina, quae prohibet coniunctiones consanguineorum, tum ea quae sacra Scriptura continetur, tum quae ab Ecclesia constituta est intelligi potest. Sequuntur vero ii Patres suos, cum quos illi maledictos appellaverant, ipsi infames esse decernunt.

Quae proferuntur argumenta ex legibus hac super re ab imperatoribus latis et ex obsequio Romanorum Pontificum erga ipsas, expediemus in seqq.

XI. Van Espen (Ius Eccles. Tom. 1. p. 2. Tit. 13. c. 1. §. 20) ait: « Nequaquam dubitamus quin Ecclesia habeat auctoritatem similia (dirimentia) impedimenta inducendi, prout per concilium Tridentinum definitum est: sed et hoc fatendum est, concilium non definivisse utrum ex Christi institutione, vel utrum ex principum indulgentia tacita vel expressa haec auctoritas inducendi impedimenta dirimentia Ecclesiae competat. » Haec tamen impudentissime dicuntur. Ecclesia enim dogma fidei non sancit id quod mutabile est et

falsum evadere potest: at si potestas Ecclesiae in impedimentis statuendis est ex concessione Principum, desinere ea potest, et falsa idcirco evadere potest assertio quod illi competat ea potestas. Ipsa ergo definitione excluditur is modus habendi eam potestatem.

XII. Probavimus competere Ecclesiae iure suo non ex concessione Principum talem potestatem. Ratio vero cur hoc pacto competat, in promptu est. Iure enim proprio, derivato immediate ex divina institutione, competit Ecclesiae potestas in sacra: cum ergo contractus matrimonialis christianus sit sacramentum, iure divino Ecclesia potestatem habet omnia statuendi quae necessaria sunt ut honeste et valide fiat. Haec autem potestas in sacra est independens a quavis potestate civili, ut in tractatu de Ecclesia probatur: ergo.

Corollarium I. Ergo inepti sunt qui non valentes aliquod documentum afferre quo concessio formalis Principum sive eorum consensus explicitus in exercitium potestatis ecclesiasticae probetur, recurrunt ad consensum tacitum, qui vim tribuerit Ecclesiae legibus. Nam ut talis consensus tacitus affirmetur necesse est, auctoritatem principatus civilis postulari ad valorem actus; atqui constat ipsam non postulari ad valorem legum ecclesiasticarum quoad impedimenta matrimonii: ergo perperam fingitur hic consensus, qui nihil facere potest. Ceterum consensus tacitus inepte supponitur cum qui consentire dicitur, reluctatur quantum potest: atqui non raro Principes praeteritis seculis auctoritati Ecclesiae supra matrimonium, quantum in ipsis erat, reluctati sunt vel se opponentes eius decretis vel volentes eam adducere ad id definiendum quod eis probabatur: ergo.

Corollarium II. Ergo multo magis falsum est exercitium huius potestatis penes Ecclesiam esse usurpationem potestatis laicorum: quae quidem affirmatio est haeretica blasphemia.

THESIS XXXI.

Etsi secularis Princeps ius habeat ferendi leges circa conditiones et effectus civiles matrimonii, non tamen consequitur ius habere leges ferendi circa ipsum matrimonium Christianum.

I. Volumus hanc expedire quaestionem antequam demonstremus soli Ecclesiae competere ius praescribendi formam pro valore contractus matrimonialis inter christianos, ut plenior et evidentior sit ea demostratio. In matrimonio quidem distinguenda sunt essentialia ab accessoriis. Ea sunt consensus, vinculum indissolubile, ius et officium simul habitandi, prolem esse legitimam h. e. ex iusto matrimonio

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vero solum simpliciter affirmat h. e. factum, quod fini a se intento scilicet defensioni christianorum conducebat. Neque enim negare poterat christianos secundum sententiam Episcopi nuptias inire. Frustra quoque affertur canon Conc. Carthag. (p. 144) in quo, prohibitis secundis nuptiis vivente priore coniuge, aiunt Patres *legem imperialem petendam promulgari;* haec enim non est nisi imploratio brachii secularis pro coercendis contumacibus. Sane ea prohibitio divina est, quae non indiget confirmatione potestatis humanae. Eodem modo accipiendum est quod in legibus Longobardorum Rex Luitprandus prohibens duci relictam ex consobrino aut sobrino, ait « quia Deo teste, Papa Urbis Romae per suam epistolam nos hortavit ut tale coniugium fieri nullatenus permitteremus »; haec enim adhortatio non eo spectabat ut ipse Rex impedimentum dirimens statueret, sed ut Ecclesiae morem gereret non permittens scilicet quod Ecclesia prohibuit, quae permissio, quamvis invalida, scandalorum occasio fuisset: indicium vero prudentiae et modestiae est in Pontifice adhibere adhortationem citra imperium, non est defectus potestatis. Nec causam adversariorum iuvat cn. 5. Conc. Lateran. an. 1123. « Coniunctiones consanguineorum fieri prohibemus quoniam et divinae et seculi prohibent leges. Leges enim divinae hoc agentes et eos qui ex eis prodeunt, non solum reiiciunt, sed maledictos appellant; leges vero seculi infames eos vocant et ab hereditate repellunt. Nos itaque patres nostros sequentes infamia eos notamus et infames esse censemus. » Primo quidem Patres huius concilii dicunt se sequi Patres suos in decreto condendo: Episcopi autem in Synodum collecti non appellant Patres suos nisi praecedentes Episcopos et Doctores Ecclesiae, non laicos aut imperatores. Deinde lex divina, quae prohibet coniunctiones consanguineorum, tum ea quae sacra Scriptura continetur, tum quae ab Ecclesia constituta est intelligi potest. Sequuntur vero ii Patres suos, cum quos illi maledictos appellaverant, ipsi infames esse decernunt.

Quae proferuntur argumenta ex legibus hac super re ab imperatoribus latis et ex obsequio Romanorum Pontificum erga ipsas, expediemus in seqq.

XI. Van Espen (Ius Eccles. Tom. 1. p. 2. Tit. 13. c. 1. §. 20) ait: « Nequaquam dubitamus quin Ecclesia habeat auctoritatem similia (dirimentia) impedimenta inducendi, prout per concilium Tridentinum definitum est: sed et hoc fatendum est, concilium non definivisse utrum ex Christi institutione, vel utrum ex principum indulgentia tacita vel expressa haec auctoritas inducendi impedimenta dirimentia Ecclesiae competat. » Haec tamen impudentissime dicuntur. Ecclesia enim dogma fidei non sancit id quod mutabile est et

falsum evadere potest: at si potestas Ecclesiae in impedimentis statuendis est ex concessione Principum, desinere ea potest, et falsa idcirco evadere potest assertio quod illi competat ea potestas. Ipsa ergo definitione excluditur is modus habendi eam potestatem.

XII. Probavimus competere Ecclesiae iure suo non ex concessione Principum talem potestatem. Ratio vero cur hoc pacto competat, in promptu est. Iure enim proprio, derivato immediate ex divina institutione, competit Ecclesiae potestas in sacra: cum ergo contractus matrimonialis christianus sit sacramentum, iure divino Ecclesia potestatem habet omnia statuendi quae necessaria sunt ut honeste et valide fiat. Haec autem potestas in sacra est independens a quavis potestate civili, ut in tractatu de Ecclesia probatur: ergo.

Corollarium I. Ergo inepti sunt qui non valentes aliquod documentum afferre quo concessio formalis Principum sive eorum consensus explicitus in exercitium potestatis ecclesiasticae probetur, recurrunt ad consensum tacitum, qui vim tribuerit Ecclesiae legibus. Nam ut talis consensus tacitus affirmetur necesse est, auctoritatem principatus civilis postulari ad valorem actus; atqui constat ipsam non postulari ad valorem legum ecclesiasticarum quoad impedimenta matrimonii: ergo perperam fingitur hic consensus, qui nihil facere potest. Ceterum consensus tacitus inepte supponitur cum qui consentire dicitur, reluctatur quantum potest: atqui non raro Principes praeteritis seculis auctoritati Ecclesiae supra matrimonium, quantum in ipsis erat, reluctati sunt vel se opponentes eius decretis vel volentes eam adducere ad id definiendum quod eis probabatur: ergo.

Corollarium II. Ergo multo magis falsum est exercitium huius potestatis penes Ecclesiam esse usurpationem potestatis laicorum: quae quidem affirmatio est haeretica blasphemia.

THESIS XXXI.

Etsi secularis Princeps ius habeat ferendi leges circa conditiones et effectus civiles matrimonii, non tamen consequitur ius habere leges ferendi circa ipsum matrimonium Christianum.

I. Volumus hanc expedire quaestionem antequam demonstremus soli Ecclesiae competere ius praescribendi formam pro valore contractus matrimonialis inter christianos, ut plenior et evidentior sit ea demostratio. In matrimonio quidem distinguenda sunt essentialia ab accessoriis. Ea sunt consensus, vinculum indissolubile, ius et officium simul habitandi, prolem esse legitimam h. e. ex iusto matrimonio

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

natam, ius parentum in filios secundum ipsas naturae leges. Accessoria sunt quae matrimonio accedunt, sine quibus ipsum esse potest, ut dos et quae dicuntur iura seu effectus tum civiles tum ecclesiastici, prout in alterutra societate vim habent (nam et in Ecclesia ii locum habent, cuiusmodi est e. g. quod bigami nequeant ordinari): huiusmodi sunt capacitas consequendi munia aut officia publica, ius quoddam determinatum patriae potestatis, ius prolis ad hereditatem, participatio status et honoris parentum, facultas testandi etc. Horum enim bonorum dispensatrix est potestas suprema societatis, ad quam ea spectant, et cum ea non sint essentialia matrimonio, opus non est ut ab ea potestate determinentur, cui subest essentia matrimonii. Imo cum pro diversa indole societatum civilium, alia et alia communicatio horum bonorum possit convenire cuique societati, determinatio huiusmodi iurium et effectuum esse debet penes singulas civiles auctoritates.

II. Ut autem civilis auctoritas rite decernat de his conditionibus seu effectibus civilibus, opus haud est ut ipsa ius habeat ferendi leges circa ipsum vinculum matrimonii ac praescribendi formam pro valore ipsius contractus: sed sine hac potestate potest illa integre sibi constare. Ratio est, quia exercitium potestatis circa haec omnia ex sua natura supponit iam verum matrimonium exsistens; finis vero, propter quem haec potestas exercetur, non est ipsa intrinseca perfectio matrimonii, sed est extrinsecum bonum societatis, quod, suppositis quidem veris matrimoniis, potest tamen multipliciter ex illis obtineri: idcirco iuxta societatis indolem ac differentes conditiones, in quibus ea versatur, locus est diversis determinationibus huiusmodi effectuum, ut finis a societate intentus commodius obtineatur. Sic licet verum sit coniugium inter Principem et ancillam, potest tamen statui ut filius ex ea natus non succedat in regno: sic statui potest ut qui quarto quinto nubunt, a certis muneribus et honoribus reiiciantur, sicut Ecclesia reiicit secundo nubentes a sacris ordinibus. In his legibus statuendis non attingitur essentia matrimonii: nec, ut bono societatis consulatur, opus est statuere quod nullum sit coniugium inter has personas, sed satis est decernere quod matrimonia huiusmodi careant certis iuribus certosque effectus non producant. Et sane cum haec omnia sint accessoria matrimonii, ipsius esse iam constitutum per se supponunt; ideoque ut potestas aliqua circa ea plena exerceatur, exordiri exercitium suorum actuum potest a suppositione veri matrimonii. Cum itaque potestas circa huiusmodi accessoria plene valeat exerceri, supposita matrimonii essentia iam constituta, si aliunde probetur Christum subduxisse matrimonii christiani vinculum a potestate civili ipsumque soli potestati religiosae,

quae nunc non est nisi ecclesiastica, vindicasse; consequens erit quod auctoritati civili non sit reliqua nisi potestas decernendi circa iura civilia effectusque civiles, supposita veritate matrimonii secundum Ecclesiae leges. Itaque in his iuribus et effectibus civilibus determinandis se habet auctoritas civilis ad auctoritatem religiosam, sicut se haberet in statu purae naturae ad ius naturale: quemadmodum scilicet non repugnat quod ea potestas supponat ius naturae circa essentiam matrimonii nec postulatur ut eadem potestas valeat efficere valida coniugia, quae reprobat ius naturae, ita non exigitur ut ipsa valeat contra ius altioris auctoritatis decernere quod aliqua matrimonia valida sint aut invalida.

Habita igitur ratione boni civilis licet Principi negare iura aut bona civilia quibusdam per se validis matrimoniis. Iniquissimum tamen ac turpissimum foret bona civilia aeque invalido matrimonio seu concubinatui ac valido asserere.

THESIS XXXII.

Ecclesia sola ponere potest impedimenta matrimonium Christianum dirimentia: h. e. potestas civilis nullum ius insitum sibi habet statuendi impedimenta dirimentia, quae afficiant ipsum vinculum matrimonii Christiani.

I. Loquimur de iis impedimentis, quae prohibent ne vinculum exsistat. Cum sermo est de iure potestatis civilis intelligitur ius ipsi proprium ex eius natura dimanans. Probamus primum rem ita esse, scilicet Ecclesiam solam habere hoc ius. Doctrinam Catholicam proposuit Pius VI Brevi 16 Sept. 1788 ad Episcopum Motulensem, qui, accepta a rege delegatione in gradu appellationis a iudicio Episcopi neapolitani in causa matrimoniali, sententiam tulerat et declaraverat leges Ecclesiae et Sanctae Sedis vim habituras fuisse nullam, nisi « postquam codex Gregorianus in universas Catholici Orbis provincias pervagatus fuerat, civilis auctoritas adiuncta esset, tacita tantum consensione summarum potestatum, quarum erat leges de nuptiis dicere. » Scopus praecipuus Brevis est institutio in doctrina. « Accipe nunc. V. F. paternam illius vocem, qui, ut probe nosti, cum miseratione divina in Cathedra Petri sedeat, ius habet suprema Christi ipsius auctoritate collatum docendi et confirmandi: ita enim comparati animo sumus, ut et amanter tecum agere teque benigne commonefacere velimus, quo errorem inspicias, in quem es misere prolapsus, atque illum quam primum corrigere in animum inducas. » Porro ita loquitur: « Dogma est fidei ut matrimonium quod

natam, ius parentum in filios secundum ipsas naturae leges. Accessoria sunt quae matrimonio accedunt, sine quibus ipsum esse potest, ut dos et quae dicuntur iura seu effectus tum civiles tum ecclesiastici, prout in alterutra societate vim habent (nam et in Ecclesia ii locum habent, cuiusmodi est e. g. quod bigami nequeant ordinari): huiusmodi sunt capacitas consequendi munia aut officia publica, ius quoddam determinatum patriae potestatis, ius prolis ad hereditatem, participatio status et honoris parentum, facultas testandi etc. Horum enim bonorum dispensatrix est potestas suprema societatis, ad quam ea spectant, et cum ea non sint essentialia matrimonio, opus non est ut ab ea potestate determinentur, cui subest essentia matrimonii. Imo cum pro diversa indole societatum civilium, alia et alia communicatio horum bonorum possit convenire cuique societati, determinatio huiusmodi iurium et effectuum esse debet penes singulas civiles auctoritates.

II. Ut autem civilis auctoritas rite decernat de his conditionibus seu effectibus civilibus, opus haud est ut ipsa ius habeat ferendi leges circa ipsum vinculum matrimonii ac praescribendi formam pro valore ipsius contractus: sed sine hac potestate potest illa integre sibi constare. Ratio est, quia exercitium potestatis circa haec omnia ex sua natura supponit iam verum matrimonium exsistens; finis vero, propter quem haec potestas exercetur, non est ipsa intrinseca perfectio matrimonii, sed est extrinsecum bonum societatis, quod, suppositis quidem veris matrimoniis, potest tamen multipliciter ex illis obtineri: idcirco iuxta societatis indolem ac differentes conditiones, in quibus ea versatur, locus est diversis determinationibus huiusmodi effectuum, ut finis a societate intentus commodius obtineatur. Sic licet verum sit coniugium inter Principem et ancillam, potest tamen statui ut filius ex ea natus non succedat in regno: sic statui potest ut qui quarto quinto nubunt, a certis muneribus et honoribus reiiciantur, sicut Ecclesia reiicit secundo nubentes a sacris ordinibus. In his legibus statuendis non attingitur essentia matrimonii: nec, ut bono societatis consulatur, opus est statuere quod nullum sit coniugium inter has personas, sed satis est decernere quod matrimonia huiusmodi careant certis iuribus certosque effectus non producant. Et sane cum haec omnia sint accessoria matrimonii, ipsius esse iam constitutum per se supponunt; ideoque ut potestas aliqua circa ea plena exerceatur, exordiri exercitium suorum actuum potest a suppositione veri matrimonii. Cum itaque potestas circa huiusmodi accessoria plene valeat exerceri, supposita matrimonii essentia iam constituta, si aliunde probetur Christum subduxisse matrimonii christiani vinculum a potestate civili ipsumque soli potestati religiosae,

quae nunc non est nisi ecclesiastica, vindicasse; consequens erit quod auctoritati civili non sit reliqua nisi potestas decernendi circa iura civilia effectusque civiles, supposita veritate matrimonii secundum Ecclesiae leges. Itaque in his iuribus et effectibus civilibus determinandis se habet auctoritas civilis ad auctoritatem religiosam, sicut se haberet in statu purae naturae ad ius naturale: quemadmodum scilicet non repugnat quod ea potestas supponat ius naturae circa essentiam matrimonii nec postulatur ut eadem potestas valeat efficere valida coniugia, quae reprobat ius naturae, ita non exigitur ut ipsa valeat contra ius altioris auctoritatis decernere quod aliqua matrimonia valida sint aut invalida.

Habita igitur ratione boni civilis licet Principi negare iura aut bona civilia quibusdam per se validis matrimoniis. Iniquissimum tamen ac turpissimum foret bona civilia aeque invalido matrimonio seu concubinatui ac valido asserere.

THESIS XXXII.

Ecclesia sola ponere potest impedimenta matrimonium Christianum dirimentia: h. e. potestas civilis nullum ius insitum sibi habet statuendi impedimenta dirimentia, quae afficiant ipsum vinculum matrimonii Christiani.

I. Loquimur de iis impedimentis, quae prohibent ne vinculum exsistat. Cum sermo est de iure potestatis civilis intelligitur ius ipsi proprium ex eius natura dimanans. Probamus primum rem ita esse, scilicet Ecclesiam solam habere hoc ius. Doctrinam Catholicam proposuit Pius VI Brevi 16 Sept. 1788 ad Episcopum Motulensem, qui, accepta a rege delegatione in gradu appellationis a iudicio Episcopi neapolitani in causa matrimoniali, sententiam tulerat et declaraverat leges Ecclesiae et Sanctae Sedis vim habituras fuisse nullam, nisi « postquam codex Gregorianus in universas Catholici Orbis provincias pervagatus fuerat, civilis auctoritas adiuncta esset, tacita tantum consensione summarum potestatum, quarum erat leges de nuptiis dicere. » Scopus praecipuus Brevis est institutio in doctrina. « Accipe nunc. V. F. paternam illius vocem, qui, ut probe nosti, cum miseratione divina in Cathedra Petri sedeat, ius habet suprema Christi ipsius auctoritate collatum docendi et confirmandi: ita enim comparati animo sumus, ut et amanter tecum agere teque benigne commonefacere velimus, quo errorem inspicias, in quem es misere prolapsus, atque illum quam primum corrigere in animum inducas. » Porro ita loquitur: « Dogma est fidei ut matrimonium quod

ante adventum Christi nihil aliud erat nisi indissolubilis quidam contractus, illud post Christi adventum evaserit unum ex septem legis Evangelicae Sacramentis... Hinc fit ut *ad solam* Ecclesiam cui tota de Sacramentis est cura concredita, ius omne ac potestas pertineat suam adsignandi formam huic contractui ad sublimiorem Sacramenti dignitatem evecto ac proinde de matrimoniorum validitate aut invaliditate sententiam ferre », quod quidem confirmat auctoritate can. 12. Trid. cuius verba ita interpretanda esse docet ut « *omnes* causas comprehendat et complectatur,... eaeque omnes ad iudices Ecclesiasticos *unice* spectare debeant. » Tum ait « Hoc ius (nempe leges dicendi de nuptiis) qua late patet Orbis Catholicus in *sola* Ecclesia residet universum. » Tum poenas illi indigitans quibus obnoxium se fecit, provocat primum ad canonem 12. Trid. « quo omnes illi anathemati subiiciuntur, qui causas matrimoniales negant pertinere ad Ecclesiam et ecclesiasticos iudices : quo quidem canone certum est non eos modo comprehendi qui docent esse summarum potestatum huius seculi leges de nuptiis dicere sed eos quoque qui factis hoc ipsum confirmant quique auctoritatem nanciscuntur a laica potestate et qui causas nullitatis matrimonii tanquam regii delegati definiunt. » Quare huius veritatis declaratio spectat ad substantiam Pontificii Brevis sive cum docet sive cum deinde poenas decernit. Pius autem VIII Enciclica *Traditi humilitati* ad omnes Patriarchas, Primates etc. 24 Maii 1829 praecipit ut « non humana tantum lege sed et divina regi matrimonium debere, ac non terrenis sed sacris rebus ipsum accensendum esse, ideoque Ecclesiae omnino subiici, Christianus populus accurate edoceatur. » Sive spectato contextu (rem esse sacram, Ecclesiae omnino subiici) sive collata doctrina Pii VI, liquet priora verba Pii VIII hunc tantum sensum fundere: matrimonium Christianum debere regi ea lege quae non sit tantum humana sed et divina, cuiusmodi sola est lex ecclesiastica. Satis ergo aperte Romani Pontifices sententiam suam proposuerunt fungentes munere doctoris et Pastoris omnium Christianorum : loquitur enim Pius VI ex iure sibi in Petro a Christo collato docendi et confirmandi, quod est ius primatus, ius magisterii universalis : quod quidem ius non est opus ut erga omnes simul exerceatur, sed et erga singulos exerceri potest et debet, ii nempe confirmandi sunt qui confirmatione indigent: neque auctoritas huius magisterii pendet ab iis, ad quos dicitur, sed a persona vel dignitate personae, a qua procedit. Doctrinam autem fidei tradit tanquam intime connexam cum definitione Conc. Trid. quam authentice interpretatur. Quamvis autem idem Pius VI paucis ante annis h. c. 1780 in epist. ad Archiep. Mecliniensem dixerit se non damnare absolute eos *Doctores Catholicos* qui asseruerant principem posse adiungere impedimenta ad reddendam inefficacem et tollendam materiam aptam sacramento: id tamen non impedit quominus auctoritate Apostolici sui magisterii *doctrinam Catholicam* postea proposuerit. Haec autem doctrina a S. Sede tam disserte proposita probatur evidenter.

II. Sane 1) Canon est Tridentinus 12 Sess. XXIV. *Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos: A. S.* Porro *a*) legitima interpretatio huius Canonis est ut omnes causae matrimoniales comprehendantur eaeque omnes ad solos iudices ecclesiasticos spectent. Etenim primo ea est authentica interpretatio supremi legislatoris; sic enim esse interpretanda statuit Pius VI in Brevi citato. Deinde probatur ratione. Et quidem *omnes* causas comprehendi patet. Nam dictio illa indefinita *causas matrimoniales* in verbis *si quis dixerit causas matrimoniales, etc.* (1) uno modo ex his explicari potest; nempe vel *si quis dixerit aliquam causam non spectare* etc., vel *si quis dixerit omnes causas non spectare* etc., vel si quis dixerit *non omnes causas spectare*, etc. Atqui si primo modo accipias, consequens est ergo veritas contradictoriae, h. e. *omnes causae spectant*. Si secundo modo; falsa est ergo haec propositio: *omnes causae matrimoniales non spectant ad iudices ecclesiasticos*: iam vero huius contradictoria est: *aliqua causa spectat* etc.; contraria vero *omnes causae spectant*. Utra vero censenda foret definita ? An tantum contradictoria ? Sed quaenam est haec aliqua causa? Et cum id ignoretur, quid valeret pro praxi hic canon? Tum solentne ita legislatores loqui, cum alicuius rei arbitrium sibi tantum vindicare volunt, ut terminis indefinitis utantur? Dicenda ergo foret et in hac secunda hypothesi stabilita ea propositio: *omnes causae spectant* etc. Si tertio modo sumas, damnatur propositio, *non omnes causae spectant,* cuius contradictoria est: *omnes causae spectant*. Ergo reapse « verba canonis ita generalia sunt, omnes ut causas comprehendant » (Pius VI. l. c.). Praeterea ratio cur hae causae spectent ad Ecclesiam est ex mente Concilii, interprete Pio VI, quia matrimonium est sacramentum nec alia ratio assignari potest: atqui ea valet pro omnibus causis: ergo. Atqui si *omnes* causae ad iudices ecclesiasticos spectant, ergo *unice* ad eos spectant. Nam si aliquae saltem spectarent etiam ad tribunal Principis, hae vel spectarent independenter ab Ecclesia vel dependenter: si primum, falsum esset quod omnes ad Ecclesiam spectarent; si alterum, tum haec non est hypothesis adversariorum, tum semper verum foret ad solos iudices ecclesiasticos eas causas spectare, quippe

(1) Adverte propositionem indefinitam per se aequivalere propositioni universali.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

a quibus omnis potestas derivaretur. Iam vero *b*) ex hoc consequitur penes solam Ecclesiam esse nativo iure potestatem ponendi impedimenta dirimentia matrimonium Christianum. Est enim eadem potestas, quae causas contractuum cognoscit et quae iisdem formam praescribit, potestas supremi Legislatoris in societate, quae unica est. Ergo.

2° Tridentinum decr. De Reform. Matr. ait « dubitandum non est clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, et proinde iure damnandi sunt illi, ut eos S. Synodus anathemate damnat, qui ea vera et rata esse negant. » Heic agitur de iure, *rata sunt matrimonia si ea Ecclesia non irritat;* agitur de veritate, *damnantur enim qui id negant.* Stabilitur ergo dogma Fidei. Hoc autem semper et ubique verum fuit et erit et numquam falsum esse potest. At possit esse falsum, si principibus quoque competeret potestas statuendi impedimenta dirimentia: his enim statutis, nec verum nec ratum esset matrimonium, quamvis Ecclesia illud non irritasset.

3) Si ius proprium competit potestati civili statuendi impedimenta pro matrimoniis subditorum christianorum, ius illud est independens sicut ipsa potestas civilis, independens inquam in suo ordine, ita ut pro matrimonio christiano, prout est (ut dicitur) contractus civilis, valeat potestas civilis independenter statuere impedimenta, quemadmodum potest independenter Ecclesia constituere impedimenta pro eodem matrimonio, prout est Sacramentum. Haberemus ergo duplicem potestatem independentem circa idem, sub diverso quidem respectu, ita tamen ut eadem numero res utrique pariter potestati subsit. Iam vero repugnat, ut pro iisdem subiectis hominibus idem contractus duabus potestatibus diversis independentibus subsit; subest autem certe matrimonium christianum auctoritati independenti Ecclesiae: ergo nequit pariter subesse potestati civili. Sane si utraque potestas, ecclesiastica et civilis, potest statuere formam pro valore actus, utraque poterit ratum habere quod altera irritat, et irritare quod altera ratum habet. Scilicet pro iisdem hominibus res eadem simul erit licita et non licita, valida et non valida, quo nihil absurdius in societate. Nec recurrendum est ad aliquod foedus quod duae potestates amice ineant: nam vel necessarium est hoc foedus ita ut ambo potestates ad illud ineundum teneantur, vel non est necessarium. Si non est necessarium, frustra supponitur; quia potest certe non esse, et quia semper potest ex naturis rerum illud consequi ut idem iisdem personis, eo foedere posito, sit licitum simul et illicitum. Si vero foedus illud est necessarium quoniam in hac hypothesi altera potestas concursu alterius indigeret, neutra

esset potestas independens in ordine suo circa illud idem obiectum, quemadmodum certe est Ecclesia, ut probavimus (Th. XXX.) et de potestate civili contendunt adversarii. Itaque si potestas civilis ius independens habet statuendi impedimenta valori contractus coniugalis, hoc erit ex rerum naturis consequens, ut nihil sit certum in societate, ut subditi legibus contradictoriis regantur; h. e. nulla sit lex et nulla potestas. Et sane ex Bulla *Auctorem Fidei* constat n. 60 sententiam, « quae potestati civili ius attribuit sive abolendi sive restringendi impedimenta Ecclesiae auctoritate constituta vel comprobata », esse « libertatis ac potestatis Ecclesiae subversivam, Tridentino contrariam, ex haereticali supra damnato principio (quod Ecclesia iure proprio non possit impedimenta dirimentia constituere) profecta. » Atqui si princeps habet potestatem independentem statuendi impedimenta dirimentia, reapse potest abolere impedimenta ab Ecclesia statuta; potest enim praescribere formam pro valore actus eamque formam stabilire, quam Ecclesia irritavit: quo posito impedimentum ab Ecclesia statutum nullum esset. Ergo cum potestate propria Ecclesiae nequit simul esse potestas propria principatus civilis.

III. Ait quidam vir doctus affirmari a pluribus theologis quod nequeat eadem res subesse duplici potestati independenti, id vero nec probatum esse, nec unquam probatum iri. Cui reponere licet id quidem ab eo affirmari, at sine ulla ratione, imo contra omnem rationem. Agitur enim de duabus potestatibus socialibus, quae eandem numero rem respiciant pro iisdem personis subditis. Porro evidens est in hac hypothesi duplicis potestatis independentis, subditum utrique e posse obligari simul duabus legibus contradictoriis, ideoque obligari et non obligari, eandem ipsius actionem posse simul esse bonam et malam, validam et invalidam: quod omnes profecto dabunt repugnare: ergo.

Quaeres: nonne fieri posset haec hypothesis quod potestas civilis ius proprium habeat statuendi impedimenta matrimonii subditorum christianorum, sit tamen ius subordinatum auctoritati Ecclesiae, quemadmodum se habet ius coercendi malos poenis corporalibus, quod potestati civili proprie competit (etsi non soli), cuius exercitium Ecclesia praecipere potest in sui favorem?

Respondeo fieri non posse hanc hypothesim. Hoc enim alterum ius potestatis civilis non nisi indirecte subest potestati Ecclesiae, unde exerceri potest sine consensu Ecclesiae, atque habet materiam propriam, quae non spectat ad Ecclesiam. Atqui ius illud statuendi impedimenta matrimonii christiani numquam profecto exerceri posset sine consensu Ecclesiae nec haberet aliquam materiam propriam

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quae ad Ecclesiam non spectet, cum contractus matrimonialis christianorum sit sacramentum.

IV. Quare Ecclesia numquam probavit potestatem hanc in principibus et nihil valere censuit leges civiles constituentes impedimenta dirimentia vinculum, ut testatur Benedictus XIV in litteris ad Cardinalem Eboracensem; quod et Urbanus VIII (Cf. l. infer. cit.) ac Pius VIII (in litteris datis ad Napoleonem die 27 Iunii an. 1805) ostenderunt in quaestione matrimonii initi sine consensu parentum, quem lex civilis exposcere dicebatur, tum Gregorius Magnus, qui coniugia consobrinorum a lege terrena permissa reprobavit. Praeterea ex allatis monumentis historicis in Th. XXIX constat in causis matrimonialibus Imperatorum aut Regum, cum ageretur de impedimentis quoque lege positiva statutis, nullam auctoritatem sibi vindicasse illos, omnem vero auctoritatem sibi asseruisse Ecclesiam tum in dispensando a legibus, tum in sententiis ferendis: atqui id fieri non potuisset, si olim fuisset creditum penes principes etiam seculares esse potestatem eamque independentem statuendi impedimenta.

V. Ratio autem intrinseca huius rei ea est quam Pius VI l. c. docet « Hae causae matrimoniales non alia ratione pertinent ad unum Ecclesiae iudicium, nisi quia contractus matrimonialis est vere et proprie unum ex septem legis Evangelicae Sacramentis. » Quae quidem ratio expolienda parumper est.

Itaque potestas suprema civilis est in suo ordine independens: ordo autem ipsius est ordo naturalis. Si cultus Dei et religio esset naturalis, ad eum potestas civilis se extenderet, idemque esset rex et pontifex. Sed divina institutione ordinis supernaturalis et ecclesiastici ordinis sacerdotalis, cui commissa est ordinatio hominum in finem supernaturalem et cura rerum supernaturalium atque sacrarum, iure divino factum est ut quae ad religionem et cultum Dei pertinent in societate Christiana, subducerentur prorsus a potestate regum aut principum et ad potestatem Ecclesiae pertinerent, principibus autem munus et officium incumberet obsequendi Ecclesiae, defendendi ecclesiasticas leges earumque exsecutionem urgendi cohibendo contumaces. Neque aliqua iniuria illata est principibus christianis, si eis iura sacrorum sunt sublata; Deus est enim qui sic disposuit, idque oeconomiae intrinsece supernaturalis et universalis exigebat indoles. Quare hac oeconomia statuta, ordo in quo versatur potestas civilis, prout est potestas regens independens, est ordo tantum naturalis, sive circa ea tantum versari potest quae sunt *pure* naturalia. Nam eae res naturae quae sunt supernaturales quoque, praesertim si intrinsece et essentialiter sint tales, eae iure divino spectant ad potestatem Ecclesiae, cui certe iura omnia rerum supernaturalium commissa sunt:

res vero supernaturales non sunt nisi res naturae intrinsece elevatae ad ordinem altiorem (cf. Praenot. n. II.) nempe divinum.

Quocirca civilis potestas in societate Christianorum non potest iure proprio independenti in id omne quod est utile societati; quid enim utilius societati religione, cultu Dei, Fide, Sacramentis, Sacrificio? Sed potest *in id quod est utile et est naturale;* cetera enim Deus pro suo arbitrio melioribus administratoribus et sanctioribus commisit. Imo neque eadem potest iure proprio independenti in id omne, quod est necessarium societati; quid enim huic magis necessarium religione? at quidquid ad eam spectat in societate Christiana subest potestati Ecclesiae.

Scilicet advertendum est quod homines in societate civili exsistentes ordinantur immediate ad aliquam felicitatem temporalem, iidemque ordinati sunt ad aliam felicitatem in altera vita, quae felicitas comparata ad priorem habet rationem finis, et est in praesenti providentiae ordine intrinsece supernaturalis. Sub priori respectu homines sunt simpliciter cives, sub altero sunt religiosi. Porro religio sive cultus Dei, quo homines ordinantur in ultimum finem, qui est Deus, confert quidem maxime ad felicitatem quoque temporalem, sed non ut purum medium ipsi subordinatum, sed ut causa excellens, a qua hic quoque effectus natus est oriri: eademque necessaria est societati civili, quia nisi homines recte ordinentur in Deum neque poterunt secum ipsis rite coordinari: perversio enim a fine tollit etiam ordinem circa media. Si autem finis ultimus hominis ideoque et religio esset pure naturalis, cum nullus alius esset inter homines a Deo institutus, qui cultum Dei regeret, et huiusmodi regimen cultus naturalis non excederet vim potestatis supremae civilis, oporteret vero aliquem esse qui socialem cultum regeret; ad potestatem civilem auctoritas quoque religiosa spectaret, idemque esset rex et pontifex. Attamen et in hac hypothesi necesse est aliquam adhibere distinctionem, quam non pauci immerito praetereunt. Esset quidem necessarium ut aliquis exsisteret instructus potestate religiosa; sed non esset necesse ut haec potestas committeretur a societate illi eidem, cui demandata foret potestas civilis. Etiamsi vero unus esset simul rex et pontifex, adhuc tamen distinguerentur formaliter hae duae potestates, ita ut quae ille decerneret in bonum religionis, non ab eo procederent prout est rex, sed prout est pontifex. Quae quidem distinctio non est inutilis; significat enim exercitium potestatis religiosae non esse aliquam functionem potestatis civilis, cui subordinetur, quod quidem repugnat; nam et in ordine naturae bonum religionis cultusque divini se debet habere ut finis ad bonum civile. Ideoque in hac hypothesi aucto-

ritas pontificis in uno subiecto simul cum potestate regis exsistens subordinaret hanc sibi ac postularet ut ordinatio status civilis referretur in bonum religionis, non vicissim religio in bonum civile.

Idcirco instituta a Deo religiosa societate supernaturali eâque perfectâ, factum est ut homines prout ad finem supernaturalem ordinantur et in omnibus iis rebus, quibus ad ipsum ordinantur, in omnibus nempe quae ad religionem pertinent, in omnibus rebus sacris et supernaturalibus, a sola Ecclesiae potestate dependeant. Quapropter potestas Principum in societate Christiana non est amplius potestas religiosa, sed pure civilis, ordinans cives ad felicitatem huius vitae: et quia hic finis est essentialiter subordinatus fini ultimo hominum, quem respicit Ecclesia, ipsa quoque potestas civilis est necessario subordinata potestati Ecclesiae. Itaque quamvis religio sit necessaria societati civili etiam quoad felicitatem temporalem, quia tamen non est purum medium ipsi subordinatum, sed aliquid per se excellentius, necesse non est ut ea subsit potestati civili, cuius finis proprius est felicitas temporalis subditorum: et si religio sit supernaturalis, nequit ipsa subesse eidem potestati. Necesse quidem erit ut religio sit in societate, sed aliud est religionem esse in societate, aliud pendere a potestate civili; potest enim pendere a potestate religiosa a Deo seorsim instituta. Ex necessitate autem verae religionis pro societate civili consequens erit debere Principes seculi procurare, quantum in ipsis est, ut vera Religio vigeat et floreat in sua societate, veraeque Ecclesiae divinitus institutae leges vereri ac tueri. Itaque simpliciter falsum est quod id omne, quod utile et necessarium est societati etiam pro fine proprio boni temporalis, id debeat subesse potestati civili. Iure autem quodam dependenti et subordinato seu iure efficiendi ut subditi potestati religiosae pareant, ut civilis quoque societas bene se habeat, quod est potius officium defensionis et protectionis contra homines irreligiosos, gaudent quidem principes christiani, sed non est hoc ius, de quo disputamus.

Iam vero si habitudo matrimonii ad societatem tum civilem tum religiosam spectetur, manifestum est 1) matrimonium non esse essentialiter ordinatum ad bonum proprium societatis civilis: nam et potest esse sine ea, et finis eius primarius est exsistentia colentis Deum: cultus autem Dei est bonum proprium societatis religiosae: 2) esse vero essentialiter ordinatum ad bonum, quod est proprium societatis religiosae, quia huiusmodi bonum est matrimonii finis primarius.

VI. His positis en processus nostrae demonstrationis. Dico 1) contractus elevatus ad dignitatem sacramenti est contractus naturalis: scilicet ut sacramentum sit, duo tantum requiruntur, contractus vi

naturae positus, et forma statuta ab Ecclesia pro valore actus. Negamus proinde contractum elevatum ad dignitatem sacramenti esse contractum civilem, quod quidem perperam a non paucis supponebatur olim et nunc quoque supponitur. Dicitur contractus civilis is, qui a potestate civili valorem habet in societate. Utrumque, quod affirmavimus nempe et quod negavimus, simul probamus. *a*) Christus elevavit ad dignitatem sacramenti eum contractum, cuius administrationem iure suo Ecclesiae commisit: atqui hic est contractus naturalis. Prob. min. Contractus, cuius administrationem iure proprio Ecclesia habet, est ille, quem attingit lex Ecclesiae irritans: atqui hic est contractus naturalis: ergo. Prob. min. sic. Si auctoritati civili competeret potestas constituendi formam contractus pro valore actus et irritandi, id, quod haec potestas attingeret, esset pure contractus vi naturae positus, qui propter formam iure civili statutam validus vel invalidus fieret, quemadmodum est in ceteris contractibus: atqui potestas Ecclesiae eadem est eodemque modo agit ac illa, quae supponeretur esse in principe, quia independens est; iure enim proprio competit Ecclesiae haec potestas: ergo contractus, quem attingit Ecclesia, quem forma a se statuta facit validum vel invalidum; est contractus naturalis: ergo. *b*) Christus elevavit ad dignitatem Sacramenti eum contractum, de quo pronunciavit *quod Deus coniunxit homo non separet:* hic autem est contractus, de quo locutus est Adam; atqui Adam de naturali locutus est; locutus est enim de eo quod Deus auctor naturae instituit, quique omnem civilem societatem etiam praevertit: ergo.

Dico 2) Christus non determinavit omnem naturalem consensum duorum esse efficacem, nec de omnibus personis determinavit, quaenam sint habiles, quaenam inhabiles; sed id alteri h. e. Ecclesiae (nisi iam ipsa natura et per ipsam auctor naturae id determinaverit) determinandum reliquit. Patet *a*) quia haec Christi universalis determinatio nullibi exstat: patet *b*) ex potestate facta Ecclesiae adsignandi formam pro valore contractus; cum enim haec in contractum naturalem feratur (n. praeced.) necesse est ut antecedenter ad Ecclesiae legem nihil in iis, circa quae Ecclesia potestatem suam exercet, sit a Christo determinate statutum; contra hoc enim Ecclesia nihil posset.

Dico 3) Dignitas sacramenti non impedit quominus Ecclesia possit statuere formam pro valore contractus matrimonialis Christiani eique impedimenta dirimentia apponere. Ecclesia enim praeter formas et materias sacramentorum, quas mutare nequit, potest ea omnia statuere quae ad honestam et sanctam eorumdem administrationem conducere arbitratur: atqui materia sacramenti est contractus validus:

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quare cum Ecclesia statuit formam pro valore actus non mutat materiam, sed conditiones ponit quibus ipsa sit. Est autem utile maxime et necessarium ut in societate Christiana sit forma quaedam per legem positivam proposita contrahendi matrimonia: ergo.

Dico 4) Dignitas sacramenti prohibet prorsus ne potestas civilis ius habeat constituendi formam pro valore contractus. Sermo est de iure nativo, quod ex ipsa natura potestatis civilis procedat atque sit idcirco proprium principis eo quod supremam habet civilem auctoritatem. Sane contractus matrimonialis validus inter Christianos est sacramentum et si sacramentum non est neque est contractus validus (Th. X.); quare contractus validus Christianorum est intrinsece et essentialiter supernaturalis (ibid.). Iam vero potestas in Sacramentum duplex concipi potest. Prima potestas, ut ita dicam, *dominii*, quae ritum sacramentalem, materiam et formam statuit tribuens ipsis vim efficacem gratiae. Altera potestas *administrationis*, quae duplex rursus distingui potest. Prior quae modum decernit, quo licite et sancte Sacramentum fiat: secunda, quae formam statuit a qua pendet ut quod potest esse materia et forma Sacramenti, id, dum actu adhibetur, sit nec ne materia proxima et forma Sacramenti, et quae determinat quinam sint ministri idonei, quinam non idonei Sacramenti. Haec quoque est potestas administrationis in Sacramentum. Nam 1) est certe potestas maior praecedente: 2) qui legem ponere potest a qua pendet ut ministri Sacramenti dum agunt ponant nec ne materiam proximam et formam Sacramenti; qui determinare potest ministros idoneos et excludere alios ut non idoneos, is certe regit administrationem Sacramenti; ideoque eius potestas est potestas administrationis. Porro utraque potestas administrationis non competit nisi ei, cui Sacramentorum cura est concredita, cui competit ius in sacra Christiana, cui inest potestas dirigendi homines per Sacramenta et cetera media supernaturalia in finem supernaturalem: haec autem est sola Ecclesia. Atqui potestas irritandi seu constituendi formam pro valore contractus matrimonialis Christianorum est talis potestas administrationis in sacramentum: nam 1) determinat personas habiles et inhabiles ad contrahendum, et cum contractus sit ipsum sacramentum, ab ea pendet determinatio quinam sint idonei ministri sacramenti, quinam inepti: 2) ab ea non quidem efficienter immediate, sed prout antecedenter ponit conditiones ut contractus sit validus, pendet ut consensus mutuus duorum qui potest esse validus et esse materia et forma Sacramenti, sit nec ne, dum actu ponitur, consensus validus, et quia consensus validus est intrinsece et essentialiter ipsa materia et forma Sacramenti, pendet ab ea ut sit nec ne materia proxima et forma Sacramenti.

Quare haec potestas differt prorsus ab illa, qua quilibet potest efficere vel destruere materias remotas sacramentorum; nam heic non agitur de materia remota sed de materia proxima Sacramenti, cuiusmodi est consensus validus: quae tamen materia proxima Sacramenti ut talis sit, pendet quoque ab ea potestate, quae conditiones statuit, secundum quas contrahentes valide contrahant ideoque ponant materiam proximam Sacramenti. Sane materia remota exsistit extra usum Sacramenti; ipso autem usu, cum sacramentum administratur, evadit materia proxima. Quocirca qui conditiones ponit pro ipsa materia, dum actu adhibetur, is non remotam, sed proximam attingit materiam et attingit idcirco aliquid sacrum: qui vero materiam tantum remotam attingit, is non attingit nisi aliquid profanum, ut est aqua. Iam vero potestas statuendi impedimenta attingit materiam proximam Sacramenti. Etenim attingit ipsum consensum qui ponitur, quique est materia Sacramenti proxima, ipsumque ministrum sacramenti dum materiam et formam ponit. Eo enim spectat stabilita forma pro validitate contractus matrimonialis, ut ipse consensus, quo fit actu contractus et sacramentum, sit validus, ipsique contrahentes, dum actu contrahunt, valide contrahant, h. e. sint idonei ministri. Scilicet non eo haec potestas spectat ut aliquid faciat idoneum ad hoc quod possit adhiberi ad usum sacramenti, sed id quod in ipso sacramenti actu adhibetur afficit: ideoque vere attingit non materiam remotam, sed proximam. Sicut ergo principi nulla est potestas in ipsam administrationem aquae qua fit baptismus; h. e. in ablutionem sacramentalem, ita nulla potest esse potestas in consensum matrimonialem et ministros matrimonii.

Itaque potestas destruendi vel ponendi materiam remotam non est potestas administrationis, cum nullo modo afficiat ministros sacramenti vel eorum operationem ministerialem: potestas autem impedimenta matrimonii statuendi utrumque afficit: ergo.

Hinc dico 5) Repugnat dignitati Sacramenti ut contractus civilis prout talis sit materia eiusdem. Contractus civilis is est, qui a potestate civili valorem habet in societate. Iam vero si materia sacramenti est contractus prout valorem habet a potestate civili, contractus matrimonialis ut sit validus pendet a potestate civili. Atqui si a potestate civili pendet valor contractus, iam competit auctoritati civili potestas administrationis in sacramentum, ut probavimus in praeced. Ergo.

Neque, quod perinde est, potestas civilis potest directe irritare contractum naturalem, ut ita subducat materiam Sacramento. Nam si potest irritare, potest et valorem praebere; unde haec potestas eadem est ac praecedens. Et sane contractus naturalis is est, in quem

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fertur potestas Ecclesiae, et qui exactus ad formam ab ea praescriptam est sacramentum. Si ergo hunc princeps posset irritare, posset et validum efficere pro Christianis; at contractus naturalis validus Christianorum est Sacramentum: redit ergo repugnantia dicta superius. Et re quidem vera vel haec irritatio sive generalius haec constitutio formae pro valore actus valet invita quoque Ecclesia, vel non. Si non valet, quid facit, cum Ecclesia formam praestituit et statuit valere ea omnia matrimonia quae contra suas leges irritantes non sint facta? Si valet: ergo princeps solus determinat contractum validum ponitque impedimenta dirimentia et Sacramenti administrationem regit, quod absurdum est.

Dico proinde 6) Christiani contrahentes matrimonium, licet cives sint, non contrahunt ut cives, sed ut Christiani. Nam ii non contrahunt ut cives, qui in contrahendo non subsunt potestati civili, qui contrahendo ministrant et suscipiunt sacramentum, quod ad societatem civilem nullo modo pertinet; quamvis id quod faciunt ad civilis societatis bonum conferre quoque possit.

Dico tandem 7) Causae omnes matrimoniales spectant ad unius Ecclesiae tribunal. Causae matrimoniales dicuntur, in quibus disceptatur de vinculo matrimonii, vel de iis quae pendent a valore vinculi matrimonialis, cuiusmodi est separatio coniugum, legitima proles, vel de iis quae disponunt ad ipsum vinculum, cuiusmodi sunt sponsalia, quorum proinde determinatio pendet ab indole termini in quem referuntur.

Iam in demonstratione thesis huius attulimus cn. 12. Tridentinum, ex eo tanquam ex principio fidei argumentum ducentes; at non ea sola ratione thesis est probata. Posita ergo veritate Thesis, probamus nunc id, quod ultimo loco statuimus, argumento theologico. Etenim eius est iudicium ferre in his causis, qui potestatem habet decernendi quandonam nec ne vinculum exsistat, quique potestatem habet decernendi quomodo sacramentum rite suscipiendum sit: atqui haec est sola potestas Ecclesiae, quae praestituere potest formam contractui valido unde vinculum exsistat quaeque potest statuere ea quae ad sanctam sacramenti administrationem et susceptionem requiruntur. Cf. *Bullam Auctorem Fidei* prop. 58, in qua clara quoque huius rei ratio datur, quae sic se habet. « Propositio, quae statuit sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum praescripto omnino subiacere: quasi actus disponens ad sacramentum non subiaceat sub hac ratione iuri Ecclesiae: falsa, iuris Ecclesiae quoad effectus etiam ex sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes laesiva, disciplinae ab Ecclesia constitutae derogans. »

Corollarium. Ergo Principes nequeunt ponere impedimenta dirimentia vinculum christianorum non quia Ecclesia usum huius potestatis sibi reservavit, sed propter intrinsecum defectum potestatis. Ergo nec princeps infidelis potest ponere impedimenta pro matrimoniis subditorum Christianorum.

VII. Quae diximus de potestate civili valent pro quavis potestate laica, quare neque parentes possunt auctoritate sua irritare coniugia filiorum (Decr. De Reform. Matrim. c. 1), cum ius nullum habeant in sacramentum, nec lex civilis eorum consensum praescribens possit habere vim irritantem. Adverte verba Pauli 1. Cor. VII. 36. 37 *super virgine sua, servare virginem suam* non significare *filiam virginem,* sed *carnem virginem,* ideoque virginem suam esse carnem propriam, quam quis potestatem habens suae voluntatis alteri coniungere per matrimonium vel intactam custodire potest. Ita Hieronymus adv. Iovinian. L. I. et dissertissime s. Gaudentius De Lectione Evangelii Tract. I. addens etiam rationem cur ita accipiendum, quia nequeunt parentes dominari alterius voluntatis arbitrio, nec huic interpretationi, cuius meminit, contradicit Epiphanius adv. haerr. haer. LXI. n. 5., eandem interpretationem innuit Nicetas Aquileiensis, Ad virginem lapsam n. 48.

Dubitatum quidem a quibusdam est an olim fuerit irritum ex lege Ecclesiae matrimonium, cui legitimus Parentum consensus defuerit. Sed nescio cur ad hoc probandum productum sit cp. 3ª responsionis Nicolai I ad Bulgaros, ubi recensens ea, quae spectant ad sponsalia, quae futurarum nuptiarum sunt promissa foedera, ait haec celebrari consensu eorum, qui haec contrahunt et eorum, in quorum potestate sunt. Nam idem Nicolaus eodem in capite monet Bulgaros non quamlibet omissionem eorum, quae ipse recensuit, esse peccatum, ut Graeci docent, subditque: « et per hoc sufficiat (h. e. ad matrimonium) secundum leges solum eorum consensus, de quorum coniunctione agitur. » Seculo ergo nono adulto non requirebatur ex lege Ecclesiae hic consensus parentum ad validitatem matrimonii. Frustra ergo provocatur ad idem probandum ad Capitularia Caroli Magni, quae paulo ante Nicolaum edita fuerunt. Canon vero Synodi Aurelianensis IV habitae anno 541 nec obligare poterat Ecclesiam universam, nec satis patet an solum sit prohibens an etiam irritans, nec loquitur universim, sed exigit consensum parentum *pro filia,* reiiciens eos, qui regia freti auctoritate vellent sibi puellas, dissentientibus parentibus, copulare. « Nullus, inquiunt Patres, per imperium potestatis filiam competere audeat alienam, ne coniugium, quod contra parentum voluntatem impie copulatur, velut captivitas iudicetur: sed sicut est prohibitum, non admittatur. In his, qui per-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

petraverint, excommunicationis severitas pro modo piaculi imponatur. » Videtur quidam casus raptus. At caput *videtur, Qui matrimonium accusare possunt,* nihil ad rem facit.

Difficultates alicuius momenti ex rerum naturis petitae censendae sunt solutae ex universa theoria hactenus tradita circa rationem contractus et sacramenti ac propositionibus heic statutis earumque probationibus; eas tamen, quibus maxime confidunt adversarii, nunc data opera expediemus.

THESIS XXXIII.

Infirma prorsus sunt argumenta, quae tum ex rerum naturis tum ex historia tum ex doctorum auctoritate congerunt adversarii contra assertam veritatem.

I. Arguunt primum ex rerum naturis sic. *a*) Principi directe subiiciuntur ea, quae directe tendunt in bonum societatis civilis: atqui huiusmodi est matrimonium: ergo.

Respondeo ad Maiorem. Principi subiiciuntur ea, quae in bonum societatis tendunt *directe, dist.* h. e. quae ratione sui immediate ordinantur ad bonum societatis civilis, *conc:* h. e. quae ratione sui propter propriam perfectionem conferunt etiam ad bonum societatis civilis, si *subd.* sint supernaturalia, *neg.* si sint naturalia, *subd.* si sint propria ordinis civilis, *conc.* si sint ordinis religiosi, *subd.* spectant ad Principem, quatenus est ordinator societatis in bonum civile, *neg.* quatenus per accidens est etiam ordinator cultus religiosi, quo homines etiam in statu naturae in Deum tenderent, *subd.* si non exsistat societas religiosa supernaturalis, *trans.* si exsistat, *neg.* imo *nego suppositum.*

Ad Minorem. Matrimonium tendit directe in bonum societatis civilis *dist.* h. e. ratione sui immediate ordinatur in bonum civilis societatis et est aliquid naturale, *neg.* h. e. confert propter perfectionem suam ad bonum civilis societatis et est aliquid supernaturale, *conc.* Cf. dicta in praeced. Th. n. V.

b) Princeps potest irritantes leges ferre circa alios contractus: ergo et circa hunc praecipue, qui adeo influit in societatem.

Respondeo. *Dist. Antec...* circa alios contractus naturales, *trans.* circa contractus elevatos ad ordinem supernaturalem, *neg.* Cf. quae de natura contractus matrimonii diximus in Th. XXIII n. III.

c) Materia matrimonii est in eodem ordine ac materia baptismi: atqui subest haec potestati civili: ergo et illa subesse potest.

Respondeo. Si loqueris de materia remota baptismi, negamus idoneam esse comparationem. Si autem loqueris de materia proxima, tunc *dist. Maior.* Materia matrimonii est in eodem ordine ac omnis usus aquae, *neg.* ac usus sacramentalis aquae *subd.* et quod est materia matrimonii non est nisi materia, *neg.* est realiter praeterea etiam forma ideoque totum sacramentum, *conc. Dist. Minor.* subest potestati civili nempe potestati civilis iurisdictionis ipsa aqua, *neg.* subest usus aquae, *subd.* aliquis, *trans.* usus religiosus et usus sacramentalis, *neg.* Cf. praeced. Th. VI. 4.

d) Si Princeps christianus caret hac potestate, dicendum foret quod matrimonia infidelium nulli subsint humanae potestati: atqui hoc est absonum.

Respondeo. *Dist. Maior.* Si Princeps christianus careat potestate in omnia prorsus matrimonia cuiuslibet ordinis, dicendum foret.... *conc.* si careat solum potestate in matrimonia sacramenta, dicendum foret... *neg.* et sic patet responsio ad Minorem.

Non negamus Principem habere potestatem in matrimonium eo quod simpliciter est matrimonium, sed in matrimonium christianum eo quod est res sacra et sacramentum. Si sit tantum res naturalis, ut matrimonium infidelium vel Iudaeorum, concedimus Principi sive infideli sive christiano auctoritatem leges ferendi irritantes quoque de illo. Non enim probantur nobis illi, qui simpliciter et absolute negant auctoritati civili hanc potestatem, cum demonstratio scientifica catholicae veritatis supponat hoc principium, nempe contractum matrimonialem regi legibus auctoritatis illius societatis, in qua fit. Adverte tamen distinctionem, quam iam dedimus, nempe Principem in societate non christiana et pro subditis non christianis, potiri hac potestate non proprie prout est princeps, sed prout per accidens est etiam pontifex. Th. praeced. n. V.

Inepti proinde sunt qui aiunt: ergo princeps infidelis, cum christianus fit, amittit ius aliquod proprium; sive, ergo princeps infidelis, qui non habet quidquam plus quam christianus, caret hoc iure erga infideles. Nam 1) non ex eo quod princeps christianus sit, sed ex eo quod subditi sunt christiani, sive ipse sit christianus sive paganus, caret hoc iure: 2) falsum est quod amittat quod habebat; habebat enim ius in matrimonium infidelium, hoc vero retinet: per accidens vero est quod deficiente subiecto nequeat exerceri. Ius vero in matrimonium sacramentum nunquam habuit. Idcirco 3) princeps infidelis habet hoc ius in coniugia naturalia infidelium subditorum, quae non sunt sacramenta, quod ius habet et Rex fidelis quoad coniugia subditorum, si quos habet, infidelium. Et sane 4) an princeps christianus in societate christiana habet ius in sacra? haberet tamen

petraverint, excommunicationis severitas pro modo piaculi imponatur. » Videtur quidam casus raptus. At caput *videtur, Qui matrimonium accusare possunt,* nihil ad rem facit.

Difficultates alicuius momenti ex rerum naturis petitae censendae sunt solutae ex universa theoria hactenus tradita circa rationem contractus et sacramenti ac propositionibus heic statutis earumque probationibus; eas tamen, quibus maxime confidunt adversarii, nunc data opera expediemus.

THESIS XXXIII.

Infirma prorsus sunt argumenta, quae tum ex rerum naturis tum ex historia tum ex doctorum auctoritate congerunt adversarii contra assertam veritatem.

I. Arguunt primum ex rerum naturis sic. *a*) Principi directe subiiciuntur ea, quae directe tendunt in bonum societatis civilis: atqui huiusmodi est matrimonium: ergo.

Respondeo ad Maiorem. Principi subiiciuntur ea, quae in bonum societatis tendunt *directe, dist.* h. e. quae ratione sui immediate ordinantur ad bonum societatis civilis, *conc:* h. e. quae ratione sui propter propriam perfectionem conferunt etiam ad bonum societatis civilis, si *subd.* sint supernaturalia, *neg.* si sint naturalia, *subd.* si sint propria ordinis civilis, *conc.* si sint ordinis religiosi, *subd.* spectant ad Principem, quatenus est ordinator societatis in bonum civile, *neg.* quatenus per accidens est etiam ordinator cultus religiosi, quo homines etiam in statu naturae in Deum tenderent, *subd.* si non exsistat societas religiosa supernaturalis, *trans.* si exsistat, *neg.* imo *nego suppositum.*

Ad Minorem. Matrimonium tendit directe in bonum societatis civilis *dist.* h. e. ratione sui immediate ordinatur in bonum civilis societatis et est aliquid naturale, *neg.* h. e. confert propter perfectionem suam ad bonum civilis societatis et est aliquid supernaturale, *conc.* Cf. dicta in praeced. Th. n. V.

b) Princeps potest irritantes leges ferre circa alios contractus: ergo et circa hunc praecipue, qui adeo influit in societatem.

Respondeo. *Dist. Antec...* circa alios contractus naturales, *trans.* circa contractus elevatos ad ordinem supernaturalem, *neg.* Cf. quae de natura contractus matrimonii diximus in Th. XXIII n. III.

c) Materia matrimonii est in eodem ordine ac materia baptismi: atqui subest haec potestati civili: ergo et illa subesse potest.

Respondeo. Si loqueris de materia remota baptismi, negamus idoneam esse comparationem. Si autem loqueris de materia proxima, tunc *dist. Maior.* Materia matrimonii est in eodem ordine ac omnis usus aquae, *neg.* ac usus sacramentalis aquae *subd.* et quod est materia matrimonii non est nisi materia, *neg.* est realiter praeterea etiam forma ideoque totum sacramentum, *conc. Dist. Minor.* subest potestati civili nempe potestati civilis iurisdictionis ipsa aqua, *neg.* subest usus aquae, *subd.* aliquis, *trans.* usus religiosus et usus sacramentalis, *neg.* Cf. praeced. Th. VI. 4.

d) Si Princeps christianus caret hac potestate, dicendum foret quod matrimonia infidelium nulli subsint humanae potestati: atqui hoc est absonum.

Respondeo. *Dist. Maior.* Si Princeps christianus careat potestate in omnia prorsus matrimonia cuiuslibet ordinis, dicendum foret.... *conc.* si careat solum potestate in matrimonia sacramenta, dicendum foret... *neg.* et sic patet responsio ad Minorem.

Non negamus Principem habere potestatem in matrimonium eo quod simpliciter est matrimonium, sed in matrimonium christianum eo quod est res sacra et sacramentum. Si sit tantum res naturalis, ut matrimonium infidelium vel Iudaeorum, concedimus Principi sive infideli sive christiano auctoritatem leges ferendi irritantes quoque de illo. Non enim probantur nobis illi, qui simpliciter et absolute negant auctoritati civili hanc potestatem, cum demonstratio scientifica catholicae veritatis supponat hoc principium, nempe contractum matrimonialem regi legibus auctoritatis illius societatis, in qua fit. Adverte tamen distinctionem, quam iam dedimus, nempe Principem in societate non christiana et pro subditis non christianis, potiri hac potestate non proprie prout est princeps, sed prout per accidens est etiam pontifex. Th. praeced. n. V.

Inepti proinde sunt qui aiunt: ergo princeps infidelis, cum christianus fit, amittit ius aliquod proprium; sive, ergo princeps infidelis, qui non habet quidquam plus quam christianus, caret hoc iure erga infideles. Nam 1) non ex eo quod princeps christianus sit, sed ex eo quod subditi sunt christiani, sive ipse sit christianus sive paganus, caret hoc iure: 2) falsum est quod amittat quod habebat; habebat enim ius in matrimonium infidelium, hoc vero retinet: per accidens vero est quod deficiente subiecto nequeat exerceri. Ius vero in matrimonium sacramentum nunquam habuit. Idcirco 3) princeps infidelis habet hoc ius in coniugia naturalia infidelium subditorum, quae non sunt sacramenta, quod ius habet et Rex fidelis quoad coniugia subditorum, si quos habet, infidelium. Et sane 4) an princeps christianus in societate christiana habet ius in sacra? haberet tamen

illud in societate pagana. Defectus ergo huius iuris in principe quoad subditos christianos est ex ipsa rei natura, sive ex voluntate Christi instituentis ordinem supernaturalem et elevantis coniugium ad dignitatem sacramenti, non est imminutio eius potestatis naturalis.

c) Potest princeps prohibere ne matrimonium aliquod fiat; ergo et irritare potest. Patet consequentia: quia illud ostendit matrimonium subesse eius auctoritati.

Respondeo. Loquimur de matrimonio christiano. *Dist. Antec.* potest prohibere lege tantum poenali, h. e. privante quibusdam iuribus et bonis civilibus, qua proinde privatione moveantur libere subditi ut abstineant ab iis coniugiis, si nolint eas temporales iacturas subire, *trans.* lege obligante immediate conscientiam, *neg.* Unde negatur consequentia. Nec ius aliud asseritur Principi quam leges ferendi de iuribus et effectibus civilibus.

II. Arguunt ex historia. Aiunt principes olim, non repugnante Ecclesia, exercuisse hanc potestatem, pluresque Imperiales leges a Constantino et deinceps latas profert Launoius in op. cit.

Verum non solius facti ratio habenda est, sed natura facti consideranda. Utrum scilicet iis legibus christiani se obligari crediderint, et si crediderunt, an vi auctoritatis imperialis an potius vi auctoritatis Ecclesiae, quae has leges probaverit suasque, cum opportunum duxit, fecerit, quae proinde non sola auctoritate imperiali sed ecclesiastica quoque latae fuerint.

Iam vero certum est in ea sententia fuisse semper Ecclesiam quod nulla sit auctoritas principatus civilis in sacra ecclesiastica. « Ne te rebus (aiebat Hosius ad Constantium, ut refert Athanasius in historia Arianor. n. 44.) misceas ecclesiasticis, neque nobis his de rebus praecepta mandes, sed a nobis potius haec ediscas: tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit. » « Imperator enim in Ecclesias introspiciendi potestatem non habet, quemadmodum nec Pontifex in palatium », ait S. Gregorius II ad Leonem Isaurum epist. 2ª. Et Innocentius III *cp. Ecclesia de Constitutionibus* « Laicis etiam religiosis super ecclesiis et personis ecclesiasticis nulla est attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi: a quibus si quid motu proprio fuerit statutum quod ecclesiarum etiam respiciat commodum et favorem, nullius firmitatis exsistit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum. » Multo ergo minus firmitatis habere potest quod Principes motu proprio circa materiam Sacramentorum decernant. Itaque Ecclesiae sententia semper fuit, ut testatur Benedictus XIV ad Cardinalem Eboracensem, « legem a laico principe conditam nullam habere vim in matrimoniis debere ».

Id vero et ipsi Principes christiani non obscure significarunt se

sentire. Distinctione enim facta inter leges civiles et canones ecclesiasticos, illorum condendorum sibi factam a Deo potestatem, horum sibi commissam custodiam Iustinianus fatetur Nov. 137. « Si civiles leges, quarum potestatem nobis Deus pro sua in homines benignitate credidit, firmas ab omnibus custodiri ad obedientium securitatem studemus, quanto plus studii adhibere debemus circa sacrorum canonum et divinarum legum custodiam, quae super salute nostrarum animarum definitae sunt? » Vides una coniungi sacros canones et divinas leges, in quas Iustinianus profecto auctoritatem non sibi vindicat, sed solum custodiam. Ea igitur, quae Ecclesiae canonibus definiuntur, cuiusmodi sunt quae ad christiana Sacramenta pertinent, non potestati sed custodiae Imperatorum commissa sunt: quoniam ergo forma celebrandi matrimonii christiani canonibus Ecclesiae definitur ac definiri debet, ea subducta est a potestate civili. Nec aliter sensit alter Imperator Carolus Magnus, cuius in capitularibus plura exstant decreta circa res et personas sacras. Quî vero id factum sit accipe a Theologo Galliarum Natali Alexandro (H.E. sec.VIII, c. 7. a. 8) « Condebantur capitularia in conventu Episcoporum, Abbatum et Comitum. Leges tum ecclesiasticas tum civiles complectuntur. Leges de rebus et personis ecclesiasticis ex canonibus conciliorum et decretis Pontificum pleraeque omnes excerptae sunt. Nec enim auctoritatem leges mere ecclesiasticas ferendi sibi arrogavit Rex maximus, sed earum exsecutionem imperavit, nec sua edidit capitularia absque Episcoporum consilio. Et erga sacerdotes et religiosos viros *monitoris* officium sibi potius vindicavit, quam legislatoris, et *Sanctae Dei Ecclesiae adiutoris* humilisque *defensoris* nomine gloriatur, ut ex capitularis aquisgranensis praefatione constat. » Ea sic se habet in Capitulari generali anno 769 adscripto. « Ego Carolus gratia Dei, eiusque misericordia donante Rex et Rector Regni Francorum et devotus sanctae Dei Ecclesiae defensor atque adiutor in omnibus Apostolicae Sedis. » Ita accipienda esse decreta plura ad res ecclesiasticas spectantia his capitularibus Caroli Magni eiusque filiorum contenta vel ex eo liquet quod sic accepta fuerint ea aetate. Sane Benedictus Diaconus Moguntinus, alter eorum capitularium collector, praeposuit collectioni epistolam Zachariae R. P. et duas Synodos a Bonifacio legato Apostolicae Sedis celebratas. Hunc autem in finem ea Benedictus in fronte collectionis suae locavit, « *ut* (inquit ipse in sua praefatione) *agnoscant omnes haec praedictorum principum capitula maxime apostolica auctoritate fuisse firmata.* » Constat ergo sententiam certam Ecclesiae semper fuisse quod nulla sit auctoritas principatus civilis tum generatim in res sacras, tum in ipsum matrimonium Christianorum, quod est essentialiter res sacra et sacra-

mentum. Ergo concludimus: si quid imperiales leges hac in re valuerunt, id ex consensu et auctoritate Ecclesiae eas probantis factum est.

Sane ut Ecclesia ius suum ab initio exerceret, non opus fuit ipsam leges civiles omnes abrogare novasque statim condere; hoc enim alienum est a spiritu Ecclesiae, quae abhorret a fastu: sed satis fuit, ut doceret fideles eas leges, quae ipsi probabantur, pro iisdem valere, quia eas Ecclesia probabat. Censuisse vero antiquos fideles necessariam esse Ecclesiae approbationem argui potest vel ex iis quae diximus enarrantes epistolam Ambrosii ad Paternum.

Ceterum constat Imperatores veteres in codice suarum legum canones etiam ecclesiasticos promulgasse, non ut eis vim adderent, sed ut eorum observantiam tuerentur et urgerent: licet identidem modum excesserint et plus sibi arrogaverint, quam par erat; sed hic excessus reprobatus ab Ecclesia fuit. Quocirca quae de valore matrimonii statuunt, vel intelligenda sunt de effectibus civilibus, vel de valore intrinseco matrimonii quoad Christianos propter Ecclesiae legem aut consensum, vel de valore intrinseco eiusdem quoad infideles. Cum enim adhuc plures subditi Imperii essent infideles et erga eos possit princeps leges facere quoad eorum matrimonia, non poterant iidem ab his legibus ferendis tunc prorsus abstinere.

III. De quibusdam legibus ab Imperatoribus latis circa impedimenta matrimonii ac productis a Launoio, iam locuti sumus in Th. XXIX quoad impedimenta *consanguinitatis, affinitatis, voti, raptus, disparitatis cultus, criminis,* vidimusque falso ex iis legibus colligi impedimenta dirimentia matrimonium Christianum. Alia vero profert Launoius ut demonstret impedimenta praeterea *publicae honestatis, cognationis legalis et spiritualis, servilis conditionis, ordinis quoque sacri* a legibus Imperialibus originem mutuata esse. Verum praeter generalem animadversionem modo adhibitam, si singillatim haec impedimenta considerentur et leges ad quas provocat Launoius, patet ipsum pessime argumentari.

a) Nam cui e. g. persuadebit impedimentum ordinis esse hac lege Iustiniani (Novel. 22. c. 42.) stabilitum? « si quis inter reverendissimos constitutus clericos (ultra cantorem et lectorem dicimus) omnino contraxerit nuptias, hunc ex nostra constitutione cadere sacerdotio constituimus atque volumus »? Ergo ne et poena depositionis a Principe seculari infligetur? quis ignorat iure ecclesiastico antiquissimo prohibitas esse nuptias vel nuptiarum usum Episcopis, Presbyteris, Diaconis, etiam Subdiaconis? quam Ecclesiae legem heic tuetur et exsequitur Imperator. Cf. quae monebimus in Appendice, ad Canones Illiberitanos et seqq.

b) Quod spectat ad impedimentum conditionis servilis, si desit consensus liberae partis contrahentis, iam ipsa natura saltem suadet nullum esse contractum. Certe S. Leo epist. 167 ad Rusticum affirmat reg. 4: « nuptiarum foedera inter ingenuas sunt legitima et inter aequales, *multo prius hoc ipsum Domino constituente, quam initium Romani iuris exsisteret.* » Non erat ergo cur Launoius ad Novellam Iustiniani superius citatam provocaret.

c) Impedimentum cognationis legalis supponit quidem adoptionem statutam a lege, quae lex et civilis esse potest, sed vim dirimentis impedimenti mutuari a lege civili negant Theologi cum s. Thoma, cuius verbo paulo post recitabimus. Neque id probant Iustiniani leges allatae ex Digestis a Launoio, ut vel ex generali animadversione superius adhibita manifestum est. Quod vero Nicolaus R. P. in responsis ad consulta Bulgarorum c. 2 ad venerandas provocet romanas leges (Inst. L. 1. De Nuptiis) ut probet non posse esse inter tales coniugium, id ostendit leges romanas eatenus hunc effectum producere quatenus ab Ecclesia probatae et receptae sunt. Nam is est Nicolaus, qui maiorum suorum traditionem secutus docuit cum Gelasio imperatorem solum civilibus rebus, Deo auctore, praesidere, Pontificem sacris, atque utriusque potestatis sic discreta esse officia ut christiani imperatores pro aeterna vita pontificibus indigerent, et pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur (epist. 8. ad Michaelem Imper.). Cognationem vero spiritualem impedire matrimonium probat in eadem resp. Nicolaus non ex lege imperiali, sed is, supposita Ecclesiae lege, ex impedimento cognationis legalis suadet multo magis impediri matrimonium a cognatione spirituali. Cf. quae in appendice ad verba Nicolai dicemus.

Quod tandem pertinet ad impedimentum honestatis, illud repetit Launoius ex Digestis L. XXIII. De ritu nuptiarum L. 12 ex Ulpiano « Inter me et sponsam patris mei nuptiae contrahi non possunt, quamquam noverca mea non proprie dicatur, sed et per contrarium sponsa mea patri meo nubere non poterit, quamvis nurus non proprie dicatur. » Verum haec non est lex, neque hoc est integrum impedimentum publicae honestatis quale ab Ecclesia olim admissum fuit et etiamnum admittitur; non ergo vi huius sententiae impedimentum hoc in Ecclesia valet.

Atque haec est rursus observatio generalis facienda: scilicet plura esse impedimenta secundum canones, quae desunt legibus, plura iam statuta a legibus postea fuisse vel ampliata vel restricta vel temperata per canones, ita ut semper Ecclesia suam propriam independentem erga fideles auctoritatem manifestaverit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Si quando ergo Romani Pontificis leges Romani iuris appellant, id ex eo fit quod eas leges suas fecerint atque tacito consensu conventum fuerit ut leges codicis in iis, quae canonibus non adversantur, reciperentur etiam in iudiciis ecclesiasticis, ubi ecclesiastici canonis dispositio deesset.

IV. Launoius vero praeter leges imperiales adducit quoque praxim Regum et Imperatorum mediae aetatis, ut evincat semper retentum esse quod ius regium proprie sit illud, quo matrimonio christiano impedimenta dirimentia statuuntur. Satis erit praecipua facta, quae producit, considerare. Affertur *a*) primum historia duplex ex vita s. Godebertae et s. Salebergae, quae non nisi consentiente Rege, in cuius potestate erant, desponsatae sunt. Scilicet consensus eorum, in quorum potestate est puella, qui ad honestatem coniugii requiritur, confunditur cum politica potestate super vinculum matrimonii. Rursus ex Gregorii Turonensis Hist. L. V. c. 2. Chilpericus Rex dissolvit nuptias Merovaei filii sui cum Brunechilde regina seu eos separavit, eo quod, ut rex dicebat, « contra fas legemque canonicam uxorem patrui Merovaeus accepisset. » Exsecutus est ergo Rex canones, non legem statuit.

b) Item Clotarius Rex hanc legem tulit: « Nullus per auctoritatem nostram matrimonium viduae vel puellae sine ipsarum voluntate praesumat expetere, neque per suggestiones subreptitias rapiantur iniuste. Item sanctimoniales nullus sibi in coniugium audeat sociare. » Iura scilicet singulorum et canones defendit Rex. Ad potiora veniamus.

c) Baldovinus Flandriae comes, nesciente Rege Carolo calvo, surripuit eius filiam Iuditham viduam, quae ipsum tamen libere secuta est: qua re a civili iudicio, ipso rogante rege, prius improbata, episcopi postea spiritualibus poenis reos mulctarunt. Nicolaus autem I, ad quem Baldovinus confugit, litteris datis ad Regem rogavit ut vellet condonare iniuriam et in gratiam recipere Baldovinum. Scilicet agebatur de iniuria illata regi et patri, eamque secundum decreta Gregorii II in synodo Romana (si quis viduam in uxorem furatus fuerit et consentientes ei, anathema sint) punierunt Episcopi. Anathematis veniam noluit ante expiationem culpae concedere Nicolaus, sed partes egit intercessoris apud regem, qui iustam causam irascendi habebat potestatemque irritandi quoad effectus civiles matrimonium (cf. Antonii Pagi Criticam ad an. 862 VII). Iudicium vero mundanae legis praecessit in hoc negotio, quia non de vinculo matrimonii, sed de iniuria illata Regi praecipue agebatur, quam civilis quoque lex prohibet. At Nicolaus non petiit a Rege ut coniugium validum esse permitteret, sed ut iniuriam condonaret et in gratiam

reciperet Baldovinum sineretque eum pacifice frui coniugio. Lege epistolas Nicolai ad Carolum Regem 20 et 30 inter epistolas Nicolai. Nec certum est iam tunc initas fuisse nuptias; hoc enim tantum dicitur Iuditham secutam esse Baldovinum, *cucurrisse cum fure:* quod vero additur: *et se adulteri portionem fecisse* potest intelligi de ipsa sequela et voluntate ac promissione matrimonii. Sane Nicolaus iussit non quidem ut rursus unirentur sponsi, sed ut, permittente quidem Rege, Balduini et Iudithae coniunctio sine ulla protelatione fieret. Cf. Flodoardum Hist. Remens. L. III. c. 12.

d) Ecce autem solutio vinculi matrimonialis iussa ab Imperatore Ludovico Bavarico, qui litteris suis eam potestatem constituendi impedimenta dirimentia auctoritati civili asseruit. At hic homo haereticus et excommunicatus, qui haeresim de iure supremo potestatis civilis in rebus quoque sacris hauserat a Marsilio Patavino, quique propterea excommunicatus fuit quia nonnullos in prohibitis gradibus coniunxisset, non magis probat ad Principes spectare eam potestatem, quam rebellio Henrici VIII regis Anglorum probet regem omnem esse supremum Ecclesiae caput in suo regno.

e) Rursus Ludovicus Balbus filius Caroli Calvi coactus est a patre dimittere puellam nobilem Ansgard, quam sibi secreto sine consensu patris copulaverat et a qua duos susceperat filios Ludovicum et Carlomannum, eique data est a patre alia uxor Adelhaidis, quam gravidam reliquit ex Carolo Simplici, qui ei successit. Censet Launoius matrimonium fuisse diremptum vel ut nullum habitum eique innititur argumento quod filii prioris puellae habiti fuerint ut spurii, nec in regno successerint, sed solum regnum administraverint tanquam tutores Caroli Simplicis. Verum in his egregie fallitur; nam Ludovicus et Carlomannus tanquam filii legitimi successerunt in Regno Patris. Lege Flodoardum Hist. Rem. L. III. c. 19. Cf. Antonii Pagi Criticam ad ann. 879. Quidquid ergo sit de tyrannica separatione primae uxoris, ea ut vera uxor habita fuit. Quamvis heic in aequivoco ludit Launoius sicut et in non paucis aliis factis Regum Galliarum. Aliud enim est quod reges, putantes ex errore nuptias suorum filiorum et agnatorum sine consensu suo factas esse ex consuetudine ab ipsa ecclesia gallicana recepta nullas, eas solvi iusserint, aliud est quod ipsi regiam auctoritatem interposuerint ad vinculum matrimonii firmandum vel solvendum. Atqui historia haec Ludovici Balbi aliaeque similes, si quid probarent, primum efficerent, non alterum, quod tamen sibi probandum Launoius assumpsit.

f) In idem proinde redit quod aggressus est Ludovicus XIII an. 1632 quoad matrimonium Gastonis ducis Aurelianensis cum Margarheta Lotharingia initum citra consensum Regis. Clerus quidem

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

gallicanus consultus a Rege censuit matrimonia Principum regiae domus contracta, invito capite familiae, ratione habita moris et praxis Ecclesiae Franciae atque etiam *consensu et approbatione Ecclesiae,* esse invalida; sic quoque arbitrati sunt theologi parisienses. At Urbanus VIII an. 1635 respondit non esse in sua potestate ut matrimonium ex regulis et praescripto Synodi Tridentinae contractum in irritum vocaret: Galliae speciales leges nulla vi pollere in Sacramentum, quod a Christo institutore et Ecclesiae canonibus pendebat: qualescumque essent civiles harum legum effectus, persistere immotumque manere matrimonii vinculum (Roskovany op. cit. Tom. 1 p. 95). Ceterum permisit tandem Rex illud matrimonium, nec novus consensus expostulatus: sed post annos septem rursus celebratio sollemnis peracta coram Episc. Parisiensi, qui formula hac est usus: ego vos coniungo in matrimonium in quantum opus est. In sententia vero Gallicanorum error quidem erat facti, sed ad ius quod spectat, et ipsi censebant ad solam Ecclesiam spectare talem potestatem.

Antequam dimittamus Launoium, monemus quod hic auctor licet ab initio operis videatur velle solum defendere potestatem regiam in matrimonium Christianorum praeter potestatem ecclesiasticam, eo tamen postea progreditur ut soli civili potestati hoc ius asserat, negotiumque civile tantum velit esse matrimonium, distincto utique contractu a sacramento.

V. Arguunt ex auctoritate et primo s. Thomae. Sententia vero s. Thomae disserta est in Suppl. q. LVII, a. 2: « legibus humanis (civilibus, seu iure romano) prohibitum est inter tales (adoptatum et adoptantem etc.) matrimonium contrahi et *talis prohibitio est per Ecclesiam approbata: et inde est quod legalis cognatio matrimonium impediat.* » Et ad 4^m^ « dicendum quod prohibitio legis humanae non sufficeret ad impediendum matrimonium, nisi interveniret Ecclesiae auctoritas, quae idem etiam interdicit. » Quibus consona sunt ea quae habet in quodl. V a. 16. Ubi cum docuerit Ecclesiam in his quae ad matrimonium pertinent se habere tripliciter, nempe 1° per modum *iudicantis,* 2° per modum *prohibentis* vel *punientis,* 3° per modum *statuentis,* de hoc tertio modo dicit « quod fit solum auctoritate summi Pontificis et secundum hoc personae aliquae dicuntur illegitimae ad contrahendum. »

Obiicitur tamen eius doctrina in Suppl. q. L. a. un. ad 4, et in L. IV. con. Gent. c. 78 quae huc redit: matrimonium cum in diversos fines ordinetur, indiget habere diversa dirigentia in finem: ordinatur autem ad perpetuitatem speciei, ad perpetuitatem populi in civitate, ad perpetuitatem Ecclesiae; quoad primum dirigitur a natura inclinante in hunc finem, quoad secundum subiacet ordina-

tioni civilis legis, quoad tertium subiacet regimini Ecclesiae: sive matrimonium in quantum est in officium naturae statuitur lege naturae, in quantum est sacramentum statuitur iure divino, in quantum est in officium communitatis statuitur lege civili. Et ideo, concludit, ex qualibet dictarum legum potest aliqua persona effici ad matrimonium contrahendum illegitima. Verum 1) si diversa matrimonia a s. Thoma considerantur, certum est quod matrimonia naturalia, quae in societate civili fiunt, possunt regi et statui lege civili; matrimonia vero Sacramenta regi et statui debent lege Ecclesiae. Si vero 2) de eodem matrimonio loquatur s. Thomas, quod Christiani in societate civili exsistentes contrahant, tunc advertimus verba s. Thomae generalia esse et sensum earum specificum ex subiecto, cui referuntur, determinandum esse. Tum Ecclesia tum civilis potestas leges statuit, et dirigit matrimonium, sed alio et alio modo. Ea nempe quoad ipsum vinculum et Sacramentum, haec quoad effectus civiles; huiusmodi enim directio sufficit pro fine potestatis civilis obtinendo, seu pro illo bono, quod ex matrimonio in societate civili consequi potest, quodque civilis potestas in societate christiana procurare valet. Lege ergo civili fit persona illegitima non simpliciter ad matrimonium contrahendum, sed secundum quid h. e. ad contrahendum matrimonium capax effectuum civilium. Interpretationem istam postulant textus primo loco citati.

VI. Contra doctrinam hactenus propugnatam afferri praeterea solent argumenta et auctoritas quorumdam Scholasticorum, a quibus praecipua argumenta sunt mutuati adversarii. Sane Petrus a Soto ait (Instit. Sacerd. De Matrim. Lect. 4): « Possunt etiam positiva iura illegitimos aliquos reddere; unde b. Thomas intrepide asserit iura ipsa civilia et imperatoris leges illegitimos aliquos reddere ad contrahendum, ita videlicet ut nullum sit matrimonium. Neque negant hoc alii, licet non ita expresse asserant..... Si enim ius divinum permittit prohiberi ab Ecclesia quod ipsum non prohibet, quare Ecclesia non permittet potestati seculari prohibere quod ipsa non prohibet. Fateamur igitur leges civiles non posse licitum matrimonium facere quod ecclesiasticae illicitum reddunt, sicut nec ecclesiasticas leges approbare quod divinum ius reprobat; hoc enim esset inferiorem superiori contradicere. Verum quod ecclesiasticae leges non prohibent, cur seculares prohibere non poterunt, sicut quod non prohibet ius divinum, prohibent leges ecclesiasticae? Non debent Praelati Ecclesiae gravate suscipere si quod temporali paci viderint necessarium seculares Principes statuant, neque est quod illis se opponant, sed permittant potius matrimonium legibus humanis ordinandum, cum officium naturae sit: quamquam leges civiles in his

omnibus ex pietate certe et voluntate Principum facile cesserint Ecclesiae, ut iam nullum censeatur matrimonium illegitimum quod Ecclesia tale non iudicat. » Hactenus Petrus a Soto. Adverte in primis ipsum haec scripsisse ac defunctum esse ante celebratam Sess. XXIV. Tridentinam de Matrimonio. Eius certe doctrina non cohaeret cum canone 12 et Pii VI interpretatione, non cum affirmatione Benedicti XIV neque cum doctrina s. Thomae. Ceterum considerandum est quod Ecclesiae potestas ab eo habetur ut superior, videturque censere quod Ecclesia, si velit, possit impedire ne Principes seculares statuant impedimenta matrimonii, ideoque tantum hortatur Praelatos ut civilis iuris exercitium permittant. Est autem accuratius perpendendum argumentum huius Theologi: *quod ecclesiasticae leges non prohibent, cur seculares prohibere non poterunt, sicut quod non prohibet ius divinum prohibent leges ecclesiasticae?* Respondendum est scilicet. Leges ecclesiasticae prohibent quod non prohibet ius divinum, quia ius divinum rem in pluribus sub indeterminatione reliquit et fecit Ecclesiae potestatem statuendi formam pro valore actus, ita ut ii contractus nulli essent quos Ecclesia irritaret, ii essent validi quos Ecclesia irritos non faceret (Decr. De Matrim.). Leges civiles non possunt prohibere quod Ecclesia non prohibet 1° quia ius divinum nullam super hac re potestatem fecit auctoritati civili: 2° quia eo ipso quod Ecclesia eos non irritat contractus, iam sunt validi (cf. pag. 232. n. 6.) validique eo iure quod est superius iure civili; 3° quia si quos contractus non irritat Ecclesia posset irritare iure suo potestas civilis, haec haberet reapse ius in rem spiritualem qualis est materia Sacramenti (Cf. Th. praec. IV. 4).

Ambrosius Catharinus (in opusc. De clandestinis coniugiis Romae edito cum privilegio Romani Pontificis) ait: « quidquid non est contra legem Dei ac legem naturae credo Principes posse circa Matrimonium tanquam circa suam et non alienam materiam suis legibus providere, et ita latam ab eis legem valuisse puto, qua irritabantur matrimonia non consultis parentibus contracta. » Nota rursus Catharinum defunctum esse ante Petrum a Soto. Concedendum est quod principii loco ponitur; at lex Dei est ut quoad valorem actus matrimonium christianum subsit soli potestati Ecclesiae; est enim sacramentum, quod potestati soli ecclesiasticae relinquitur dispensandum: ergo. Exstant quidem in Codice Iustiniani L. V. Tit. 4. De Nuptiis leges, quae ad iustas nuptias filiorum exsistentium sub potestate Patris requirunt consensum Patris. Cf. et Institut. L. I. Tit. 10. Non una est iuris civilis interpretum hac in re sententia. Quidam censent eas nuptias prorsus habitas fuisse ut nullas, at negant alii. Ita Iacobus Cuiacius (in lib. 36. Pauli) ait: *iustae non sunt, fateor, con-*

tractae tamen non dissolvuntur. Quare huiusmodi leges dicuntur imperfectae, ut quae nuptias sine consensu parentum fieri prohibeant, contractas tamen non dissolvant. Ceterum nostra non refert quid voluerit lex civilis. Si enim effectum habuit olim irritandi has nuptias, id certe consecuta est ex consensu Ecclesiae. Et sane id satis quoad haec matrimonia declaravit Tridentina Synodus in decr. de Matrim. « Tametsi dubitandum non est clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit; et proinde iure damnandi sunt illi, ut eos s. Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quique falso affirmant matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse, nihilominus etc. » Prior pars doctrinae damnatae, eorum nempe qui negant esse vera et rata matrimonia clandestina, intelligitur cum ea limitatione: quamdiu ecclesia ea irrita non fecit; haec quoque limitatio intelligi potest et debet in altera parte, qua negatur irrita esse matrimonia filiorum familias sine consensu parentum contracta. At nulla alia limitatio subintelligi potest ex alterius auctoritatis vi petita. Nam contextus nullam offert, Synodus in hoc decreto supremam auctoritatem Ecclesiae tuetur et confirmat. Ergo nisi Ecclesia irritet haec matrimonia filiorum, ea ex sententia Tridentinae Synodi sunt valida.

Thomas Sanchez De Matrim. L. VII, D. 3, n. 2, 3, 4 ait: absque dubio dicendum est posse Principem secularem ex genere et natura suae potestatis matrimonii impedimenta dirimentia fidelibus sibi subditis ex iuxta causa legibus suis indicere eo pacto quo id Pontifex potest, nisi sibi hanc potestatem (Pontifex) reservasset. Ratio potissima est. Cum potestas regia ad tranquillitatem et bonum reipublicae tuendum sit potissimum instituta, eius est id quod ad hunc finem obtinendum desideratur providere, quale est circa matrimonia ineunda sancire illa impediendo et irritando: inde enim maxime pendet tranquillitas et recta reipublicae gubernatio. Et confirmatur: si enim potest princeps secularis alios civiles contractus ob reipublicae bonum irritare, cur non poterit etiam matrimonii contractum, cum id quandoque idem bonum commune postulet. Nec obstat principis secularis potestati matrimonium esse Sacramentum; quia eius materia est contractus civilis: qua ratione proinde potest illum ex causa iusta irritare ac si sacramentum non esset, reddendo personas inhabiles ad contrahendum et sic illegitimum et invalidum contractum. Si enim nudam Sacramenti rationem attendamus, nec Pontifex circa illud disponere posset, illud dissolvens; eiusque potestas ex ratione contractus humani, qui est materia huius Sacramenti, con-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

surgit.... Potest nihilominus Ecclesia Principibus fidelibus huius potestatis usum interdicere sibique reservare, qua id efficiente, irritae erunt leges Principis secularis contra eam reservationem matrimonium impedientes dirimentesve. Quoniam potestas temporalis est subiecta spirituali ipsique subordinata in ordine ad finem spiritualem et supernaturalem... Hinc deducitur non esse integrum hodie principi seculari fideli disponere aliquid circa matrimonia fidelium impedienda aut dirimenda; quoniam Pontifex hanc sibi potestatem reservavit, et merito quidem. Ait autem n. 7. « Id vero monuerim subditos infidelibus principibus, utpote qui eorum oppida inhabitant, adstringi legibus eorum iustis irritantibus matrimonia in omnibus iis casibus, in quibus ad alias eorum leges tenentur. Quare si cum eo dirimente impedimento contrahant, erit nullum matrimonium. Quia ratio Sacramenti superaddita matrimonio non impedit in principibus potestatem impedimenta dirimentia statuendi, sed sola reservatio Pontificis, ut diximus. »

Verum manifestum est 1° doctrinam hanc non cohaerere cum doctrina Pii VI. Nam docet Pius VI rationem Sacramenti efficere ut ad *solam* Ecclesiam spectet impedimenta statuere pro matrimonio christiano, h. e. impedire ne ulli civili potestati competat hoc ius; idcirco non ex libera reservatione Pontificis, sed ex rei natura sive ex Christi institutione, qui matrimonium fecit esse Sacramentum, impediri principes ne possint statuere impedimenta pro matrimoniis fidelium. Contrarium porro docet Sanchez.

Neque 2° cohaeret cum can. 12 tridentino. Quomodo enim omnes (cf. pag. 267) causae matrimoniales Christianorum spectant ad iudices ecclesiasticos, si princeps infidelis leges ferre potest circa impedimenta matrimonii, quibus obligentur sui subditi fideles? causae enim, in quibus de matrimoniis agatur eorum, qui his legibus subiiciuntur et quorum valor pendeat ab observatione harum legum, spectant ad tribunal principis infidelis; ad illius enim tribunal spectant causae, a cuius lege dependent.

Nec ratio adducta a Sanchezio valet. Distinguendum est enim. Regiae potestatis ad bonum commune institutae est ea providere, quae ad hunc finem conducunt et quae simul ordine naturali continentur, *conc.* quae ad hunc finem conducunt et quae ad altiorem quoque finem conducunt et ordine supernaturali continentur, *neg.* Eo ipso enim ex rei natura, nulla reservatione libera intercedente, subtrahuntur a potestate civili et potestati sacrae unice subiiciuntur. Lege quae diximus in demonstratione praeced. Thesis. Falsum praeterea est, ut vidimus, materiam Sacramenti esse contractum civilem, sed est contractus naturalis. Ceterum cum statuit Sanchez potestatem

principum esse dependentem a potestate Ecclesiae, discedit a doctrina modernorum regalistarum.

Sanchez inter auctores sententiae suae faventes citat Bellarminum. Is vero De Matrim. c. 32. id tantum docet « posse etiam principem politicum de impedimentis matrimonii leges ferre, sed principe ecclesiastico approbante: si enim hic repugnat, lex illa irrita erit. » Nimirum vis legis est ab approbatione Ecclesiae, ut ait s. Thomas; ideoque per se nihil potest princeps secularis.

Ceterum adverte hos auctores aliosque pares scripsisse ea aetate, qua nondum eliquata erat quaestio de essentia Sacramenti matrimonii, an scilicet idem esset ac contractus, an aliquid superadditum: item non negasse eosdem potestatem Ecclesiae, imo asseruisse eidem ius irritandi leges Principum hac in re; haec autem erat pro ea aetate sufficiens licet incompleta adhuc expressio illius doctrinae, quae postea, patefacta plenius veritate, asserta est.

THESIS XXXIV.

Potestas Ecclesiae constituendi impedimenta matrimonio christiano non solum ad catholicos, sed per se ad haereticos quoque porrigitur.

I. Haereticorum nomine eos intelligimus, qui baptizati cum sint, vel ab Ecclesia defecerunt vel ab his originem habentes eorum instituta sequuntur. Duplex in iis status distingui solet. Primus eorum, qui inter catholicos mixti vel alias gentes publicam societatem religiosam non constituunt, quae suis ritibus et legibus regatur. Alter eorum, qui ex concessione politicae auctoritatis socialem coetum religiosum constituunt, qui proprios rectores habeat propriisque legibus ritibusque gubernetur. De his potissimum quaestio est an legibus Ecclesiae matrimonialibus obligentur. Duplex autem quoad omnes quaestio fieri potest: nempe prior quaestio est iuris, an Ecclesiae potestas in constituendis impedimentis matrimonii ad haereticos quoque se porrigat, qui iure proinde sint hac in re eius subditi: altera facti quaestio est: an scilicet Ecclesia velit his suis legibus haereticos quoque, eos praesertim quos secundo loco memoravimus, obligare. Prior quaestio propria est Theologorum, altera potius Canonistarum, quorum proprium est ius positivum Ecclesiae, quod nempe ab Ecclesiae voluntate pendet, docere. Enunciatio thesis priori quaestioni per se respondet.

II. Ad eos Ecclesiae potestas porrigitur, qui sunt subditi Eccle-

surgit.... Potest nihilominus Ecclesia Principibus fidelibus huius potestatis usum interdicere sibique reservare, qua id efficiente, irritae erunt leges Principis secularis contra eam reservationem matrimonium impedientes dirimentesve. Quoniam potestas temporalis est subiecta spirituali ipsique subordinata in ordine ad finem spiritualem et supernaturalem... Hinc deducitur non esse integrum hodie principi seculari fideli disponere aliquid circa matrimonia fidelium impedienda aut dirimenda; quoniam Pontifex hanc sibi potestatem reservavit, et merito quidem. Ait autem n. 7. « Id vero monuerim subditos infidelibus principibus, utpote qui eorum oppida inhabitant, adstringi legibus eorum iustis irritantibus matrimonia in omnibus iis casibus, in quibus ad alias eorum leges tenentur. Quare si cum eo dirimente impedimento contrahant, erit nullum matrimonium. Quia ratio Sacramenti superaddita matrimonio non impedit in principibus potestatem impedimenta dirimentia statuendi, sed sola reservatio Pontificis, ut diximus. »

Verum manifestum est 1° doctrinam hanc non cohaerere cum doctrina Pii VI. Nam docet Pius VI rationem Sacramenti efficere ut ad *solam* Ecclesiam spectet impedimenta statuere pro matrimonio christiano, h. e. impedire ne ulli civili potestati competat hoc ius; idcirco non ex libera reservatione Pontificis, sed ex rei natura sive ex Christi institutione, qui matrimonium fecit esse Sacramentum, impediri principes ne possint statuere impedimenta pro matrimoniis fidelium. Contrarium porro docet Sanchez.

Neque 2° cohaeret cum can. 12 tridentino. Quomodo enim omnes (cf. pag. 267) causae matrimoniales Christianorum spectant ad iudices ecclesiasticos, si princeps infidelis leges ferre potest circa impedimenta matrimonii, quibus obligentur sui subditi fideles? causae enim, in quibus de matrimoniis agatur eorum, qui his legibus subiiciuntur et quorum valor pendeat ab observatione harum legum, spectant ad tribunal principis infidelis; ad illius enim tribunal spectant causae, a cuius lege dependent.

Nec ratio adducta a Sanchezio valet. Distinguendum est enim. Regiae potestatis ad bonum commune institutae est ea providere, quae ad hunc finem conducunt et quae simul ordine naturali continentur, *conc.* quae ad hunc finem conducunt et quae ad altiorem quoque finem conducunt et ordine supernaturali continentur, *neg.* Eo ipso enim ex rei natura, nulla reservatione libera intercedente, subtrahuntur a potestate civili et potestati sacrae unice subiiciuntur. Lege quae diximus in demonstratione praeced. Thesis. Falsum praeterea est, ut vidimus, materiam Sacramenti esse contractum civilem, sed est contractus naturalis. Ceterum cum statuit Sanchez potestatem

principum esse dependentem a potestate Ecclesiae, discedit a doctrina modernorum regalistarum.

Sanchez inter auctores sententiae suae faventes citat Bellarminum. Is vero De Matrim. c. 32. id tantum docet « posse etiam principem politicum de impedimentis matrimonii leges ferre, sed principe ecclesiastico approbante: si enim hic repugnat, lex illa irrita erit. » Nimirum vis legis est ab approbatione Ecclesiae, ut ait s. Thomas; ideoque per se nihil potest princeps secularis.

Ceterum adverte hos auctores aliosque pares scripsisse ea aetate, qua nondum eliquata erat quaestio de essentia Sacramenti matrimonii, an scilicet idem esset ac contractus, an aliquid superadditum: item non negasse eosdem potestatem Ecclesiae, imo asseruisse eidem ius irritandi leges Principum hac in re; haec autem erat pro ea aetate sufficiens licet incompleta adhuc expressio illius doctrinae, quae postea, patefacta plenius veritate, asserta est.

THESIS XXXIV.

Potestas Ecclesiae constituendi impedimenta matrimonio christiano non solum ad catholicos, sed per se ad haereticos quoque porrigitur.

I. Haereticorum nomine eos intelligimus, qui baptizati cum sint, vel ab Ecclesia defecerunt vel ab his originem habentes eorum instituta sequuntur. Duplex in iis status distingui solet. Primus eorum, qui inter catholicos mixti vel alias gentes publicam societatem religiosam non constituunt, quae suis ritibus et legibus regatur. Alter eorum, qui ex concessione politicae auctoritatis socialem coetum religiosum constituunt, qui proprios rectores habeat propriisque legibus ritibusque gubernetur. De his potissimum quaestio est an legibus Ecclesiae matrimonialibus obligentur. Duplex autem quoad omnes quaestio fieri potest: nempe prior quaestio est iuris, an Ecclesiae potestas in constituendis impedimentis matrimonii ad haereticos quoque se porrigat, qui iure proinde sint hac in re eius subditi: altera facti quaestio est: an scilicet Ecclesia velit his suis legibus haereticos quoque, eos praesertim quos secundo loco memoravimus, obligare. Prior quaestio propria est Theologorum, altera potius Canonistarum, quorum proprium est ius positivum Ecclesiae, quod nempe ab Ecclesiae voluntate pendet, docere. Enunciatio thesis priori quaestioni per se respondet.

II. Ad eos Ecclesiae potestas porrigitur, qui sunt subditi Eccle-

siae: atqui haeretici quoque sunt subditi Ecclesiae: ergo. Prob. m. Subditus quis fit Ecclesiae per baptismum, quo in corpus Ecclesiae admittitur eoque perseverante manet subordinatio baptizati ad Ecclesiam; atqui haeretici quoque sunt baptizati: ergo. Sane per illud quis fit subditus Ecclesiae per quod corpori Ecclesiae cooptatur; eo ipso enim quod ad corpus Ecclesiae spectat, legibus eius tenetur, quae latae non sunt nisi pro membris huius societatis: iam vero per baptismum homo adunatur corpori Ecclesiae: ergo (Matth. XXVIII, 19, 20). Porro haec obligatio consequens baptismum eatenus in hac vita perdurat quatenus perdurat baptismus; is autem semper manet. Nec rebellio ab Ecclesia ius conferre potest subdito se subducendi ab hac subordinatione et subiectione: actus enim iniustus nequit conferre ius contra id, ratione cuius est et manet iniustus.

Nec refert haereticos esse extra Ecclesiam; nam auctoritas Ecclesiae non solum ad eos se extendit, qui actu sunt in Ecclesia, sed et ad eos, qui olim fuerunt et nunc esse debent in Ecclesia, quamvis ex sua culpa sint ab ea extorres: sicut desertores milites subsunt adhuc potestati imperatoris, a cuius acie aufugerunt; rebellio enim ratio quidem esse potest cur poenae subiiciatur reus, non cur socialis auctoritas privetur suo iure erga ipsum.

Et sane Ecclesia semper ius sibi asseruit exercendi potestatem suam eamque coactivam in haereticos; quemadmodum in Tractatu de Ecclesia demonstratur. Cf. Ius Canonicum Tit. de haereticis. Suarez De Legibus L. IV. c. 19.

III. Ad leges autem matrimoniales quod spectat, constat censere Ecclesiam quod iis haeretici quoque obligentur. Testatur id et probat Pius VII. Brevi ad Archiepisc. moguntin. die 8. Octob. 1803. « Sed quid dicendum erit de illorum sententia, qui iactant haereticos ecclesiae legibus nequaquam subiici, atque inde posse illos novo coniugii foedere copulari, si primum publicae auctoritatis iudicio solutum fuerit, praepostere inferunt? Adversus illam clamant Scripturae, concilia, traditio denique universa. Omnium instar sit Tridentina Synodus, quae Sess. XXIV cap. 2° non baptizatos a baptizatis distinguens, illos tantum Ecclesiae iudicio proindeque legibus non subiici affirmat, cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus. Hi baptizati ergo Ecclesiae filii, quamquam rebelles et transfugae, eiusdem Ecclesiae legibus subiiciuntur; quare suam in illos potestatem exercere nunquam praetermisit Ecclesia, potestate sibi divinitus tradita, quemadmodum infinitis propemodum monumentis testatum est. » Et re quidem vera quoties in matrimoniis mixtis dispensavit Ecclesia, semper cavit ne obstaret aliud canonicum impedimentum. Cf. Declaratio-

nem Benedicti XIV circa matrimonia Hollandiae, et plura alia brevia vel responsa subsequentium Romanorum Pontificum.

Iam vero haec non valent solum pro haereticis, ut ita dicam, sporadicis, sed et pro haereticis in sectam et societatem publicam coeuntibus; nam huius unitatis socialis nullum ius est, cum singuli teneantur ad unitatem Ecclesiae redire et congregationes baptizatorum praeter veram Ecclesiam sint synagogae Satanae, a Deo reprobatae, qui voluit omnes baptizatos in unum coalescere corpus sub uno capite.

Liquet hactenus dicta valere quoque pro haereticis, qui matrimonia ineant cum catholicis et vicissim; utrique enim legibus Ecclesiae subduntur.

IV. Quaestio est tamen specialis quoad impedimentum clandestinitatis invectum a Tridentino cp. *Tametsi* Sess. XXIV. Quaestio vero non est utrum ratione tantum habita potestatis, potuerit Ecclesia hoc impedimento ligare quoque haereticos, illos etiam quos secundo loco recensuimus: responsio enim affirmativa satis patet ex dictis. Sed quaestio est facti ex quadam aequitate dependentis: an reapse hac lege obligentur haeretici in publicam societatem adunati propriis legibus et ministris utentes, sive vivant in societate civili, quae a catholicis gubernetur, sive vivant in societate, quae haereticis subsit. Ratio dubitandi est, quia cum ex una parte voluerit Trid. Synodus matrimonium sacramentum celebrari coram parocho et ex alia parte Ecclesia prohibeat parocho ceterisque communicationem cum haereticis in sacris durumque sit arbitrari voluisse Tridentinam Synodum esse nulla matrimonia omnia, non quidem huius aut illius haeretici, qui inter catholicos versentur (quod malum ad eorum quoque confusionem et scandalum inter catholicos vitandum permitti certe potest), sed eorum omnium, qui coetum non parvum et longo tempore duraturum constituunt, quorum plerique sunt in bona fide; consequens videtur quod pro his praesentiam parochi, quo carent, noluerit Synodus requiri. Sane si credimus Pio VII in litteris datis ad Imp. Napoleonem 27 Iunii 1805 de matrimonio mixto fratris eius Hieronymi in America inito, tanto studio et diligentia conscriptis: « Declaratio Benedicti XIV pro matrimoniis mixtis in Hollandia et statibus Belgii confoederatis non fuit novum ius, sed solum declaratio et explicatio quid in se ipsis haec matrimonia sint »; quocirca auctore ipso Pio VII « idem principium Benedicti XIV applicandum est iis matrimoniis, quae inter catholicum et haereticam fiant in illis regionibus, quae subsunt haereticis, etiam cum Tridentinum Decretum fuerit ibi pro exsistentibus ibidem catholicis publicatum. » Hoc quidem valet pro matrimoniis haereti-

corum, qui in ea regione vivunt quae subest haereticis: prius vero argumentum vim habet etiam pro illis, qui coetum constituunt intra societatem, quae subest catholicis. Cf. P. Ballerini in Opere Morali de Matrim. not. ad n. 841. 4. Arbitramur ergo pro huiusmodi haereticis (idem dic de schismaticis) hoc impedimentum clandestinitatis actu non vigere. Cum vero cetera impedimenta ab his quoque haereticis servari possint, ratio nulla est, cur ipsi iis non teneantur.

Verum, ut iam monuimus, quaestio haec per se ad canonistas spectat, quos proinde videsis.

THESIS XXXV.

Potestas dispensandi in impedimentis dirimentibus ecclesiasticis Romano Pontifici ipsique soli iure proprio competit. Etsi vero eidem posset competere potestas dispensandi identidem in iure aliquo divino, non est tamen consequens hanc potestatem ad impedimenta quoque se extendere quae sint iuris positivo-divini vel iuris naturalis. Idem Rom. Pontifex potest revalidare matrimonium cum dispensatione, ut aiunt, in radice, cuius dispensationis a Principe quoque seculari rationem haberi decet quoad effectus civiles, etsi forte ad id proprie non teneatur.

I. Dispensatio est relaxatio legis in aliquo casu particulari. Manente scilicet lege, fit ut haec vel illa persona, quae per se teneretur vel etiam tota communitas pro aliquo tempore libera sit ab obligatione legis. Dispensatio proinde est actus proprius potestatis legislativae; ea enim auctoritas, quae fert legem, eadem prout talis est ipsam abrogare, suspendere et ab ea dispensare potest. Hinc potestas dispensandi et iis competit quibus a legislatore conceditur atque iis, qui legislatori quoad eandem potestatem iurisdictionis superiores sunt.

Papam dispensare posse in impedimentis dirimentibus ecclesiasticis evidens est. Lex enim ea statuens auctoritate ecclesiastica constituta est; porro in Rom. Pontif. residet plenitudo huius potestatis, qua sola potest universa Ecclesia obligari, ut idcirco cum lex impedimentorum totam Ecclesiam obligaverit, nonnisi a Rom. Pontifice immediate vim obligandi mutuari potuerit (cf. Tract. nostrum de Rom. Pontif. Th. XIV.): ergo.

Ex eadem porro demonstratione consequitur hanc potestatem iure proprio soli Romano Pontifici competere. Solus enim supremus societatis Rector ius sibi vindicat dispensandi in legibus, quae uni-

versam societatem obligant, quaeque ab eius sola auctoritate vim obligandi, quam obtinent, habuerunt: cuiusmodi sunt leges de impedimentis, quibus nunc regitur Ecclesia. Quocirca nisi ipse Romanus Pontifex potestatem suam deleget (quod multipliciter fieri potest vel concessione perpetua vel temporaria), nihil in hac re possunt ceteri Ecclesiae Praelati.

II. Iam vero in impedimentis dirimentibus, quae nunc vigent, de iure naturali et divino sunt *ligamen, error circa personam, vis seu metus gravis* (c. cum locum de Sponsal. et Matrim.) *consanguinitas in linea recta saltem in primo gradu, in linea autem collaterali probabilius saltem in primo rursus gradu, et impotentia antecedens perpetua coeundi*. Quoad hoc postremum quidem non satis assequimur cur voluerit Pontius (de Matrim. L. VII. cc. 55-56) matrimonium valere inter impotentes, si contrahant cum proposito servandae continentiae, eo quod, ut ipse ait, ad essentiam matrimonii tantum requiritur quod sit mutua coniunctio animorum in naturalem vitae societatem cum diversitate sexus. At naturalis haec societas est certa et determinata societas, ab aliis distincta: ab aliis autem omnibus distinguitur eo quod fundamentum et rationem sui habet in naturali potestate mutua in corpus alterius in ordine ad copulam; huc enim redit matrimonii definitio (Th. I. et II.): quod si tollas, habes tantum liberam aliquam amicabilem societatem, cui nescio quomodo evinces competere proprietates necessarias matrimonii, unitatem nempe et indissolubilitatem, quae tamen abesse nequeunt a vero matrimonio. Itaque ea mutua potestate deficiente, nequit habere locum ea societas, idcirco nec matrimonium. Atqui in impotentibus ea potestas adesse nequit. Neque Pontifices cum aiebant se non separare eos, qui intercedente hoc impedimento contraxerant, docebant inter eosdem constare legitimum matrimonium, sed tantum eosdem posse una vivere veluti fratrem et sororem. Quod quidem de iis dicebant Pontifices, qui absque ullo proposito continentiae servandae sed cum voluntate coeundi contraxerant, qua tamen in hypothesi ipse Pontius (l. c.) vult inter impotentes invalidum esse matrimonium. Idcirco haec Pontificum sententia, si eo sensu accipiatur, quo vult Pontius, quod nempe matrimonium nihilominus inter eos impotentes consistat, id Pontio ipsi quoque adversatur. Quod satius fuisset advertere, quam adversarios arguere ignoratae latinitatis. Cf. in Appendice quae notamus ad Responsa Stephani III. an. 754.

In ceteris impedimentis certe (probabilius quoque per se in illis supradictis, quae non certe sunt iuris naturalis aut divini) vis dispensandi Rom. Pontif. exerceri potest.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

corum, qui in ea regione vivunt quae subest haereticis: prius vero argumentum vim habet etiam pro illis, qui coetum constituunt intra societatem, quae subest catholicis. Cf. P. Ballerini in Opere Morali de Matrim. not. ad n. 841. 4. Arbitramur ergo pro huiusmodi haereticis (idem dic de schismaticis) hoc impedimentum clandestinitatis actu non vigere. Cum vero cetera impedimenta ab his quoque haereticis servari possint, ratio nulla est, cur ipsi iis non teneantur.

Verum, ut iam monuimus, quaestio haec per se ad canonistas spectat, quos proinde videsis.

THESIS XXXV.

Potestas dispensandi in impedimentis dirimentibus ecclesiasticis Romano Pontifici ipsique soli iure proprio competit. Etsi vero eidem posset competere potestas dispensandi identidem in iure aliquo divino, non est tamen consequens hanc potestatem ad impedimenta quoque se extendere quae sint iuris positivo-divini vel iuris naturalis. Idem Rom. Pontifex potest revalidare matrimonium cum dispensatione, ut aiunt, in radice, cuius dispensationis a Principe quoque seculari rationem haberi decet quoad effectus civiles, etsi forte ad id proprie non teneatur.

I. Dispensatio est relaxatio legis in aliquo casu particulari. Manente scilicet lege, fit ut haec vel illa persona, quae per se teneretur vel etiam tota communitas pro aliquo tempore libera sit ab obligatione legis. Dispensatio proinde est actus proprius potestatis legislativae; ea enim auctoritas, quae fert legem, eadem prout talis est ipsam abrogare, suspendere et ab ea dispensare potest. Hinc potestas dispensandi et iis competit quibus a legislatore conceditur atque iis, qui legislatori quoad eandem potestatem iurisdictionis superiores sunt.

Papam dispensare posse in impedimentis dirimentibus ecclesiasticis evidens est. Lex enim ea statuens auctoritate ecclesiastica constituta est; porro in Rom. Pontif. residet plenitudo huius potestatis, qua sola potest universa Ecclesia obligari, ut idcirco cum lex impedimentorum totam Ecclesiam obligaverit, nonnisi a Rom. Pontifice immediate vim obligandi mutuari potuerit (cf. Tract. nostrum de Rom. Pontif. Th. XIV.): ergo.

Ex eadem porro demonstratione consequitur hanc potestatem iure proprio soli Romano Pontifici competere. Solus enim supremus societatis Rector ius sibi vindicat dispensandi in legibus, quae uni-

versam societatem obligant, quaeque ab eius sola auctoritate vim obligandi, quam obtinent, habuerunt: cuiusmodi sunt leges de impedimentis, quibus nunc regitur Ecclesia. Quocirca nisi ipse Romanus Pontifex potestatem suam deleget (quod multipliciter fieri potest vel concessione perpetua vel temporaria), nihil in hac re possunt ceteri Ecclesiae Praelati.

II. Iam vero in impedimentis dirimentibus, quae nunc vigent, de iure naturali et divino sunt *ligamen, error circa personam, vis seu metus gravis* (c. cum locum de Sponsal. et Matrim.) *consanguinitas in linea recta saltem in primo gradu, in linea autem collaterali probabilius saltem in primo rursus gradu, et impotentia antecedens perpetua coeundi*. Quoad hoc postremum quidem non satis assequimur cur voluerit Pontius (de Matrim. L. VII. cc. 55-56) matrimonium valere inter impotentes, si contrahant cum proposito servandae continentiae, eo quod, ut ipse ait, ad essentiam matrimonii tantum requiritur quod sit mutua coniunctio animorum in naturalem vitae societatem cum diversitate sexus. At naturalis haec societas est certa et determinata societas, ab aliis distincta: ab aliis autem omnibus distinguitur eo quod fundamentum et rationem sui habet in naturali potestate mutua in corpus alterius in ordine ad copulam; huc enim redit matrimonii definitio (Th. I. et II.): quod si tollas, habes tantum liberam aliquam amicabilem societatem, cui nescio quomodo evinces competere proprietates necessarias matrimonii, unitatem nempe et indissolubilitatem, quae tamen abesse nequeunt a vero matrimonio. Itaque ea mutua potestate deficiente, nequit habere locum ea societas, idcirco nec matrimonium. Atqui in impotentibus ea potestas adesse nequit. Neque Pontifices cum aiebant se non separare eos, qui intercedente hoc impedimento contraxerant, docebant inter eosdem constare legitimum matrimonium, sed tantum eosdem posse una vivere veluti fratrem et sororem. Quod quidem de iis dicebant Pontifices, qui absque ullo proposito continentiae servandae sed cum voluntate coeundi contraxerant, qua tamen in hypothesi ipse Pontius (l. c.) vult inter impotentes invalidum esse matrimonium. Idcirco haec Pontificum sententia, si eo sensu accipiatur, quo vult Pontius, quod nempe matrimonium nihilominus inter eos impotentes consistat, id Pontio ipsi quoque adversatur. Quod satius fuisset advertere, quam adversarios arguere ignoratae latinitatis. Cf. in Appendice quae notamus ad Responsa Stephani III. an. 754.

In ceteris impedimentis certe (probabilius quoque per se in illis supradictis, quae non certe sunt iuris naturalis aut divini) vis dispensandi Rom. Pontif. exerceri potest.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

III. Quaeres an dispensare valeat Rom. Pontifex in impedimentis vel aliquo saltem impedimento iuris naturalis et divini. Si impedimentum est iuris naturalis non tantum suadentis sed exigentis (cf. Th. XVI. I.) profecto nequit Pontifex dispensare, quia contra illud ius agere est semper intrinsece malum. Si vero agitur tantum de iure positivo divino, quaestionis occasionem praebet tum opinio plurium Theologorum asserentium posse identidem Romanum Pontificem in iure divino dispensare (cf. Sanchez. L. VIII. D. 6ª) tum praxis Romanorum Pontificum, cui illa sententia etiam innititur, dispensandi in quibusdam, quae iuris divini censentur imo et naturalis, ut in votis, iuramentis ac matrimonio rato. Quidni ergo poterit quoque in impedimento aliquo naturali aut divino dispensare Pontifex?

Dupliciter licet huic quaestioni respondere. Primo quidem, permisso etiam quod aliquando certis in casibus (nam universim quoad omnia nemo id unquam somniavit) valeat dispensare Papa in iure positivo divino aut naturali quoque cum ius non exsurgit nisi posito aliquo libero actu hominis, negatur simpliciter potestatem Pontificis dispensandi se porrigere ad ea impedimenta matrimonii, quae sunt iuris naturalis aut divini. Nam quoad impedimenta simpliciter naturalia, quaedam ex his ut *error, vis, impotentia* talia sunt ut iis exsistentibus repugnet esse matrimonium, propter defectum scilicet alicuius elementi essentialis: cum ergo dispensatio Pontificis hunc defectum supplere nequeat, nullus est locus dispensationi. Quoad impedimentum vero consanguinitatis, quaestio quidem fieri poterit utrum illud necne sit de iure naturae et an de iure primario an tantum secundario: at posito quod sit de iure naturae primario, tunc regula generalis valebit, quod nempe huiusmodi iura non admittunt dispensationem. Utrum vero ex iure primario naturae an non sit illud impedimentum, relinquimus disputandum Iurisperitis vel Theologis moralibus. Ceterum quoniam ad dispensandum valide in lege superioris iusta causa requiritur, nulla autem iusta causa unquam subesse posse videtur propter quam praestet in hac lege dispensare quam eius observantiam urgere, hinc ex hoc quoque capite nulla unquam poterit esse dispensatio. Nec unquam sane Pontifices in hac re dispensarunt. Quoad impedimentum tandem ligaminis, quod est fundamentaliter naturale, formaliter divinum pro viris, pro feminis vero est formaliter naturale et divinum, certum est quod licet Romanus Pontifex possit solvere matrimonium ratum, quae tamen solutio non est dispensatio (cf. dicta in Th. XXV. IX), nequit tamen solvere matrimonium consummatum neque permittere polygamiam aut polyandriam. Haec ex traditione catholica constant, quam dedimus suo loco.

Itaque certum est in istis impedimentis iuris naturalis aut divini Pontificem haud posse dispensare.

IV. Altera responsio contineretur crisi sententiae illorum Theologorum vel Canonistarum, qui concedunt Papae facultatem dispensandi in quibusdam legibus divinis, quae sententia si falsa demonstraretur, consequens esset falsum quoque esse quod in huiusmodi impedimentis valeat Romanus Pontifex dispensare. Omnes quidem fatentur posse Romanum Pontificem certis in casibus authentice declarare quod ius divinum heic et nunc te non obligat: an vero id sit tantum authentica declaratio an sit vera dispensatio, istud est quod in quaestionem venit. Quocirca qui dispensationem tuentur non debent esse solliciti in stabiliendis illis casibus, in quibus potestas Pontificia dispensandi exerceri valide possit, in quibus non: respondent enim (ut bene monet Sanchez. L. VIII. d. cit.) illos eosdem esse, in quibus alii admittunt posse Pontificem authentice declarare quod ius divinum non obliget heic et nunc. His autem positis, sunt qui advertant quaestionem, quoad praxim seu conclusionem practicam, esse inutilem; utram enim opinionem admittas, eadem semper erit consequentia: valere in iis casibus sententiam Pontificis et tutissime quemlibet posse secundum illam agere.

Quod si res speculative consideretur, etsi difficilis sit conceptus clarus dispensationis Pontificiae in iure divino, neque pariter facile est concipere quid sit declaratio authentica distincta a dispensatione. Nam ea non est tantum *declaratio doctrinalis*, qualem doctus quidam Theologus aut Iurisperitus suppeditare posset. Discrimen ex eo patet non solum quod declaratio Pontificis certior est omnemque scrupulum eximat, sed quod actus quidam iuridicus censeatur ius quoddam in particulari conferens vel statuens, unde appellatur *authentica* h. e. *ex auctoritate* non quidem simplicis doctoris, sed *supremi Ecclesiae rectoris profecta;* quae auctoritas aliquid profecto operatur, quod simplex doctor efficere nequit: quid autem operatur, nisi ius collatum alicui eximendi se ab observatione iuris divini? Atqui, subsumit Sanchez, talis declaratio authentica actus est per se proprius legislatoris vel parem cum illo auctoritatem habentis: quocirca qui potestatem declarandi in certis casibus ius divinum Pontifici asserunt, nihil minus ei tribuunt quam illi, qui potestatem dispensandi in iure divino eidem vindicant.

V. Nobis vero haec certa sunt. 1° Nulla est repugnantia quod Christus vicario suo potestatem fecerit tollendae iustis de causis alicuius obligationis, quam ipsum ius divinum sanxerit: exemplum est vinculum matrimonii rati. Cum enim vicarius Dei nomine et auctoritate Dei agat, potest profecto, si Deus velit, illud solvere quod

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Deus ipse solveret: quid autem prohibet id Deum velle? quaestio proinde, quae reliqua sit, erit tantum quaestio facti, an hanc potestatem concesserit Deus vicario suo: quae quidem quaestio ex traditione usu praxique Ecclesiae vel certa ac necessaria analogia fidei solvenda erit.

2° Nulla pariter est repugnantia quod in iis obligationibus iuris divini, quae, ut dicitur, ex actu libero hominis originem ducunt, cuiusmodi sunt vota et iuramenta, Deus potestatem fecerit vicario suo iustis ex causis vel renunciandi nomine suo iuri acquisito seu tollendi radicitus obligationem vel manente iure, dispensandi pro aliquo tempore ab eius obligatione. Duo, ut patet, distinguimus, quae exemplis declaramus. Sit religiosus professus, qui facultatem petat redeundi ad seculum et nubendi ut prole suscepta bono consulat vel familiae illustris vel regni alicuius. Duplici modo Pontifex se gerere potest. Vel enim dispensat simpliciter ut quamdiu ille vivit manere in seculo valeat vitamque coniugalem ducere vel dispensat cum restrictione, ut nimirum nubere possit, operam dare liberis procreandis, sed prole suscepta qua fieri possit satis utilitati familiae aut regni, abstineat a petendo debito, mortuaque coniuge ad religionem redeat vitamque religiosam ducat vi praecedentis professionis, quin ea iterum edatur. In hac altera hypothesi apparet vera dispensatio; nam professione manente manet lex obligans ad castitatem religiosam, cui legi subest per se ille professus, eximitur vero ab obligatione eius certo quodam tempore ob favorem Pontificis, rursus subiturus vim legis, quae ablata non est, sed cuius efficacia suspensa. In priori vero hypothesi tollitur reapse lex seu obligatio in radice, perindeque res se habet ac si Deus ipse renuntiaret iuri quod ipsi competit propter votum emissum. Iam vero dicimus haud repugnare quod Deus utramque potestatem fecerit vicario suo: nam eae reapse non excedunt conditionem vicarii aut delegati et non minimum conferunt ad rectam Ecclesiae gubernationem. Nec esset inferior, qui iure proprio dispensaret in lege superioris, sed esset vicarius, qui potestate accepta ab eo, cuius vicem gerit, de iis disponeret, quae huius sunt propria. Ita profecto quilibet vicarius se gerit respectu eius, cuius vice fungitur. An vero facta fuerit talis potestas Romano Pontifici a Christo, id eodem pacto demonstrandum erit, quo prima (n. 1°).

3° Quamvis vero haec ita se habeant, nequit tamen Pontifex dispensare in impedimentis matrimonii, quae sunt iuris naturalis et divini. Ratio ea est quam iam adduximus (n. III.). Neque argumentum pro affirmanda tali potestate ducere licet ex potestate dispensandi in aliis casibus. Nam ut omnes Theologi monent, haec potestas

non est certe universalis, quod ab ipsa revelatione docemur, quae negat pluribus in casibus posse Ecclesiam mutare aut suspendere ius divinum. Deinde non est similis ratio ac in praecedentibus. Etenim si sermo sit de impedimentis ex iure naturae, haec a iure naturae statuuntur independenter a quovis libero consensu hominis praevertente, secus ac in votis et iuramentis. Si sermo sit de impedimento iuris positivi divini, Deus qui concessit matrimonium ratum, quod indissolubile intrinsece statuit, solvi iustis ex causis a Romano Pontifice, noluit ut unquam liceret christianis multiplicitas simultanea uxorum.

VI. Revalidatio matrimonii est restitutio valoris matrimonio irrito eidemque ab ipso eius initio et deinceps, abrogata lege ipsum irritante. Talis restitutio habet locum, cum irritum fuit matrimonium vi legis ecclesiasticae. Fit autem ope dispensationis in radice, quae est abrogatio legis ecclesiasticae, quae impedimentum induxit, in casu particulari, ita ut irritentur seu excludantur omnes effectus non solum qui nunc sunt et deinceps subsecuti essent, sed et qui antea iam ex lege subsecuti erant. Cf. Benedictum XIV. De Synod. L. XIII. c. 21. Quapropter differt haec dispensatio in radice a simplici dispensatione, quae effectum solum parit pro futuro tempore, efficiens nempe ut deinceps valide contrahatur matrimonium. Difficultas est autem in concipienda efficacia dispensationis in radice, quae ad praeteritum quoque dicitur extendi: nam ad praeteritum nulla potentia datur, ut fert commune adagium satis per se evidens.

Ut ergo breviter hanc efficaciam declaremus, advertimus 1° verissimum esse illud sensus communis adagium, fierique proinde non posse ut quod factum fuit infectum fuerit, sive ut falsum aliquando sit exstitisse olim aliquid quod reapse exstitisse verum olim fuit.

Quocirca 2° efficacia dispensationis in radice non in eo est sita ut efficiat matrimonium prius contractum, fuisse contractum valide prolemque ex eo susceptam, ortam fuisse legitime.

3° Restat proinde ut realis effectus huius actus potestatis locum tantum in praesenti et futuro possit habere, sed cum respectu ad praeteritum. Scilicet *a*) abrogata lege irritante, consensus coniugum perseverans (ut supponitur), qui propter legem irritantem erat inefficax ad gignendum vinculum coniugale, evadit eo ipso efficax et matrimonium eo ipso facit, ut proinde opus non sit ulla renovatione consensus neque ut coniugibus dispensatio manifestetur, si sint in bona fide.

b) Fit ut hoc matrimonium, sicuti reapse est, habeatur ab omnibus deinceps ut verum matrimonium, instructum omnibus iuribus quae competunt vero matrimonio.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

c) Fit praeterea ut hoc matrimonium debeat ab omnibus iuridice spectari tanquam legitime contractum ab initio, prolesque ante dispensationem suscepta tanquam legitime nata. Non fit quidem ut homines iudicare debeant matrimonium ab initio fuisse legitime contractum: hoc falsum est, nec ulla est potestas, quae ad falsum asserendum cogere nos possit: sed fit ut haberi debeat matrimonium *tanquam* ab initio legitime peractum, exclusis omnibus effectibus impedimenti dirimentis quod abrogatur. Lex scilicet particularis est efficiens iuridice ut non amplius ullo modo debeat quilibet ex his effectibus illi matrimonio imputari etiam quoad praeteritum. Vides efficaciam dispensationis in radice realiter exeri solum in praesenti et futuro, sed respectum haberi quoque ad praeteritum, quatenus efficitur iuridice ut quilibet iudicare debeat de hoc matrimonio non secus ac si ab initio vere legitimum fuisset. Id dicitur fieri per quandam fictionem iuris.

Re ita declarata, satis constat esse in potestate Pontificis huiusmodi dispensationes concedere. Nam non sunt de re impossibili, sed prorsus possibili: generice autem consideratus hic actus iuridicus, quo lex aliqua in casu particulari abrogatur efficiturque ut omnes eius legis effectus tanquam nulli habeantur, hic actus, inquam, non excedit potestatem cuiuslibet supremae auctoritatis in societate. Quibus vero conditionibus sit concedenda haec dispensatio aut soleat concedi, docebunt te Theologi morales iurisque canonici periti.

VII. Quoniam effectus huius dispensationis (VI. 3. *a. b. c.*) distincti ab invicem sunt, quaeritur utrum tertius effectus, puta legitimitas prolis, obtineri possit matrimonio iam soluto per mortem sive alterutrius sive etiam utriusque coniugis. Profecto si Pontifex nolit dispensare nisi adhuc viventibus coniugibus, illud fieri non poterit; sed quaestio nunc non fit de praxi, sed de rei possibilitate per se spectata. Ratio negandi haec esse videtur, quia non amplius exsistente matrimonio, deest subiectum, quod revalidetur et multo magis defunctis ambobus coniugibus, deest persona cui gratia concedatur. Verum quoad personas, si proles exsistit, adest qui possit hoc beneficio frui. Sed hoc omisso, nullum valorem per se inesse censeo rationi allatae. Etenim, ut monuimus, efficacia huius dispensationis directe non attingit matrimonium praeteritum irritum ac si illud, quoad praeteritum, realiter mutaret, sed directe attingit homines praesentes et futuros, qui vi illius dispensationis habere iuridice debent illud matrimonium, antea illegitime peractum, tanquam legitimum ab initio. Atqui ad hoc non requiritur nisi ut aliquando matrimonium contractum fuerit etsi illegitime: id autem verum est quamtumvis ambo coniuges non amplius exsistant. Matrimonium sci-

licet antea factum sive coniuges, qui in praeterito contraxerunt, sunt id, in cuius favorem fit dispensatio, sed vis omnis huius dispensationis realiter exercetur in praesentes aut futuros.

Dices: si ita est, etiam nulla exsistente prole posset haec dispensatio concedi pro matrimonio iamdudum praeterito. Non equidem repugno ratione habita solius potestatis: quia vero actus esset inutilis omnino, non est cur a prudente Principe illum aliquando exspectemus.

VIII. Restat alia quaestio. Quoniam, ut probavimus (Th. XXXII), Princeps secularis nullam potestatem habet in matrimonium christianum, sed illud supponere et suscipere debet prout in Ecclesia secundum eius leges fit; hoc autem principio posito, de effectibus tantummodo civilibus pro suo arbitrio decernere potest: quaeritur utrum, dispensatione facta a Pontifice matrimonii in radice, Princeps illam acceptare teneatur quoad effectus civiles ut proinde nequeat e. g. negare ius successionis legitimae filio nato ante dispensationem. Affirmat Sanchez (Lib. VIII. D. 7.), cuius ratio haec est. Princeps negat effectus civiles proli, quia matrimonium nullum est, istud ipse supponit ex lege Ecclesiae: quocirca effectus iste negatae legitimae haereditatis innititur tanquam fundamento nullitati matrimonii. Porro abrogata lege irritante pro hoc casu, tollitur illud fundamentum: ergo non est amplius cur Princeps neget ius successionis proli. Auctores plures pro sua sententia citat Sanchez; non tamen omnes eidem consentiunt. Consentit tamen Benedictus XIV in qq. canonicis p. I. q. 174[a].

Etsi dubium non sit decere quam maxime ut Princeps admittat hanc dispensationem tum propter reverentiam debitam Rom. Pontifici tum ne eadem proles habeatur in foro ecclesiastico legitima, in foro civili illegitima, quod grave foret inconveniens: occurrit ratio dubitandi an vere teneatur Princeps dispensationem hanc recipere quoad effectus civiles, sive utrum haec pontificia dispensatio tollat citra consensum Principis effectus civiles ortos ex matrimonio illegitimo. Ratio dubitandi est, quia dispensatio in radice non facit ut matrimonium fuerit olim legitimum, sed facit ut tanquam legitimum etiam quoad praeteritum existimandum sit, irritatis omnibus effectibus impedimenti dirimentis, cuius lex abrogatur. Per fictionem nempe iuris, res eo loco restituitur ac si verum semper fuisset matrimonium: at haec restitutio quoad praeteritum in hoc tandem est sita quod abrogata lege impedimenti (abrogatione quae fit nunc) auferantur prorsus omnes effectus, quos illa lex pariebat, non quidem simpliciter quia ad praeteritum potentia non datur, sed quatenus iuridice efficitur ut illi effectus non amplius imputentur matrimonio

isti etiam quoad praeteritum. Itaque quoad praeteritum dispensatio in radice vim suam exerit quatenus ex Pontificis auctoritate iubentur omnes nullum ex illis effectibus imputare illi matrimonio et sic illud habere pro legitimo. Atqui, quoniam quoad effectus civiles Princeps gaudet independente auctoritate, non videtur iussio Pontificis, quatenus spectat ad effectus civiles, citra eiusdem consensum vim habere. Dices dispensationem Pontificis immediate valorem restituere matrimonio, abrogata lege impediente, et exinde consequens esse ut aboleantur effectus matrimonii illegitimi. Verum ea est formula quidem habens sensum verum: sed si in concreto res spectetur et habeatur ratio eius quod fit et fieri potest a Pontifice dispensante, illud tandem reperietur, Pontificem abrogare legem impedimenti pro praesenti et futuro, ac quoad praeteritum efficere (quatenus ex auctoritate iubet) ut iuridice non imputentur effectus matrimonii illegitimi illi matrimonio. Neque enim rem seu essentiam, quae olim fuit, mutare potest, nec efficere potest ut illi effectus olim non exstiterint, e. g. quod proles non fuerit olim illegitima. Cum igitur quoad praeteritum, puta prolem iam genitam, vis dispensationis pontificiae se exerat iubendo; quaestio sponte se offert an haec iussio quoad effectus civiles obliget Principem independentem. Princeps sane accipit ab Ecclesia matrimonium quoddam esse nullum, prolemque proinde illegitimam: hoc posito, iure suo decernit prolem quae ex tali matrimonio nascatur, haeredem non esse: cum conditio ea semper vere maneat quod proles reapse orta sit ex parentibus non legitime copulatis, cur non licebit ei suam legem servare? Sane si tu promisisses eleemosynam filiis legitimis nascituris puta in quodam paupere pago, an crederes te teneri ad eam dandam filiis illegitime quidem natis postquam tamen obtenta fuerit dispensatio in radice? Diceres profecto conditionem a te statutam (qui liber profecto eras, nulli auctoritati obnoxius in ea statuenda) semper deesse. Sic Princeps iure suo decernens effectus civiles, respondere posse videtur, conditionem a se, Ecclesiae lege praesupposita, requisitam reapse deesse. At nonne fundamentum civilis dispositionis tollitur per pontificiam dispensationem? Scilicet non tollitur physice, semper enim verum erit prolem natam esse illegitimo modo: sed tollitur iuridice, at quaestio redit, utrum auctoritas Pontificis hoc ius statuens valeat quoque quoad effectus civiles citra consensum Principis.

Quocirca videri posset non damnandus Princeps violatae ecclesiasticae auctoritatis, qui iura e. g. successionis negare vellet proli natae ex matrimonio invalido, etsi dispensatio postea sequatur.

Et sane nihil impedit quominus vero quoque legitimo matrimonio negentur iure civili quidam effectus civiles ob certas rationes: sic ut optimates deterreantur a quibusdam nimis disparibus coniugiis, licet filios ex iis progenitos privare iure legitimae successionis, quamvis matrimonium verum fuerit: ergo quod ex lege Ecclesiae matrimonium verum sit, id non est ratio sufficiens cur nequeat princeps aliquando negare effectus civiles, si idonea ratio subsit. Atqui et in nostra hypothesi subest idonea ratio: nuptias nempe fuisse ab initio illegitimas, quod ius civile certa poena punire velit ut iis aditus in societate claudatur.

Nihilominus Theologi et Canonistae generatim oppositam sequuntur sententiam iis innixi argumentis, quae Sanchez quoque attulit. Et sane eadem est auctoritas Pontificis in statuendo impedimento et in dispensando; ipsa enim auctoritas, quae statuit impedimenta, est ea quae dispensare potest ac vicissim. Subest autem auctoritati Pontificis Princeps quoad matrimonia christiana ut debeat ea omnia et sola ut vera matrimonia inter christianos habere, quae conformia sunt legibus latis a Romana sede. Subiectio vero debita huic auctoritati exigit ut omnem eius actum ex aequo reverearis, ut idcirco sicut tenes nullum esse matrimonium, cui obstat impedimentum statutum a Romana Sede, ita pariter teneas ut legitimum illud quod ut tale censeri vult idem Rom. Pontifex. Quod autem directe Pontifex iubet est ut censeatur tanquam legitimum matrimonium, ex quo consequitur ut effectus proprii legitimi matrimonii sive sint ecclesiastici sive civiles iure eidem nequeant denegari. Si hanc sententiam lector amplecti velit, per nos profecto licet.

Corollarium

Finem heic imponentes Tractatui, operae pretium ducimus monere prostare ibi quae opportuna et necessaria duci possunt ad refellendos errores circa matrimonium christianum reprobatos a ss. Pio papa IX in Syllabo sub §. VIII. Qui quidem errores ita se habent.

1. Nulla ratione ferri potest Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti. Cf. Th. VII, VIII et IX.

2. Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est. Cf. Th. X et XI.

3. Iure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest. Cf. quoad primam partem Th. XVI, quoad aliam partem prout licitum affirmat divortium proprie dictum, cf. Th. XVII, XVIII, XIX,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

XXI, XXII, XXIII: prout vere affirmat id sanciri posse auctoritate civili cf. Th. XXXII et XXXIII.

4. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta exsistentia tollenda sunt. Cf. Praenotiones Cp. IV et Th. XXVIII, XXIX, XXX.

5. Ecclesia sequioribus seculis dirimentia impedimenta inducere cepit, non iure proprio, sed illo iure usa, quod a civili potestate mutuata erat. Cf. Th. XXIX.

6. Tridentini canones, qui anathematis censuram illis inferunt qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non sunt dogmatici vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt. Cf. Th. XXVIII n. V, et XXX.

7. Tridentini forma sub infirmitatis poena non obligat ubi lex civilis aliam formam praestituat et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere. Cf. Th. XXXII.

8. Bonifacius VIII votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit. De hac ἀνιστορησίᾳ καὶ τῶν ἐπινοιῶν συνχύσει loquemur in Appendice ad decreta Conc. Lateranensis III.

9. Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium, falsumque est aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum aut nullum esse contractum si sacramentum excludatur. Cf. Th. X.

10. Causae matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent. Cf. Th. XXXII. VI. Dico 7.

APPENDIX

CONSPECTUS

DECRETORUM ET CANONUM ECCLESIASTICORUM

IN RE MATRIMONIALI

A PRIMIS ECCLESIAE SAECULIS USQUE AD ANNUM 1215

MONITUM

Conscribenti mihi tractatum istum de Matrimonio necesse fuit decreta et canones Ecclesiae super hac re scrutari, eorumque syllogem non exiguam studiis meis opportunam comparare. Absoluto autem tractatu subiit cogitatio rem me haud ingratam lectoribus facturum si syllogem eorumdem decretorum et canonum auctam quoque et quoad eius fieri pro virili mea parte potuit completam, iisdem communicarem. Per eam enim ipsa historia tum dogmatis tum disciplinae oculis pene subiicitur paucisque tenetur. Quae vero decreta de hac ipsa re in libris divinitus inspiratis continentur, etsi et huc maxime faciant, quia tamen et nota sunt omnibus et in Tractatu late pertractata fuerant atque sibi quemdam specialem vindicant ordinem, heic nolui recensere, sed exponere tantum canones ab Ecclesia profectos. Cum id tamen meditarer, sensi simul terminos aliquos figendos esse, ultra quos haec series non excurreret, ne parum utilia lectoribus ingererem vel invitis iisque fastidium crearem. Itaque sistendum censui in Concilio oecumenico Innocentii III.: exinde enim quid Ecclesia circa coniugia statuerit facile te docebunt decretales Gregorii IX ceteraeque subsequentes canonum seu decretorum collectiones. In colligendis canonibus id prae oculis habui ut nullum praeterirem, qui aliquam cum doctrina aut disciplina de Coniugio cognationem haberet: quocirca et canones arcentes bigamos a sacerdotio et usum nuptiarum interdicentes iis, qui in sacro sunt ordine constituti, descripsi: verum his canonibus usque ad certam aetatem enumeratis, deinceps ab iisdem abstinendum censui, nisi cum lex Ecclesiae irritans nuptias propter ordinem sacrum manifestior appareret. Neque absimili modo agendum iudicavi circa canones, qui nuptias reprobant virginum Deo dicatarum vel monachorum.

Quia vero hic conspectus eo pertinet ut ius Ecclesiae hac in re ob oculos ponatur, non solum canones Conciliorum sed potissimum decreta

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

XXI, XXII, XXIII: prout vere affirmat id sanciri posse auctoritate civili cf. Th. XXXII et XXXIII.

4. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta exsistentia tollenda sunt. Cf. Praenotiones Cp. IV et Th. XXVIII, XXIX, XXX.

5. Ecclesia sequioribus seculis dirimentia impedimenta inducere cepit, non iure proprio, sed illo iure usa, quod a civili potestate mutuata erat. Cf. Th. XXIX.

6. Tridentini canones, qui anathematis censuram illis inferunt qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non sunt dogmatici vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt. Cf. Th. XXVIII n. V, et XXX.

7. Tridentini forma sub infirmitatis poena non obligat ubi lex civilis aliam formam praestituat et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere. Cf. Th. XXXII.

8. Bonifacius VIII votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit. De hac ἀνιστορησίᾳ καὶ τῶν ἐπινοιῶν συνχύσει loquemur in Appendice ad decreta Conc. Lateranensis III.

9. Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium, falsumque est aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum aut nullum esse contractum si sacramentum excludatur. Cf. Th. X.

10. Causae matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent. Cf. Th. XXXII. VI. Dico 7.

APPENDIX

CONSPECTUS

DECRETORUM ET CANONUM ECCLESIASTICORUM

IN RE MATRIMONIALI

A PRIMIS ECCLESIAE SAECULIS USQUE AD ANNUM 1215

MONITUM

Conscribenti mihi tractatum istum de Matrimonio necesse fuit decreta et canones Ecclesiae super hac re scrutari, eorumque syllogem non exiguam studiis meis opportunam comparare. Absoluto autem tractatu subiit cogitatio rem me haud ingratam lectoribus facturum si syllogem eorumdem decretorum et canonum auctam quoque et quoad eius fieri pro virili mea parte potuit completam, iisdem communicarem. Per eam enim ipsa historia tum dogmatis tum disciplinae oculis pene subiicitur paucisque tenetur. Quae vero decreta de hac ipsa re in libris divinitus inspiratis continentur, etsi et huc maxime faciant, quia tamen et nota sunt omnibus et in Tractatu late pertractata fuerant atque sibi quemdam specialem vindicant ordinem, heic nolui recensere, sed exponere tantum canones ab Ecclesia profectos. Cum id tamen meditarer, sensi simul terminos aliquos figendos esse, ultra quos haec series non excurreret, ne parum utilia lectoribus ingererem vel invitis iisque fastidium crearem. Itaque sistendum censui in Concilio oecumenico Innocentii III.: exinde enim quid Ecclesia circa coniugia statuerit facile te docebunt decretales Gregorii IX ceteraeque subsequentes canonum seu decretorum collectiones. In colligendis canonibus id prae oculis habui ut nullum praeterirem, qui aliquam cum doctrina aut disciplina de Coniugio cognationem haberet: quocirca et canones arcentes bigamos a sacerdotio et usum nuptiarum interdicentes iis, qui in sacro sunt ordine constituti, descripsi: verum his canonibus usque ad certam aetatem enumeratis, deinceps ab iisdem abstinendum censui, nisi cum lex Ecclesiae irritans nuptias propter ordinem sacrum manifestior appareret. Neque absimili modo agendum iudicavi circa canones, qui nuptias reprobant virginum Deo dicatarum vel monachorum.

Quia vero hic conspectus eo pertinet ut ius Ecclesiae hac in re ob oculos ponatur, non solum canones Conciliorum sed potissimum decreta

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Romanae Sedis commemoranda mihi fuerunt; ea enim est fons et origo omnis iuris in Ecclesia, quemadmodum est magistra infallibilis veritatis. Sane huius Sanctae Sedis decreta ita pia fide a filiis Matris Ecclesiae accipienda sunt et veneranda « ut tanquam regula canonum ab iisdem absque ullo scrupulo admittantur », ut scribebat Philippo Regi Francorum Alexander II. Quisque tamen intelligit', opus non fuisse ut omnia responsa RR. PP., quae frequenter non sunt nisi applicatio legis iam notae, colligeremus.

Canones, qui describuntur, spectant fere omnes ad Synodos particulares. Quapropter advertere in primis oportet eas et fallibiles esse, et singulas, pro diversitate rerum, personarum et locorum, merito potuisse diversas condere leges in iis, quae nondum supremae auctoritatis vi haberentur definita. Cum unus tamen sit Spiritus, qui Ecclesiam regit, omnia suaviter et sensim sine sensu, normam in primis proferente Romana Sede, ad concentum et unitatem revocata tandem videbis. Praeter canones synodorum provincialium etiam canones quarumdam dioecesanarum vel alicuius Episcopi decreta edidi, eo quod censerem ea valere ad lucem ceteris afferendam. Ex eadem causa Capitularia quaedam Francorum recitavi, quae illius aetatis sensum et praxim repraesentant. Notas quoque, plerumque brevissimas, canonibus aut decretis identidem subtexui, quibus eorum interpretationem theologiae studiosis clariorem efficerem, et collationem cum aliis instituendam indicarem. Profiteor enim me hoc qualecumque opus non eruditis viris, sed iis adolescentibus, qui theologiae dant operam, conscripsisse: quibus si aliquam illud est utilitatem allaturum, de labore impenso, non minimum ego mihi gratulabor.

EX CANONIBUS APOSTOLORUM

PRIMIS TRIBUS ECCLESIAE SECULIS.

Etsi non scripti sint ab Apostolis, tamen certum esse debet Apostolos et praecipue Petrum regulas aliquas reliquisse Ecclesiae, quibus doceretur qua ratione haec societas regenda foret: quomodo e. g. Pastores et ministri eligendi ac instituendi, quae munera et officia singulorum, quae inferiorum subordinatio, quibus generatim disciplinae, licet per se mutabilis, modus aliquis certus statueretur. Haec enim in Scripturis non traduntur: sine illis tamen societas consistere nequit. Porro canonibus, qui dicuntur Apostolorum, forma quaedam continetur ecclesiastici regiminis et ecclesiasticae disciplinae: non est ergo cur dubitemus eos tandem ab Apostolis et praecipue a Petro profectos esse: quamvis, eo quod non statim fuerint scriptis consignati, alii deinceps, cum scriberentur, adiecti fuerint, quos Apostolica origo non commendabat. Quae duo causa fuisse videntur cur tum Gelasius aut saltem Hormisdas inter apocrypha collocarent *librum qui inscribitur canones Apostolorum*, qui ab Apostolis scriptus non fuerat, et quaedam continebat non referenda ad Apostolos; tum eadem aetate, ut Dionysius in sua epistola ad Stephanum Episcopum testatur, plurimi his canonibus facilem consensum non praeberent. Quod

vero his non obstantibus in priore suo Codice Canonum Ecclesiasticorum (alter enim inscriptus *codex canonum universae Ecclesiae* non est nisi accuratior ex graeco translatio ad verbum canonum conciliorum graecorum, iussu Hormisdae Papae facta a Dionysio post alteram. Cf. eius epist. inter epistolas Hormisdae n. 148 ed. Andreae Thiel.) Dionysius recensuerit regulas ecclesiasticas sanctorum Apostolorum, satis ostendit huiusmodi canones Apostolis tributos auctoritatem non minimam obtinuisse in Ecclesia.

Quaestio tamen non versabatur, apud latinos saltem, nisi circa quinquaginta canones, quos descripsit Dionysius ex Clemente; nam canones, quibus plurimos non facilem assensum praebere dicit, ii sunt quos postea describit numero 50: alios vel non agnovit vel nullo habuit in pretio: quamvis Ioannes Scholasticus Antiochenus qui an. 565 fuit Episcopus Constantinop. referat canones Apostolicos 85. ex Clemente. Ista collectio Dionysiana privata primum auctoritate facta, postea in usum recepta fuit a Romana Ecclesia, quae canones ex ea citabat et inter hos etiam canones Apostolorum. Hadrianus I tamen in sua Epitome Canonum solum quadraginta quinque canones Apostolorum ex Dionysianis refert; eos non omittens, quos nos infra producimus. Ex his patet cur in nostro prospectu omittendos non censeremus canones Apostolorum.

Canon XIX. Qui duas sorores (*successive*) duxit aut filiam fratris (*al.* consobrinam *Ebediesu addit* aut filiam sororis) non potest esse clericus.

An huiusmodi coniugia illicita omnibus habeantur et propter eorum specialem malitiam ii prohibeantur a clero, qui illa contraxerint, an tantummodo propter honestatem clericalis ordinis arceantur ab eo huiusmodi homines, sicut arcentur bigami, non constat per se ex hoc canone. Si tamen alios canones vel eiusdem vel proximae aetatis consideres, facile intelliges quo iste spectet. Cf. can. LXI Illiberitanum inf. c.

Canon XLVIII. Si quis laicus, sua eiecta uxore, aliam acceperit, vel ab alio dimissam duxerit, segregetur.

Citatur hic canon a Zacharia in epist. ad Pipinum (v. inf.), qui hunc et alios canones citat ex collectione Dionysiana.

Porro si advertas quo tempore hic canon conditus fuerit, cum nempe divortia cum solutione vinculi per leges Imperiales ob plures causas licerent, intelliges sententiam canonis universaliter expressam, h. e. sine ulla limitatione, eum casum quoque imo praecipue spectare, quo uxor ob causas a lege terrena probatas, ob adulterium e. g. eiiceretur aut dimitteretur. Iam scilicet Ecclesia iure suo utitur circa matrimonium nulla habita ratione legum civilium.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

EX CONCILIO ILLIBERITANO

IN BAETICA PROVINCIA AN. 305.

Adverte canones huius Concilii esse proprie poenitentiales aut poenales.

Canon VIII. Feminae, quae nulla praecedente causa reliquerint viros suos et se copulaverint alteris, nec in fine accipiant communionem.

De sensu huius poenalis legis locuti sumus in Tract. De Poenitentia Th. IX. Non improbantur solum feminae, quae absque ulla causa reliquerint maritos suos et alios duxerint, ac si id cum causa liceret, sed eae speciali plectuntur poena eo quod gravior sit culpa. Cf. can. seq.

Canon IX. Femina fidelis, quae adulterum maritum reliquerit fidelem et alterum ducit, prohibeatur ne ducat: si duxerit, non prius accipiat communionem, nisi quem reliquerit, prius de seculo exierit, nisi forte necessitas infirmitatis dare conpulerit.

En clare proposita doctrina de indissolubilitate vinculi etiam in causa adulterii: directe quidem de uxore agitur dimittente virum adulterum; sed cum constet pares esse in hac re iure christiano virum et uxorem (cf. pag. 105.) quod Patres Illiberitani de uxore affirmant, est accipiendum pariter de viro.

Canon X. Si ea, quam catechumenus reliquit, duxerit maritum, potest ad fontem lavacri admitti. Hoc et circa feminas catechumenas erit observandum. Quod si fuerit fidelis, quae ducitur ab eo, qui uxorem inculpatam reliquit, et cum scierit illum habere uxorem, quam sine causa reliquit, placuit huic nec in fine dandam esse communionem.

Cf. pag. 156.

Canon XIII. Virgines quae se Deo dicaverint, si pactum prodiderint virginitatis, atque eidem libidini servierint, non intelligentes quod amiserint (al. *quid admiserint*) placuit nec in fine eis dandam esse communionem. Quod si semel persuasae aut infirmi corporis lapsu vitiatae *(Ferd. Mendoza. Quod si sibimet persuaserint quod infirmitate corporis lapsae fuerint)* omni tempore vitae suae huiusmodi feminae egerint poenitentiam ut abstineant se a coitu, eo quod lapsae potius videantur, placuit eos in fine communionem accipere debere.

Iam monuimus suo loco (pag. 244) prioribus seculis non statim apud omnes Ecclesias obtinuisse legem statuentem quod professio castitatis sit impedimentum dirimens matrimonium: unde colligebamus vim obligantem huius legis esse ex iure ecclesiastico. Quocirca non mirabitur

lector si canones priorum seculorum hac in re non reperiat concordes; idem enim videre est in pluribus legibus disciplinaribus. Patres tamen Illiberitani iam videntur illud impedimentum ab initio quarti seculi suscepisse. Conditio enim requisita ut toto vitae tempore abstineant a coitu virgines lapsae, quae se Deo dicaverant, suadet nullam potestatem agnitam fuisse in his virginibus se uniendi viris. Nisi forte dicas Patres loqui solum de commercio fornicario, quod tamen non satis evineeres eo quod dicantur libidini inservire: nam id pariter in iis quoque valet, quae nuptias vetitas tentarent. Cum ergo e contrario nulla distinctione utantur Patres inter fornicationem et nuptias, videntur potius censuisse quodlibet harum virginum commercium cum viris actum esse reprobandae libidinis, omni valore destitutum.

Canon XIV. Virgines (*seculares nondum expertae copulam*) quae virginitatem suam non custodierint, si eosdem, qui eas violaverunt, acceperint et invenerint maritos, eo quod solas nuptias violaverunt, post annum, sine poenitentia *(Ferd. Mend. post unius anni poenitentiam)* reconciliari debebunt. Vel si alios cognoverint viros, eo quod moechatae sint, placuit per quinquennii tempora acta legitima poenitentia admitti eas ad communionem.

Canon XV. Propter copiam puellarum, Gentilibus minime in matrimonium dandae sunt virgines christianae; ne aetas in flore tumens in adulterio animae resolvatur.

Idem paulo post decernentes Patres Arelatenses inf. c. XI. hoc tanquam impedimentum tantum impediens non dirimens habuerunt. Nec aliam interpretationem exigit canon hic Illiberitanus.

Canon XVI. Haeretici, si se transferre noluerint ad Ecclesiam catholicam, nec ipsis catholicas dandas esse puellas: sed neque Iudaeis neque ethnicis *(Ferd. Mend.* schismaticis: *al.* haereticis, *inutilis repetitio)* dare placuit, eo quod nulla esse possit societas fideli cum infideli. Si contra interdictum fecerint parentes, abstinere per quinquennium placet.

Iudaei cum christiana connubium, proposita adulterii poena, vetuit Theodosius M. Cod. Theod. Lib. III. Tit. 7. L. 2.

Canon XVII. Si qui forte sacerdotibus idolorum filias suas iunxerint, placuit nec in fine eis dandam esse communionem.

Ex his tribus canonibus intelligis quantum iam e primis seculis abhorruerit Ecclesia a nuptiis cum infidelibus aut haereticis. Nulla tamen separatio praecipitur, sed solum poenitentia quaedam pro crimine imponitur.

Intelligis quoque morem christianorum ab Ecclesia probatum ut sub cura et moderamine parentum filiae nuptias inirent.

Canon XXXIII. Placuit in totum prohiberi (*h. e. praecipere, at praecepto prohibente ne aliquid fiat, h. e. ut se abstineant, quem-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

admodum sequitur) episcopis, presbyteris et diaconibus vel omnibus clericis positis in ministerio, abstinere se a coniugibus suis et non generare filios: quicumque vero fecerint, ab honore clericatus exterminentur.

Hic est primus canon in quo apparet praescriptio caelibatus ecclesiastici: quod quidem non perinde est ac dicere tunc primum hac de re latam fuisse legem. Ceterum quod advertimus ad canonem XIII, heic quoque quadantenus habet locum. Liquet enim caelibatum ecclesiasticorum, quem primis seculis utraque ecclesia latina et graeca suscepit, non in cunctis Ecclesiis ea aetate fuisse eadem vi propositum, sed identidem suasiones, hortationes adhibitas, identidem etiam exceptione quadam legem fuisse temperatam in Ecclesia graeca tum cum non secus ac in latina caelibatus ecclesiasticus generatim vigeret. Id ex seqq. cnn. patebit. Cf. De hac re opus eximium *F. A. Zacharia del celibato ecclesiastico.*

Perpende in hoc canone Illib. verba: *ab omnibus clericis positis in ministerio* et intelliges rationem legis universalis postea latae de coelibatu subdiaconorum iam fuisse antiquitus praeformatam, eo quod nempe altari inserviant, quod et in cnn. seqq. apparebit.

Canon LIV. Si qui parentes fidem fregerint sponsaliorum, triennii tempore abstineant se a communione: si tamen iidem sponsus vel sponsa in illo gravi crimine fuerint deprehensi (*h. e. si ii soli, quin parentes consenserint*), excusati erunt parentes. Si vero in eodem fuerint vitio (*parentes*) et polluerint se consentiendo (*filiis*), superior sententia servetur.

Cf. Alex. Symm. Mazocchi Diatribam in hunc cn. Extat post opus ab eodem editum I. M. Muscettulae de sponsalibus et matrimoniis filiorum familias etc.

Canon LXI. Si quis post obitum uxoris suae, sororem eius duxerit et ipsa fuerit fidelis, quinquennium a communione placuit abstineri, nisi forte dare pacem velocius necessitas coegerit infirmitatis.

En prohibitio huiusmodi connubii primo apparens. Quod heic prohibent Patres Hispani, declararunt nullum Patres Neocaesarienses. v. inf.

Porro coniugia quaedam ex causa affinitatis, iam vetuerant romanae leges, at non ex ista. Anno 295 Diocletianus et Maximianus legem tulerant (Cod. Iustin. L. V. Tit. 4. L. 17): *Nemini liceat contrahere matrimonium cum filia, nepte vel pronepte, itemque matre, avia vel proavia et ex latere amita ac matertera, sorore, sororis filia et ex ea nepte, praeterea fratris filia et ex ea nepte itemque ex affinibus, privigna, noverca, nuru, socru ceterisque quae iure antiquo prohibentur, a quibus cunctos volumus abstinere* (cf. Institutiones Lib. I. Tit. 10).

Canon LXV. Si cuius clerici uxor fuerit moechata et scierit eam maritus suus moechari et non eam statim proiecerit, nec in fine accipiat communionem.

Cf. cn. VIII. Neocesar. inf. c. Uxor clerici, quae in adulterii crimine perseveret, proiicienda est: maxime enim clerico indecorum est vitam agere eadem in domo cum muliere adultera.

Canon LXVI. Si quis privignam suam duxerit uxorem, eo quod sit incestus, placuit nec in fine dandam esse ei communionem.

Si incestus vocatur, nullum esse ex hac affinitate matrimonium declaratur. Legem scilicet romanam sup. cit. probant Patres fidelibusque sua auctoritate proponunt.

Canon LXVII. Prohibendum ne qua fidelis vel catechumena aut comicos (*al.* comatos) aut viros scenicos (*al.* cinerarios) habeat: quaecumque hoc fecerit, a communione arceatur.

Lectionem *comatos* et *cinerarios* praefert Dr. Hefele in sua Hist. Conec. ad h. cn.

Canon LXX. Si cum consensu mariti uxor fuerit moechata, placuit nec in fine (*F. M.* eis) dandam esse communionem: si vero eam reliquerit (*F. M. addit:* et separati fuerint et digne poenituerint) post decem annos accipiat (*F. M.* accipiant) communionem.

Consensus mariti non impedit quominus accessio coniugis ad alium sit adulterium. Uxor adultera dimittenda erat, quod iam Hermas L. II. Mand. 4. monuerat. Cf. cn. praeced. LXV.

Canon LXXXI. Ne feminae suo potius quam maritorum nominibus, laicis scribere audeant, quae (*F. M.* qui) fideles sunt, vel literas alicuius pacificas ad suum nomen scriptas accipiant.

EX CONCILIO ARELATENSI

AN. 314.

Non fit mentio huius et sequentis canonis in epist. synod. ad Silvestrum: eam tamen mutilam esse docet Sirmondus in praef. Tom. I. Conec. Galliae.

Canon X. De his, qui coniuges suas in adulterio deprehendunt et iidem sunt adolescentes fideles et prohibentur (*Petavius suggerit legendum:* non prohibentur *propter* ἀκολουθίαν *sermonis*) nubere, placuit ut, in quantum possit, consilium eis detur ne viventibus uxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant.

Consilio et suasionibus potius quam minis volunt Patres agendum esse cum his adolescentibus, ut suaviore via deterreantur ab eo, quod lege christiana prohibentur facere. Id enim prohiberi disserte affirmant Patres. Canon ergo eo spectat ut doceat Sacerdotes quomodo in his adiunctis ge-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rere se debeant. Petavius quidem (in notis ad Epiphanium haer. LIX) suggessit, praeter fidem codicum, aliam lectionem h.e. *non prohibentur nubere*, idque propter ἀπλουθίαν sermonis. Ab hac tamen non exigi eam arbitrariam emendationem patet ex modo dictis. Ceterum si intelligitur prohibitio caesarea, quae profecto deerat, eo ipso se prodit intentio Patrum in hoc canone, quam nos proposuimus. At si prohibitio divina non exstabat, nec locus erat consilio.

Ex quodam ms. Lucensi alios canones praeter duo et viginti authenticos huius synodi protulit Mansi, quos tamen ipse censet ad aliam Arelatensem synodum pertinere. Ex his dubiis canonibus primus respondet VIII canoni legitimo et sic se habet.

Placuit ut quantum potest inhibeatur viro ne dimissa uxore vivente liceat ut aliam ducat super eam: quicumque autem fecerit, alienus erit a catholica communione.

Canon XI. De puellis fidelibus, quae gentilibus iunguntur, placuit ut aliquanto tempore a communione separentur.

Cf. cn. XVI Illiber.

EX CONCILIO ANCYRANO

AN. 314.

Canon X. Quicumque diaconi in ipsa constitutione testificati sunt et dixerunt oportere se uxores ducere cum non possint sic manere, ii si uxorem postea duxerint, sint in ministerio, eo quod hoc sit illis ab episcopo concessum. Si qui autem hoc silentio praeterito et in ordinatione ut ita manerent suscepti sunt, postea autem ad matrimonium venerunt, ii a diaconatu cessent.

Temperatio est quaedam communi consuetudini adhibita ab his Patribus, nec unquam communiter in Ecclesia suscepta. Ratio fuerit conditio quaedam specialis Ecclesiarum Asiae minoris et Syriae, quarum Episcopi eo convenerunt, illa aetate ob inopiam ministrorum sacrorum.

Canon XI. Desponsatas aliis puellas et ab aliis postea raptas visum est iis, quibus desponsae erant, reddi, etiamsi vim passae sunt.

Cf. cn. XXII Basilii inf. c.

Canon XIX. Quicumque virginitatem profitentes professionem suam irritam reddunt, ii bigamorum definitionem impleant. Virgines autem, quae cum quibusdam tanquam sorores conveniunt, prohibuimus.

Mitior est hic canon quam XIII Illiber. nec de perpetua abstinentia a copula sermo est. Ait Dr. Hefele heic agi de violatione professionis per matrimonium legitimum, ibi vero de violatione per fornicationem seu libidinem solum. Hoc autem, ut advertimus, non satis constat. Certum est tamen iam a primis seculis se prodere in Ecclesia hunc sensum, ut virgines professas, Deo dicatas repugnet iungi coniugio.

Canon XXIV. Quidam sponsam habens, sororem eius violavit et gravidam reddidit: postmodum desponsatam sibi duxit uxorem. Illa vero, quae corrupta fuit, laqueo se peremit. Hi qui fuerunt conscii, post decem annorum poenitentiam iussi sunt suscipi, secundum gradus poenitentiae constitutos.

Ex facto quodam (ait Balsamon in hunc cn.) moti sunt Patres ut praesentem canonem ederent. In quo facto, ut idem advertit, multa nefaria commissa sunt, fornicatio, illicitum matrimonium, caedes.

EX CONCILIO NEOCAESARIENSI

IN CAPPADOCIA 314-324.

Canon I. Presbyter, si uxorem duxerit, ab ordine deponatur. Si autem fornicatus fuerit vel adulterium perpetraverit, amplius pelli debet et ad poenitentiam redigi.

Nunquam licuit post ordines sacros susceptos coniugium inire.
Vides heic poenitentiam etiam presbyteris praescribi, sed depositis.

Canon II. Mulier si duobus fratribus nupserit, abiiciatur usque ad mortem. Verumtamen in exitu, propter misericordiam, si promiserit quod facta incolumis huius coniunctionis vincula dissolvat, fructum poenitentiae consequatur.

Cf. cn. LXI. Illiber. Sicut enim ibi prohibetur vir accipere successive duas sorores, ita heic mulier prohibetur eodem pacto habere duos fratres: praeterea irritum declaratur hoc matrimonium, citra cuius dissolutionem venia non conceditur. Cf. cn. XXIII Basilii seq. Imperiali autem lege non nisi anno 355 hae nuptiae primum vetitae fuerunt a Constantino et Constante AA. (Cod. Theod. L. III. Tit. 12. Leg. 2.). *Etsi licitum veteres crediderunt nuptiis fratris solutis, ducere fratris uxorem, licitum etiam post mortem mulieris aut divortium, contrahere cum eiusdem sorore coniugium: abstineant ab huiusmodi nuptiis universi nec aestiment posse legitimos liberos ex hoc consortio procreari; nam spurios esse convenit, qui nascentur.* Ita rursus an. 415 Honorius et Theodosius (ibid. leg. 4.).

Canon III. De his, qui in plurimas nuptias (successive) inciderunt, tempus quidam praefinitum (poenitentiae agendae) manifestum est; sed conversatio eorum et fides tempus abbreviat.

Sermo est de polygamis, qui post alteras nuptias nubunt. Cf. cn. IV. Basilii inf. c.

Canon VII. Presbyteris in nuptiis bigami prandere non convenit: quia cum poenitentia bigamus egeat, quis erit presbyter, qui propter convivium talibus nuptiis possit praebere consensum?

Eadem scilicet ratione id prohibetur, qua poenitentia imponebatur.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Canon VIII. Mulier cuiusdam adulterata laici constituti, si evidenter arguatur, talis (laicus) ad ministerium cleri venire non poterit. Si vero post ordinationem adulterata fuerit, dimittere eam convenit; quod si cum illa convixerit, ministerium sibi commissum obtinere non poterit.

Alia est dimissio, de qua Patres heic loquuntur ab ea, quam non permittit Leo epist. inf. c. ad Rusticum Narbonensem, c. III. Loquuntur scilicet Patres Neocaesarienses de separatione absque dissolutione vinculi, quemadmodum can. LXV. Illiberitanus supra citatus.

EX CONCILIO NICAENO

AN. 325.

Canon VIII. De his, qui se nominant catharos... haec prae omnibus eos scripto convenit profiteri quod catholicae et apostolicae Ecclesiae dogmata suscipiant et sequantur, idest et bigamis se communicare et his qui in persecutione lapsi sunt.

Honestum esse iteratum coniugium, dogma est catholicum.

EX CONCILIO CARTHAGINIENSI

AN. 348.

De serie, numero et propriis canonibus singularum synodorum carthaginiensium vel africanarum cf. sis FF.Ballerinios in 3° tomo operum S. Leonis, de Antiq. Collect. cann. p. 11. c. 3.

Canon III. Universi dixerunt: qui nolunt nubere et pudicitiae meliorem eligunt partem, vitare debent non solum habitare simul *(cum extraneis)*, sed nec habere ad se aliquem accessum *(extraneos)*. Hoc ergo et lex iubet et sanctitas vestra *(Gratum episcopum alloquuntur)* commendat: hoc et in singulis conciliis a nobis statutum est.

EX CONCILIO LAODICENO

IN PHRYGIA 343–381.

Canon I. Oportet secundum ecclesiasticum canonem eis, qui libere et legitime secundis nuptiis iuncti sunt nec occulte nuptiarum copulam fecerunt, cum exiguum tempus praeterierit et orationibus atque ieiuniis vacaverint, dare ex venia communionem.

Significant Patres occultas nuptias sibi non probari. Levis poenitentia praescribitur propter secundas nuptias at legitimas et manifestas: si minus legitimae forent aut etiam occultae, gravior poenitentia fuisset indicta.

Canon X. Non oportet eos, qui sunt ecclesiae, indiscriminatim suos filios aut filias haereticis matrimonio coniungere.

Canon XXXI. Non oportet cum quolibet haeretico matrimonium contrahere vel dare filios aut filias, sed magis accipere, si se christianos futuros profiteantur.

Irritatio non est sed prohibitio in his duobus canon. Cf. enn. XV. XVI. Illiber.

Canon LII. Non oportet in quadragesima nuptias vel natalitia celebrare.

Hic canon susceptus est in Conc. Bracarensi 2. sive in Collectione Canonum Martini Bracarensis post medium sec. VI.

EX CONCILIO GANGRENSI

AN. CIR. 350.

Canon I. Si quis vituperat nuptias et dormientem cum viro suo fidelem et religiosam detestatur aut culpabilem aestimat, velut quae regnum Dei introire non possit, anathema sit.

Canon IV. Si quis de presbytero, (γεγαμηκότος) uxorato, (*h. e. qui uxorem accepit, utique ante ordinationem*) contendat non oportere, eo Sacra celebrante, oblationi eius communicare, A. S.

Cum Eustathiani, contra quos feruntur hi canones, nuptias simpliciter detestarentur, non intelligo cur sophistica dicatur a Dr. Hefele (ad hunc can.) interpretatio Baronii, negantis agi de presbytero, qui uxorem habens adhuc ea pergit uti, sed aientis agi de presbytero, qui uxorem habet simpliciter, etsi ea non utatur. Vel hoc solum quod presbyter esset uxoratus (neque enim desinit coniugale vinculum propter ordinationem) sufficiens ratio erat cur qui horrerent nuptias, ab eo abstinerent. Ceterum vox γεγαμηκώς *uxoratus* nunquam id postulavit ut significet eum, qui utitur copula coniugali. Praeterea hoc idem Gangrense decretum repetit Conventus Moguntinus anno 851 (v. inf.) ea scilicet aetate, qua latini presbyteri certe non nubebant. Interpretati sunt ergo Patres Moguntini canonem hunc non secus ac Baronius.

Canon IX. Si quis virginitati et continentiae studens a matrimonio, tamquam sit res abominanda, recedit, non vero propter ipsam virginitatis pulcritudinem et sanctitatem, A. S.

Canon X. Si quis eorum, qui sunt virgines propter Dominum, insultet in eos, qui uxores duxerunt... A. S.

Canon XIV. Si qua mulier relinquit maritum et vult recedere, matrimonium execrans, A. S.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

EX CONCILIO VALENTINO

IN GALLIIS 374.

Canon I. Sedit neminem post hanc synodum... de digamis aut internuptarum *(h. e. viduarum)* maritis ordinari clericum posse. Nec requirendum utrumne initiati sacramentis divinis anne gentiles hac se infelicis sortis necessitate macularint, cum divini praecepti casta sit forma.

Ita quoque rescripsit Innocentius I. v. inf.

Canon II. De puellis vero, quae se Deo voverunt, si ad terrenas nuptias sponte transierint, id custodiendum esse decrevimus ut poenitentia his nec statim detur, et cum data fuerit, nisi plene satisfecerint Deo, in quantum ratio poposcerit, earumdem communio differatur.

Causam differendae poenitentiae, quam non statim dari volunt hi Patres, intelliges forte ex decreto Innocentii I. inf. citati ad Victricium cap. XII, aientis huiusmodi non esse admittendas ad poenitentiam, nisi is, cui se iunxerant, de seculo exierit: ut proinde iam apud Gallos eadem sententia appareat quoad vim horum votorum ac apud Innocentium. Cf. ibid.

EX CANONIBUS S. BASILII

IN EPISTOLIS AD AMPHILOCHIUM ANN. 374–75.

Perpende hos canones esse per se poenitentiales aut poenales. Traditi quidem sunt privata auctoritate: maximo tamen in honore fuerunt apud graecos. Exhibent autem generatim ius canonicum vigens ea aetate in Ecclesia graeca circa illa, de quibus Basilius fuerat interrogatus. Quocirca ab his canonibus recensendis non potuimus abstinere.

Canon III. Diaconus post diaconatum fornicatus, a diaconatu quidem eiicietur: in laicorum autem locum extrusus a communione non arcebitur: quoniam antiquus est canon, ut qui a gradu exciderunt, hoc solo punitionis modo puniantur.

Si comparas hunc canonem cum seq. XLIV ubi Diaconissis utpote consecratis, nullus amplius usus carnalis permittitur, idcirco neque usus coniugalis, evidens erit Diaconis multo magis eum vetitum fuisse. Quapropter fornicationis nomine quilibet carnalis usus etiam coniugalis, qui illicitus Diaconis est, intelligitur a Basilio.

Canon IV. Trigamorum et polygamorum eumdem canonem definierunt, quem in digamis, proportione servata: annum enim in digamis, alii vero duos statuunt; trigamos autem saepe tribus et quatuor annis segregant. Trigamiam autem non amplius coniugium sed polygamiam appellant, vel potius coarctatam fornicationem....

Consuetudine autem accepimus in trigamis quinquennii segregationem, non a canonibus sed ex consecutione eorum quae antea accepta fuerunt. Oportet autem eos non omnino arcere ab Ecclesia sed admittere inter audientes duobus vel tribus annis et postea recipere inter consistentes, ad boni tamen communionem non admittere: et sic postquam poenitentiae fructum aliquem ostenderint, communionis loco restituere.

Canon VI. Τῶν κανονικῶν fornicatio pro matrimonio non reputetur, sed eorum coniunctio omnino divellatur.

De feminis tantum sermonem esse et canonicas seu sacras virgines intelligi contendunt Maurini editores, quos vide. Cf. can. eiusdem XIX.

Canon IX. Aeque viris et mulieribus convenit secundum sententiae consecutionem, quod a Domino pronuntiatum est, non licere a matrimonio discedere nisi ob fornicationem.

Canon XII. Canon omnino digamos a ministerio exclusit.

Canon XVIII. De lapsis virginibus, quae vitam castam professae Domino, deinde carnis libidinibus victae pacta sua irrita faciunt, patres nostri, cum simpliciter ac leniter se ad eorum, qui labuntur, infirmitatem accommodarent, censuerunt ipsas post annum admitti posse, de illis ad similitudinem digamorum diiudicantes. Verum mihi quidem videtur, quoniam Dei dono progrediens Ecclesia fit fortior ac nunc multiplicatur ordo virginum, diligenter considerandum esse et rem ipsam, prout consideranti manifesta est, et scripturae sententiam, quae ex consecutione inveniri potest. Viduitas enim virginitate inferior: ergo et viduarum delictum longe minus quam virginum. Videamus ergo quid ad Timotheum a Paulo scriptum sit I. Tim. V, II. ... Itaque si vidua iudicio subiicitur gravissimo ut quae fidem in Christum irritam fecerit, quid nobis putandum de virgine, quae sponsa est Christi et sacrum vas Domino dedicatum? Magnum quidem est peccatum vel ancillam clandestinis matrimoniis sese dantem stupris domum implere et deteriore vita iniuriam possessori facere: longe autem gravius est sponsam fieri adulteram ac suae cum sponso coniunctioni dedecus ferentem impudicis voluptatibus se dedere. Proinde vidua quidem ut corrupta ancilla condemnatur, virgo vero adulterae iudicio subiicitur. Quemadmodum ergo eum, qui cum aliena est uxore, adulterum nominamus non prius admittentes ad communionem quam a peccato cessaverit, ita profecto et de eo, qui virginem habet, statuemus. Illud autem in antecessum statuere nobis necesse est, virginem vocari, quae se sua sponte obtulit Domino ac nuptiis abrenuntiavit et sanctimoniae institutum amplexa est. Professiones autem ab eo tempore admittimus quo aetas rationis complementum habuerit... quae supra

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sexdecim vel septemdecim annos nata, ratiocinationum suarum arbitra, diu examinata et probata deinceps perseveraverit et ut admittatur constanter rogaverit, tum demum inter virgines referenda eiusque rata habenda professio ac illius violatio inexorabiliter punienda.

Habes claram definitionem virginis professae. Sententiam suam Basilius de harum virginum fornicatione proponit, satis indicans nondum eam in Ecclesia graeca usu receptam esse; violatione vero pacti, quem adulterium vocat, comprehendere Basilium etiam coniugium tentatum, ex universalibus formulis, quibus utitur, probabilissimum saltem mihi videtur.

Canon XIX. Virorum autem professionem non novimus, praeterquam si qui se ipsi monachorum ordini adscripserint, qui quidem tacite vitam caelibem videntur suscepisse. Verumtamen in illis quoque illud opinor praemitti oportere ut ipsi interrogentur accipiaturque eorum professio clara et perspicua, ut cum se ad libidinosam et voluptuariam vitam converterint, eorum, qui fornicantur, punitioni subiiciantur.

Professionem prorsus liberam iis, qui ea teneantur, vult hoc et praeced. cn. Basilius. Cf. inf. cn. XLIX Conc. Toletani 4. an. 633.

Quaeri potest quid sibi velit Basilius inquiens graecos non nosse professionem virorum, cum viros monachos noverit, eosque eadem lege teneri ac virgines professas, cum labuntur, velit cn. LX. Discrimen scilicet in eo erat quod virgines statum sanctimonialem amplectentes apud Episcopum profitebantur et ab eo quodam sacro ritu consecrabantur. Sed pro viris non usurpabatur, qui se ipsos monachorum ordini adscribentes eo ipso tacite vitam caelibem videbantur suscepisse, ut heic dicitur.

Canon XXI. Si vir una cum uxore habitans, postea matrimonio non contentus in fornicationem inciderit, fornicatorem eum iudicamus ipsumque longius producimus in impositis poenis: sed tamen canonem non habemus, qui eum adulterii crimini subiiciat *(puniens scilicet poena adulteri)*, si in solutam a matrimonio peccatum commissum sit, propterea quod qui fornicatus est non excluditur quominus cum uxore habitet. Quare uxor quidem a fornicatione revertentem virum suum excipiet; vir vero pollutam e suis aedibus eiiciet. Atque horum quidem ratio non facilis, sed consuetudo sic invaluit.

Cf. ex epist. Innocentii I ad Exuperium decr. IV.

Canon XXII. Qui ex rapto mulieres habent siquidem aliis iam desponsatas abripuerint, ante admittendi non sunt, quam ab eis ablatae sint et eorum, quibus ab initio desponsatae erant, potestati redditae, utrum eas velint accipere aut desistere. Si qui autem vacantem acceperit, auferre quidem oportet suisque restituere et ipsorum

voluntati permittere... et si ei (*raptori scilicet*) tradere velint, oportet matrimonium constituere, sin autem retinuerint, nequaquam vim inferre.

Cf. cn. XI, Conc. Ancyrani.

Canon XXIII. De iis autem, qui duas sorores uxores ducunt, vel de eis, quae duobus fratribus nubunt, a nobis edita est epistola, cuius exemplar misimus tuae pietati. Qui autem sui fratris uxorem acceperit, non prius admittatur quam ab ea recesserit.

Epistolam ad quam provocat, est CLX (al. 197) ad Diodorum. Ibi proposita quaestione an viro liceat mortuae uxoris sororem in matrimonium ducere, quod iam Basilius initio sui episcopatus prohibuerat, sententiam suam negantem defendit. Cuius defensionis primum argumentum est: *Primum quod in eiusmodi rebus maximum est, morem nostrum obiicere possumus ut vim legis habentem, eo quod nobis a viris sanctis traditae sunt regulae. Mos autem ille est huiusmodi, ut si quis impuritatis vitio, aliquando victus in illicitam duarum sororum coniunctionem inciderit, neque id matrimonium existimetur, neque omnino in ecclesiae coetum admittantur priusquam a se invicem separentur.* Cf. can. II. Conc. Neocesariensis.

Canon XXV. Qui a se stupratam pro uxore detinet, stupri quidem poenam subibit, sed ei licebit eam uxorem habere.

Canon XXXI. Cuius vir discessit nec comparet, ea antequam de eius morte certior facta sit una cum alio habitans moechatur.

Canon XXXV. In marito ab uxore derelicto consideranda derelictionis causa: ac si eam praeter rationem secessisse constiterit, ille quidam dignus venia, haec vero multa. Venia autem ei (*marito*) ut ecclesiae communicet, dabitur.

Canon XXXVI. Militum uxores, quae maritis suis non comparentibus, nupserunt, rationi eidem subiiciuntur, cui et illae, quae ob peregrinationem maritorum, reditum non expectaverunt (c. XXXI); sed tamen res nonnullam heic veniam admittit (*quoad poenitentiam imponendam*); quod maior sit mortis suspicio.

Canon XXXVIII. Puellae, quae praeter patris sententiam secutae sunt, fornicantur (*cf. can. seq. XL*). Reconciliatis autem parentibus videtur res remedium accipere. Non tamen statim in communionem restituuntur sed triennio punientur.

Canon XL. Quae praeter heri sententiam se viro tradit, fornicata est; quae vero postea matrimonio libero usa est, nupsit. Nam pacta eorum, qui sunt in alterius potestate, nihil habent firmi.

Cum coniugium sit ex iure naturae, hoc et praecedens et sequens praescriptum quoad valorem coniugii non recepit Ecclesia, nec pro quolibet casu quoad honestatem.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Canon XLII. Matrimonia sine iis, qui potestatem habent, fornicationes sunt. Neque ergo vivente patre neque hero, qui conveniunt extra reprehensionem sunt: quemadmodum si annuant cohabitationi, quos penes huius rei est arbitrium, tunc firmitatem coniugii accipit cohabitatio.

Canon XLIV. Nos Diaconissae corpus, utpote consecratum, non amplius permittimus iu usu esse carnali.

Canon XLVIII. Quae a marito relicta est, mea quidem sententia, manere debet. Si enim Dominus dixit: si quis relinquat uxorem, excepta fornicationis causa, facit eam moechari, ex eo quod eam adulteram vocet, praeclusit ei coniunctionem cum alio. Quomodo enim posset vir quidem esse reus ut causa adulterii, mulier vero inculpata, quae adultera a Domino ob coniunctionem cum alio appellata est?

Cf. pag. 178.

Canon L. Trigamiae lex (*poenitentialis*) non est. Quare lege matrimonium tertium non contrahitur. At talia quidem ut ecclesiae inquinamenta habemus: sed condemnationibus publicis non subiicimus, tanquam soluta fornicatione magis eligenda.

Canon LX. Quae virginitatem professa, a suo proposito lapsa est, peccati adulterii tempus in continentiae praescripto complebit: Idem et in iis, qui vitam monasticam professi sunt et labuntur.

Canon LXXV. Qui cum sua ex patre vel matre sorore pollutus est, (*filia scilicet novercae vel vitrici*) in domum orationis ne permittatur accedere donec ab iniqua et nefaria actione desistat. Postquam autem in horrendi peccati sensum et animadversionem venerit, triennio fleat etc.

Inter te et filiam novercae tuae non est affinitas primi generis, sed alterius; hoc tamen coniugium nullum esse Basilius censebat.

Canon LXXVI. Eadem est ratio eorum quoque, qui suos nurus accipiunt.

Illicitae censentur a Basilio nuptiae cum nuru ratione affinitatis. Cf. legem Diocletiani recitatam ad cn. LXI. Illiber.

Canon LXXVII. Qui relinquit legitime sibi copulatam mulierem et aliam ducit, ex Domini sententia adulterii subiicitur iudicio. Sed statutum est Patrum nostrorum canonibus, ut ii anno fleant, biennio audiant, triennio substernantur, septimo consistant cum fidelibus et ita oblatione digni habeantur, si cum lacrimis poenitentiam egerint.

Canon LXXVIII. Eadem autem forma observetur et in eos, qui sorores duas in matrimonium ducunt, etsi diversis temporibus.

Cf. cn. XXIII.

Canon LXXIX. Qui autem in suas novercas insaniunt, sunt eidem canoni obnoxii, cui et ii, qui insaniunt in suas sorores.

Canon LXXX. Polygamiam Patres silentio (*in suis canonibus poenitentialibus*) praetermisere, ut belluinam prorsusque ab hominum genere alienam. Ea autem notio videtur peccatum esse fornicatione maius. Quapropter consentaneum est eos subiici canonibus, ut scilicet postquam anno fleverint et tribus substrati fuerint, sic suscipiantur.

Cf. cann. L et IV ex istis Basilii ac pag. 101 seqq.

EX CONC. CAESARAUGUSTANO

IN HISPANIA AN. 380.

Canon VIII. Non velandae sunt virgines, quae se Deo voverint, nisi 40 annorum probata aetate, quam sacerdos comprobaverit.

EX RESPONSIS TIMOTHEI EPISCOPI ALEXANDRINI

AN. 380-385.

Ex priore serie. Interrogatio XI. Si quis clericum vocaverit ut matrimonio coniungat, audiat autem esse illicitum matrimonium utpote vel amitae coniugium vel defunctae uxoris sororem eam esse quae est matrimonio coniungenda, debet ne sequi clericus vel facere oblationem?

Responsio. Uno verbo dicite: si audiverit clericus illicitum matrimonium et legibus contrarium, non debet clericus alienis peccatis communicare.

Interrogatio XV. Si alicuius uxor spiritu corripitur ut ferreos etiam compedes et manicas gestet (opus scilicet sit eam ita cohibere), vir autem dicat: non possum continere et volo accipere aliam, debet ne aliam accipere, annon?

Responsio. In hac quidem re adulterium intercedit, nec invenio quid de ea re respondeam: secundum sententiam tamen spiritalem non debet.

Responsio est (ait heic Balsamon) se nihil posse dicere; est enim adulterium si constante matrimonio vir aliam mulierem ducat in uxorem. Verum quaestio erat an posset vir solvere coniugium prius. Respondet Timotheus quod secundum sententiam spiritalem non debet.

Ex altera serie. Interrogatio XXII. Quidam cum in clerum recepti fuerint, defunctis eorum uxoribus, ducunt alios, alii quidem virgines, alii viduas, alii autem etiam abiectas. Oportet ne eos recipere ad liturgiam, necne?

Responsio. Istos homines canon non admittit, sed omnino reprobat.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

EX RESPONSIS THEOPHILI EPISCOPI ALEXANDRINI

AN. 385-412.

Ex eius commonitorio ad Ammonem (apud Balsamon).

Canon IV. De Panuph. qui in Lyco diaconus constitutus est, quaerere oportet: et si is quidem inventus fuerit, cum esset catechumenus, fratris sui filiam in uxorem accepisse, post baptismum in clerum promotus, in clero maneat, si illa dormierit et post baptismum cum ea rem non habuerit. Sin autem cum esset fidelis, eandem fratris sui filiam duxit uxorem, sit a clero alienus.

Leges irritantes nuptias christianis non obligant eos, qui non sunt baptizati.

Ex eiusdem rescripto ad Agathonem Episcopum (ibid.).

Maximus asseruit se Ecclesiae leges ignorantem illicito matrimonio coniunctum esse et quia aegre fert se praeter ordinem egisse, promisit quoniam ignorans in legem peccavit, se ab illicita vitae societate ex consensu abstenturum, illa etiam hoc probante. Si ergo inveneris quod hoc ex consensu faciant et non fallant, quia est tempus decennale, si consideres eos debere versari cum catechumenis, nunc eos sic dispensa. οὕτω διοίκησον *sic circa eos statue...*

Tempus decennale ait Balsamon tempus esse quo in coniugio ambo vixerunt, unde suspicio Theophilo an vere coniuncti fuerint tamdiu bona fide, an potius fallerent id affirmantes. Porro poenitentiam imponendam permittit Theophilus arbitrio Episcopi; non permittit autem eos manere in coniugio.

EX EPISTOLA DECRETALI SIRICII

AD HIMERIUM TARRACONENSEM. AN. 384.

Decretum IV. De coniugali autem violatione requisisti, si desponsatam alii puellam alter in matrimonium possit accipere. Hoc ne fiat omnibus modis inhibemus: quia illa benedictio, quam nupturae sacerdos imponit, apud fideles cuiusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur.

Sponsalia quoque benedictione sacerdotali sanctificabantur, quam violare nefas censebant fideles. Etsi haec de sponsalibus dicantur, mediate tamen persuasionem fidelium de sanctitate quoque nuptiarum ostendunt, quorum praeparatio sunt sponsalia. Ideo haec verba citavimus pag. 55.

Decretum IV. Monachorum quosdam atque monacharum, abiecto proposito sanctitatis, in tantam protestaris demersos esse lasciviam,

ut prius clanculo.... illicita ac sacrilega se contagione miscuerint, postea vero de illicitis complexibus libere filios procrearint, quod et publicae leges et ecclesiastica iura condemnant. Has ergo impudicas detestabilesque personas a monasteriorum coetu ecclesiarumque conventibus eliminandas esse mandamus, quatenus retrusae in suis ergastulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio possint poenitudinis igne decoquere, ut eis vel ad mortem saltem solius misericordiae intuitu, per communionis gratiam, possit indulgentia subvenire.

Si perpendas poenitentibus in statu poenitentiae illicitum quoque fuisse usum coniugii, cum perpetua poenitentia his monachis praescribatur, facile liquet ita ecclesiastica iura prohibere huiusmodi connubia, ut non permittant unquam, e mente Siricii, usum harum sacrilegarum nuptiarum. Id videri possit aequivalere irritationi huiusmodi nuptiarum: quamvis hanc sententiam diserte heic non tradi fateamur. Cf. seq. decretum Innocentii I. ad Victricium de hac re, et can. s. c. VI et XVIII. Basilii.

Decretum VI. De his... qui acta poenitentia (*publica scilicet propter graviora crimina*) tanquam canes ac sues ad vomitus pristinos et volutabra redeuntes, et militiae cingulum et lubricas voluptates et nova coniugia et inhibitos denuo appetivere concubitus... quia iam suffugium non habent poenitendi (*cf. quae diximus in Tract. de Poenit. Th. IX*), id duximus decernendum ut sola intra ecclesiam fidelibus oratione iungantur. etc.

Cernis poenitentiam publice actam impedivisse ne coniugium postea licite contraheretur. Cf. quae dicimus ad responsum VI Leonis ad Rusticum inf. c.

Decretum VII. Plurimos sacerdotes Christi atque levitas, post longa consecrationis suae tempora tam de coniugibus propriis (*acceptis ante consecrationem*) quam etiam de turpi coitu sobolem didicimus procreasse et crimen suum hac praescriptione defendere, quod in V. T. sacerdotibus ac ministris generandi facultas legitur attributa... Dominus Iesus... ecclesiam, cuius sponsus est speciosus forma, castitatis voluit splendore radiare... Sacerdotes omnes atque levitae indissolubili lege constringimur ut a die ordinationis nostrae sobrietati et pudicitiae et corda nostra mancipemus et corpora... Et quia aliquanti... ignoratione lapsos se esse deflent, his hac conditione misericordiam dicimus non negandam ut sine ullo honoris augmento in hoc, quo detecti sunt, quamdiu vixerint, officio perseverent, si tamen post haec continentes se studuerint exhibere. Hi vero, qui illiciti privilegii excusatione nituntur... noverint se ab omni ecclestiastico honore, quo indigne usi sunt, apostolicae sedis auctoritate, deiectos.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Hoc decretum rursus inculcat Innocentius I. epist. ad Exuperium. Heic *legem indissolubilem* affirmat Siricius de ecclesiastico caelibatu, non ipse recentem condit, sed iam exsistentem urget eiusque observationem apostolica suae sedis auctoritate praescribit in Hispania. Cum vero neque ex ignorantia peccantibus permittat Pontifex usum mulierum quas in coniuges acceperant (coniugium, inquam, illi intendebant: neque enim fornicationem voluissent defendere auctoritate V. T.) patet e sententia Siricii plusquam illicitum esse Sacerdotibus coniugium.

Decretum VIII. Reprobat digamos ad diaconatum et Sacerdotium evectos.

Decretum XI. Quisquis clericus (*nondum ad diaconatum evectus*) aut viduam aut certe secundam coniugem duxerit, omni ecclesiasticae dignitatis privilegio mox nudetur, laica sibi tantum communione concessa.

EX EPISTOLA SYNODICA EIUSDEM

AD EPISCOPOS AFRICANOS AN. 386.

Decretum IV. Ut mulierem viduam clericus non ducat uxorem.

Decretum V. Ut is, qui laicus viduam duxerit, non admittatur ad clerum.

Decretum IX. Quod dignum et pudicum et honestum est suademus, ut sacerdotes et levitae cum uxoribus suis non coeant, quia in ministerio positi quotidianis necessitatibus occupantur.

Cur heic suadet Siricius quod alibi (v. s.) iubet? an *suademus* perinde est ac *iubemus* cum condimento suavitatis? an quia in Africa nulla hac in re erat manifesta praevaricatio vehementiori imperandi formula opus non erat, sed potius hortatione ut in suscepta disciplina permanerent? Cf. seq. Decretum IX Innocentii ad Victricium.

EX EPISTOLA SYNODICA EIUSDEM

AD ECCLESIAM MEDIOLANENSEM AN. 390.

Nos sane nuptias non aspernantes accipimus, quibus velamine intersumus: sed virgines, quas nuptiae creant, Deo devotas maiore honorificentia veneramur. Facto ergo presbyterio constitit doctrinae nostrae idest christianae legi esse contraria (Iioviniani doctrina aequans nuptias virginitati).

EX EPISTOLA SYNODICA EIUSDEM

AD GALLOS.

Decretum I. Si virgo velata iam Christo, quae integritatem publico testimonio professa a sacerdote prece fusa benedictionis velamen accepit, sive incestum commiserit furtim seu volens crimen protegere adultero mariti nomen imposuerit, tollens membra Christi faciens membra meritricis, ut quae coniux Christi fuerat coniux hominis diceretur, in huiusmodi muliere quot sunt causae, tot reatus, integritatis propositum mutatum, velamen amissum, fides prima depravata atque in irritum devocata. Quali hic et quanta satisfactione opus est? Quam magna poenitentia eius, quae interitum carnis incurrit?...

Decretum II. Puella, quae nondum velata est, sed proposuerat sic manere, licet non sit in Christo velata, tamen quia proposuit et in coniugio velata non est (*an.* velata est?), furtivae nuptiae appellantur (*vide discrimen a priori: ibi adulterium est, heic tantum furtivae nuptiae*) ex eo quod matrimonii caelestis praeceptum non servaverit, amore properante ad libidinis caecitatem. Et his agendae poenitentiae tempus constituendum est.

Decretum XII. De eo, qui sororem uxoris suae duxerit uxorem, in lege V. T. scriptum est ad suscitandum semen defuncti fratris oportere ducere uxorem.... Sed nunc hoc non patitur fieri Testamentum, ubi amplius de integritate tractatur et castitas Christo docente laudatur.

Cf. can. II Neocaesariense et LXI Illiberitanum.

Decretum XIV. Item de eo, qui avunculi sui uxorem duxerit. Avunculi filiam ducere non licet, quoniam similis causa generando per gradus patris extranei separatur atque purgatur: retro autem redire fas non est. Nam qui torum patris vel matris violare praesumpserit, non hoc coniugium sed fornicatio nominatur.

Patet intuenti priora verba, quae titulum decreti exhibent, non cohaerere cum Decreto. Titulus loquitur de uxore avunculi, decretum de filia avunculi. Ea priora verba fuisse loco suo mota et huc perperam inserta suspicatur Petrus Coustant: eodem iure posset quis suspicari excidisse voculam unam ut integer titulus fuerit de eo qui avunculi sui filiam uxorem duxerit. Verum ratio, quam affert Siricius sui decreti, licet in quibusdam paululum obscura, mihi persuadet mendum irrepsisse in sequentibus verbis et legendum esse: *avunculi uxorem ducere non licet.* Nam huc tandem ratio redit quod nefas sit retro redire h. e. coniungi progenitoribus aut iis, qui loco parentum sunt, cuiusmodi sunt patruus, avunculus eorumque uxores. Et quidem ex hoc capite argumentatur Siricius, ratione analoga, quia nempe nefas est violare torum patris vel matris. Non dubito ergo legere: Avunculi uxorem (h. e. eam quae fuit uxor avunculi nunc defuncti) ducere (in matrimonium) non licet: sed aequis lectoribus iudicium sit.

Huiusmodi coniugium propter affinitatem vetitum, non extat diserte expressum in lege s. c. Diocletiani.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

EX CONCILIO CARTHAGINIENSI

AN. 390.

Canon II. Decet sacrosanctos antistites et Dei sacerdotes nec non et levitas vel qui sacramentis divinis inserviunt (*quibus subdiaconi comprehenduntur, si altari ministrent cf. cn. Illiber. XXXIII et decret. III. Leonis ad Rusticum inf. c.*) continentes esse in omnibus... ut quod apostoli docuerunt et ipsa servavit antiquitas nos quoque custodiamus.

En caelibatus lex asserta antiqua et ex origine apostolica.

EX CONCILIO TAURINENSI

AN. 401.

Canon VIII. Hi qui contra interdictum sunt ordinati vel in ministerio filios genuerunt, ne ad maiores gradus ordinum permittantur, synodi decrevit auctoritas.

Nihil heic de separatione a feminis dicitur, quibuscum in ministerio positi commixti sunt: probabiliter quia de unione fornicaria, non autem vel specie tenus coniugali sermo erat.

EX CONCILIO HIPPONENSI

AN. 393.

Canon XII. Placuit ut filii vel filiae episcoporum vel quorumlibet clericorum, gentibus vel haereticis aut schismaticis matrimonio non iungantur.

Canon XVIII. Placuit ut lectores, cum ad annos pubertatis venerint, cogantur aut uxores ducere aut continentiam profiteri.

Id non per se sed ad removendum periculum, quod tunc merito timebatur, incontinentiae statutum esse intelligitur.

EX CONCILIO CARTHAGINIENSI

AN. 398.

Canon XIII. Sponsus et sponsa cum benedicendi sunt a sacerdote, a parentibus suis vel paranymphis offerantur. Qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte, pro reverentia ipsius benedictionis, in virginitate permanebunt.

Cf. cn. I. Laodicenum. Matrimonium scilicet publice in facie Ecclesiae contrahendum esse supponitur.

Canon CIV. Si quae viduae, quantumlibet adhuc in minoribus annis positae et matura aetate a viro relictae, se devoverunt Domino et veste laicali abiecta, sub testimonio episcopi et ecclesiae religioso habitu apparuerunt, postea vero ad nuptias seculares transierunt, secundum apostolum damnationem habebunt; quoniam fidem castitatis, quam Domino voverunt, irritam facere ausae sunt. Tales ergo personae sine christianorum communione maneant, quae etiam nec in conviviis cum christianis communicent. Nam si adulterae coniuges reatu sunt viris suis obnoxiae, quanto magis viduae, quae religiositatem mutaverunt, crimine adulterii notabuntur, si devotionem, quam Deo sponte non coacte obtulerunt, libidinosa corruperint voluptate atque ad secundas nuptias transitum fecerint? quae etsi violentia irruente ab aliquo praereptae fuerint ac postea delectatione carnis atque libidinis, permanere in coniugio raptori vel violento viro consenserint, damnationi superius comprehensae tenebuntur obnoxiae.

Si viduae religiosae, quae ad nuptias seculares transeunt, adulterae censentur, patet quid de valore huiusmodi matrimonii censerent hi Patres. Attamen hic canon, qui dicitur editus praesente Augustino, non satis congruit cum eius opinione. Cf. pag. 240.

An canon suppositus imo et supposita Synodus, quae varie appellatur? Penes quosdam titulus est e. g. *statuta Orientalium*. At canones de modo conferendi ordines, quos in hac Synodo habes, ab omnibus recipiuntur. Item canon de poenitentia infirmorum 76 aliique. Forte canon ille citatus recentior est Augustino, ad aliud spectans Concilium.

EX CONC. CARTHAGINIENSI

SUB AURELIO AN. 401

Tum haec tum praecedens synodus sub Anastasio R. P. habitae sunt. Epocha incerta, ait Pagi ad an. 398. Schelstrate assignat an. 400, quia hoc anno nullum aliud apparet concilium. Sed cf. Ballerini l. c.

Canon III. Placuit episcopos et presbyteros et diaconos secundum priora (*al.* propria) statuta, etiam ab uxoribus continere. Quod nisi fecerint, ab ecclesiastico removeantur officio. Ceteros autem clericos ad hoc non cogi, sed secundum uniuscuiusque ecclesiae consuetudinem observari debere.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

EX CONCILIO TOLETANO

AN. 400

Canon I. Placuit ut diaconi, si vel integri vel casti sint, et continentis vitae, etiamsi uxores habeant, in ministerio constituantur: ita tamen, ut si qui etiam ante interdictum, quod per lusitanos episcopos constitutum est, incontinenter cum uxoribus suis vixerint, presbyterii honore non cumulentur. Si quis vero ex presbyteris ante interdictum filios susceperit de presbyterio ad episcopatum non permittatur (*al.* admittatur).

Interdictum Episcoporum lusitanorum interpretantur quidam *praeceptum coelibatus:* sed hoc praeceptum iam latum fuerat a Patribus Illiberitanis cn. XXIII s. c. libentius intelligerem legem quamdam poenalem, quae speciales poenas statueret in huiusmodi criminosos. Quia vero lex iam exstabat prohibens haec coniugia, hinc Patres Toletani eos quoque, qui ante illud interdictum incontinentes fuerint, poenae subiiciunt, qua ad altiorem gradum promoveri diaconi et presbyteri prohibentur. Vides heic rem mitius agi: diaconi et presbyteri incontinentes non deponuntur: sui tamen officii admonentur ea poena: ut Ecclesia in suis synodis nunquam cessaverit a lege continentiae in ordine sacro constitutis inculcanda, non tamen semper olim eodem modo seu eadem severitate. Cf. dicta ad cn. c. Illiber. At Patres Toletani non permittunt his praesbyteris et diaconis coactis in suo gradu manere usum mulierum, qua de re utique silent, sed non est verisimile eos ignorasse aut insuper habuisse decretum Siricii s. c.

Canon III. Lector fidelis, si viduam alterius uxorem acceperit, amplius nihil sit, sed semper lector habeatur aut forte subdiaconus.

Canon IV. Subdiaconus, defuncta uxore, si aliam duxerit, ab officio, in quo ordinatus fuerat removeatur et habeatur inter ostiarios vel inter lectores ita ut (tamen) evangelium et apostolum non legat... (*quorum lectio tunc temporis lectoribus competebat*) Qui vero tertiam, quod nec dicendum aut audiendum est, acceperit, abstentus biennio, postea inter laicos, reconciliatus per poenitentiam, communicet.

Canon VII. Placuit ut si quorumcumque clericorum uxores peccaverint, ne forte licentiam peccandi plus habeant, accipiant mariti earum hanc potestatem, praeter necem, custodiendi et ligandi in domo sua, ad ieïunia salutaria non mortifera cogentes... Cum uxoribus autem ipsis, quae peccaverint, nec cibum sumant, nisi forte ad timorem Dei, acta poenitentia, revertantur.

Cf. can. Con. Illiber. LXV et cn. VIII. Conc. Neocaesar.

Canon XVI Devotam peccantem non recipiendam in ecclesiam

nisi peccare desierit et desinens egerit aptam poenitentiam decem annis recipiat communionem... Quae autem maritum acceperit, non admittatur ad poenitentiam nisi, adhuc vivente ipso viro, casta vivere ceperit, aut postquam ipse decesserit.

Cf. decr. IV. Siricii ad Himerium, cf. cn. CIV. Conc. Carthag. an. 398, et decret. XII Innocentii I. ad Victricium. Heic tamen satis clare edicitur nullitas huiusmodi coniugiorum.

Canon XVII. Si quis habens uxorem fidelem, si concubinam habeat, non communicet. Ceterum qui non habet uxorem et pro uxore concubinam habet, a communione non repellatur: tantum ut unius mulieris aut uxoris aut concubinae (*ut ei placuerit*) sit coniunctione contentus. Alias vero vivens abiiciatur donec desinat et per poenitentiam revertatur.

Concubina heic est sensu honestiore accipienda, vera uxor scilicet, licet minus digno loco habita. Cf. can. XV. Conventus Moguntini an. 851 inf. et pag. 122 seqq.

Canon XVIII. Si qua vidua episcopi sive presbyteri aut diaconi maritum acceperit, nullus clericus, nulla religiosa cum ea convivium sumat, nunquam communicet: morienti tantum ei sacramentum subveniat.

Heic primo apparet prohibitio coniugii facta relictae uxori episcopi, presbyteri, diaconi, post eorum scilicet mortem: quod coniugium nullum esse clarius deinde significavit Ecclesia. Cf. can. I et II Con. Rom. sub Gregorio II. an. 721.

Canon XIX. Episcopi sive presbyteri sive diaconi filia, si Deo devota fuerit et peccaverit et maritum duxerit, si eam pater vel mater in affectum receperint, a communione habeantur alieni... Mulier vero non admittatur ad communionem, nisi marito defuncto egerit poenitentiam. Si autem vivente eo secesserit et poenituerit vel petierit communionem, in ultimo vitae deficiens accipiat communionem.

Duo praescribuntur: 1° Deo devota nuptias contrahens non admittatur ad communionem nisi vel, marito defuncto, poenitentiam egerit vel, eo vivente, se separaverit et poenitentiam rursus egerit cf. cn. XVI praeced. 2° Si haec devota est filia episcopi sive presbyteri sive diaconi, hique eam nuptam in affectum recipiant, excommunicentur, utpote qui tantum facinus probare videantur eiusque infamiae participare.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

EX EPISTOLA DECRETALI INNOCENTII I.

AD VICTRICIUM EPISC. ROTHOMAGENSEM. AN. 404.

Decretum VI. Ne is, qui secundam duxit uxorem, clericus fiat; quia scriptum est unius uxoris virum... Ac ne ab aliquibus existimetur, ante baptismum si forte quis accepit uxorem et ea de seculo recedente alteram duxerit, in baptismo esse dimissum, satis errat a regula; quia in baptismo peccata dimittuntur, non acceptarum uxorum numerus aboletur...

Ita impositus est finis quaestioni, in qua pro opposita sententia acriter pugnavit Hieronymus (cf. eius epist. LXIX ad Oceanum); qui et interrogabat: « quomodo in lavacro, omnia peccata merguntur, si una uxor (quae ante baptismum accepta fuerat) supernatat? » Habes ex Innocentio huic interrogationi responsum.

Decretum IX. Quod dignum et pudicum et honestum est tenere Ecclesia omnino debet ut sacerdotes et levitae cum uxoribus suis non coeant, quia ministerii quotidiani necessitatibus occupantur.

Cf. cn. II. Con. Carthag. an. 390. De solo usu coniugii antea contracti loquitur Pontifex. Legem suavi modo proponit, at satis constat indignum impendium inhonestum esse, si Sacerdos aut Levita matrimonio prius inito utatur: idcirco id prorsus esse illicitum: ideoque dicitur quod Ecclesia *debet* id tenere. Cf. cn. IX. Siricii ex eius epist. ad Africanos XII.

Decretum XII. Quae Christo spiritaliter nupserunt et velari a sacerdote meruerunt si postea vel publice nupserint vel se clanculo corruperint, non eas admittendas esse ad agendam poenitentiam, nisi is, cui se iunxerant, de seculo recesserit. Si enim de omnibus haec ratio custoditur, ut quaecumque, vivente viro, alteri nupserit, habeatur adultera, nec ei agendae poenitentiae licentia concedatur, nisi unus ex eis fuerit defunctus, quanto et illa magis tenenda est, quae ante immortali se sponso coniunxerat et postea ad humanas nuptias transmigravit?

Cf. Siricii decreti ex epist. 10 cn. XVI. Conc. Toletani, cn. 11. Concilii Valentini, cn. VI, XVIII. XL. Basilii s. c.

Satis aperte heic suam sententiam prodit Innocentius has nuptias nullas esse. Quod clarius liquet comparatione instituta cum eo, quod cn. seq. statuit de virgine quae proposuit quidem servare virginitatem, non tamen votum suscepit. Hanc, imposita aliqua poenitentia, manere coniugio permittit.

Decretum XIII. Hae vero, quae nec dum sacro velamine tectae, tamen in proposito virginali semper manere promiserant, licet velatae non sint, si forte nupserint, his agenda aliquanto tempore

poenitentia est, quia sponsio earum a Deo tenebatur. Nam si inter homines solet bonae fidei contractus nulla ratione dissolvi, quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigerit virgo, solvi sine vindicta non debet?

Habes votum simplex castitatis impedimentum esse illicitas efficiens nuptias.

EX EPISTOLA EIUSDEM DECRETALI

AD EXUPERIUM EPISC. TOLOSANUM. AN. 405.

Decretum IV. Et illud desideratum est sciri, cur communicantes viri cum adulteris uxoribus non conveniant, cum contra uxores in consortio adulterorum virorum manere videantur. Super hoc christiana religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat. Sed viros suos mulieres non facile de adulterio accusant et non habent latentia peccata vindictam: viri autem liberius uxores adulteras apud sacerdotes deferre consueverunt. Et ideo mulieribus, prodito earum crimine, communio denegatur: virorum autem latente commisso, non facile quisquam ex suspicionibus abstinetur. Qui utique submovebitur, si eius flagitium detegatur.

Decretum VI. De his etiam requisivit dilectio tua, qui, interveniente repudio, alii se matrimonio copularunt. Quos in utraque parte adulteros esse manifestum est. Qui vero vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse coniugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri, in tantum ut etiam hae personae, quibus tales coniuncti sunt, etiam ipsae adulterium commisisse videantur, secundum illud quod legimus in Evangelio: qui dimiserit uxorem suam et duxerit aliam, moechatur, similiter et qui dimissam duxerit, moechatur.

Repudium certis ex causis permittebant Romanae leges ab Imperatoribus etiam Christianis latae ita ut vinculum coniugii solveretur, aliasque nuptias, priore superstite coniuge, inire liceret. Ita Constantinus (in Cod. Theod. L. III. Tit. 16. Leg. 1.) ac Theodosius et Valentinianus (Cod. Lib.V. Tit. 17. l. 8.) aeque Iustinianus tum ibid. tum Novella 117. cc. 8. 9. At has leges iuri christiano oppositas Ecclesia reiecit. Quocirca interveniente repudio dissociatum videri coniugium ait Innocentius, quia ius Romanum dissolutionem vinculi probat, at negat idem Pontifex vinculum esse solutum, cum affirmat adulteros esse huiusmodi coniuges si aliis coniungantur.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

EX EPISTOLA EIUSDEM

AD PROBUM.

Statuimus, fide catholica suffragante, illud esse coniugium, quod primitus erat gratia divina fundatum, conventumque secundae mulieris (*quam quis duxerat eo quod uxor captiva teneretur*) priore superstite, nec divortio eiecta, nullo pacto posse esse legitimum.

Cf. Decretum VI et epist. ad Exuperium.

EX CONCILIO CARTHAGINIENSI SEU AFRICANO

AN. 407.

Cf. Concilium vulgo dictum Africanum, in quo referuntur et confirmantur superiorum Synodorum Canones, ibi a can. LXII incipiunt Canones Concilii habiti anno 407 unde noster canon est octavus. Ita in collect. Conc. Tom. 3ª a pag. 497 seqq. coll. pag. 101 ed. Labbaei et Coleti. Apud Dionysium vero in Codice Canonum Africanorum incipit ista Synodus, de qua loquimur a can. XCV. Huic Synodo canones XII. tribuuntur. Consentiunt his omnibus FF. Ballerinii De Antiqq. Collection. p. II. C. III. §. 6. n. 6.

Canon VIII. Placuit ut secundum evangelicam et apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore neque dimissa a marito alteri coniungatur, sed ita maneant aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint ad poenitentiam redigantur. In qua causa legem imperialem petendam promulgari.

EX CONCILIO ARAUSICANO

AN. 441.

Canon XXVIII. In utroque sexu desertores professae castitatis praevaricatores habendi et his omnibus per poenitentiam legitimam consulendum.

EX CONCILIO HISPANO

CELEBRATO AB EPISCOPIS TARRACONENSIBUS ET CARTHAGINIENSIBUS ET LUSITANIS AC BOETICIS. AN. 445.

Canon XVI. Si quis dixerit vel crediderit coniugia hominum, quae secundum legem divinam licita habentur, execrabilia esse; A. S.

EX EPISTOLA LEONIS

AD TURIBIUM EPISC. ARTURICENSEM 447.

Decretum VII. Septimo loco sequitur quod nuptias damnant (*Priscillianistae*) et procreationem nascentium perhorrescunt: in quo sicut pene in omnibus, cum Manichaeorum profanitate concordant: ideo, sicut ipsorum probant mores, coniugalem copulam detestantur, quia non est illic libertas turpitudinis ubi pudor et matrimonii servatur et sobolis.

EX SYNODO S. PATRICII

IN HIBERNIA AN. CIRC. 450.

Canon XVIII. Virgo quae voverit Deo permanere casta et postea nupserit carnalem sponsum, excommunionis sit, donec convertatur: si conversa fuerit et dimiserit adulterum, poenitentiam agat et postea non in una domo nec in una villa habitent.

Romanae Sedis Decreta (Siricii et Innocentii) sequitur Patricius.

Canon XIX. Mulier christiana, quae acceperit virum honestis nuptiis et postmodum discesserit a primo et iunxerit se adultero, quae haec facit, excommunionis sit.

Canon XXII. Si quis tradiderit filiam suam viro honestis nuptiis et (*haec*) amaverit alium et (*is*) consentit filiae suae et acceperit dotem, ambo ab ecclesia excludantur.

EX ALIA SYNODO EIUSDEM

IN HIBERNIA ANNO INCERTO.

Isti tamen canones haud videntur eruditis authentici. Cf. Dr. Hefele op. cit. Tom. III. L. 12. parag. 209.

Canon XXV. Frater torum defuncti fratris non ascendat, Domino dicente: erunt duo in carne una: ergo uxor fratris tui soror tua est.

Cf. cn. Neocaesar. II.

Canon XXVI. Audi Dominum dicentem: qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur: item adultera lapidetur, id est huic viro moriatur, ut desinat crescere quae non desinit moechari. Item: si adultera fuit mulier, numquid revertitur ad virum suum priorem? Item non licet viro dimittere uxorem nisi ob causam fornicationis; ac si dicat: ob hanc causam (licet): unde si ducat alteram, velut (*m. s.*) vel post mortem prioris, non vetant.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Si τὸ *velut* interpretaris *quemadmodum* facultas sit, perperam quidem, dissolvendi vinculi propter adulterium. Forte aliam interpretationem pateretur lectio haec edita vel lectio ms., verum canon seq. XXVII nimis suadet huius quoque obviam interpretationem. Discedunt isti canones scilicet a communi Ecclesiae doctrina quam refert decretum VI. Innocentii I ad Exuperium, cn. IX Conc. Illiberitani cn. VIII. Conc. Africani s. c. Sed de his canonibus, ut iam monuimus, non oportet nos esse sollicitos.

Canon XXVI. Quod vult pater, faciat virgo (filia *in nuptiis contrahendis*); quia caput mulieris vir (*non satis idonea citatio*) sed requirenda est a patre voluntas virginis, dum Deus reliquit hominem in manu consilii sui.

Canon XXVII. Eadem ratione observanda sunt prima vota et prima coniugia, ut secundis prima non sint irrita, nisi fuerint adulterata.

EX CONCILIO CHALCEDONENSI

AN. 451.

Huius canones suscepti quidem non fuerunt a Leone, hos tamen deinde Dionysius suae collectioni inseruit et Romana Sedes usu probavit.

Canon XIV. Quoniam in quibusdam provinciis concessum est lectoribus et psalmistis uxores ducere, statuit sancta synodus non licere cuipiam ex his accipere sectae alterius uxorem... Sed neque copulari debet nuptura haeretico aut Iudaeo vel pagano, nisi forte persona ortodoxae copulanda promittat se ad ortodoxam fidem transire. Si quis hanc definitionem sanctae synodi transgressus fuerit, correptioni canonicae subiacebit.

Cf. canonem XXXI superius citatum ex Conc. Laodiceno. Coniugium viri orthodoxi cum haeretica et vicissim, ἄκυρον ac dissolvendum declaravit can. XXXII. Synodi Quinisextae an. 692 sed nulla est eiusdem auctoritas.

Canon XV. Si diaconissa suscipiens manus impositionem et aliquantulum temporis in ministerio permanens, semetipsam tradit nuptiis, gratiae Dei contumeliam faciens, anathematizetur huiusmodi cum eo, qui eidem copulatur.

Cf. cn. XLIV. Basilii. Ritus impositionis manus adhibitus in Ecclesia Graeca fuit Diaconissis, ut eius libri rituales produnt: de benedictione Diaconorum penes latinos mentio adhuc fit a Patribus Conc. Aurelianensis 2ⁱ an. 533 eamdem abrogantibus can. XVIII.

Canon XVI. Virginem, quae se Domino Deo consecravit, similiter et monachum non licere nuptialia iura contrahere, quod si hoc inventi fuerint perpetrantes, excommunicentur. Confitentibus autem

decrevimus et habeat auctoritatem eiusdem loci episcopus misericordiam eis humanitatemque largiri.

An misericordia et humanitas episcopi in eo esset ut coniugium certis ex causis permitteret an tantum ut mitiorem imponeret poenitentiam, non satis constat. Videntur Patres Chalcedonenses secuti Basilium (cf. eius cn. VI): ut proinde quemadmodum ipsum interpretati sumus liceat et illos interpretari.

Canon XXVII. Eos qui rapiunt mulieres etiam sub nomine simul habitandi aut cooperantes aut conniventes raptoribus, decrevit sancta synodus, ut si quidem clerici sunt, decidant proprio gradu, si vero laici, excommunicentur.

EX CONCILIO ARELATENSI

AN. 443 AUT 452.

Canon II. Assumi aliquem ad sacerdotium non posse in coniugii vinculo constitutum, nisi fuerit praemissa conversio (*uxoris scilicet, quae vitam monasticam, vel saltem castitatem professa fuerit. Cf. Conc. Agathensis can. XVI inf. citatum*).

Canon XXI. Poenitens quaecumque defuncto viro alii nubere praesumpserit, vel suspecta vel interdicta familiaritate cum extraneo vixerit, cum eodem ab ecclesiae liminibus arceatur. Hoc etiam de viro in poenitentia posito placuit observari.

Cf. dicta ad resp. XIII. Leonis ad Rusticum. Adverte tamen quod ambo coniuges puniuntur quidem simul, sed non iubentur separari: prohibebatur scilicet coniugium poenitentibus, sed non irritabatur.

Canon XXII. Poenitentiam coniugatis nonnisi ex consensu (*alterius scilicet*) dandam.

Ratio huius canonis ex praeced. petenda, ut notat Sirmondus.

Canon XXV. Hi qui post sanctam religionis professionem apostatant et ad seculum redeunt et postmodum poenitentiae remedia non requirunt, sine poenitentia communionem penitus non accipiant, quos etiam iubemus ad clericatus officium non admitti. Et quicumque ille (*sit*), post poenitentiam habitum secularem non praesumat: quod si praesumpserit ab ecclesia alienus habeatur.

Hunc canonem recitavimus, quia sententiam de vi professionis religiosae nuptias impedientis, satis prodere videtur. Sane quibus propter reditum ad seculum poenitentia imponitur et post poenitentiam habitus secularis ideoque et conversatio secularis interdicitur, eos et a coniugalis vitae usu semper fuisse prohibitos tenendum est. Attamen de irritatione actus nihil dicitur, quemadmodum neque in seq. cn. LII.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Canon XLVI. Professas viduas, si conniventiam praestiterint, cum raptoribus esse damnandas.

Cf. notam praeced.

Canon LII. De puellis, quae se voverunt Deo et praeclari decore nominis floruerunt, si post viginti et quinque annos aetatis ad terrenas nuptias transierint, id custodiendum esse decrevimus ut cum his, cum quibus se alligaverint, communione priventur, ita ut eis postulantibus poenitentia non negetur, cuius poenitentiae communio multo tempore differatur.

EX CONCILIO ANDEGAVENSI

AN. 453.

Canon VI. Hi qui alienis uxoribus (*dimissis scilicet a viris*), superstitibus earum maritis, nomine coniugii abutuntur, a communione habeantur extranei.

His verbis comprehenditur quoque casus quo mulier ob adulterium fuerit dimissa.

EX EPISTOLA LEONIS

AD RUSTICUM EPISC. NARBORENSEM AN. 458 AUT 59.

Decretum III. Lex continentiae eadem est ministris altaris, quae episcopis atque presbyteris. Qui cum essent laici sive lectores, licite et uxores ducere et filios procreare potuerunt. Sed cum ad dictos pervenerunt gradus, coepit eis non licere quod licuit. Unde ut de carnali fiat spiritale coniugium oportet eos nec dimittere uxores et quasi non habeant sic habere, quo et salva sit caritas connubiorum et cessent opera nuptiarum.

Secundum id explicare licet canonem VI Apostolorum, ad quem quidam provocant ut doceant apud graecos obligationem coelibatus antiquitus non viguisse. Quod quidem si probaretur, probaretur quoque eam obligationem non extitisse olim pro latinis; nam canon ille Apostolicus non spectat potius ad Ecclesiam graecam quam latinam, etsi scriptus sit graece. Canon penes Dionysium VI sic habet. *Episcopus aut presbyter uxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abiiciat: si vero reiecerit, excommunicetur, sed et si perseveraverit, deiiciatur.* Cum audis Episcopum quoque nominari, intelligis de ea abiectione uxoris sermonem esse, quae Episcopis quoque illicita erat: an prohibebantur Episcopi negare debitum uxori petenti, sive illis, ne vel in Ecclesia graeca fuit unquam permissus usus coniugii? « Certe confiteris non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat » ait Hieronymus adv. Iovinianum l. I. n. 34. Abiectio ergo, quam canon Apostolicus prohibet, ea est, de qua Leo loquitur, qui profecto noverat et veterem disciplinam

et apostolicas traditiones. Cf. opus cit. Fr. Ant. Zachariae de Caelibatu ecclesiastico.

Decretum IV. Non omnis mulier viro iuncta uxor est viri, quia nec omnis filius haeres est patris. Nuptiarum autem foedera inter ingenuas sunt legitima et inter aequales, multo prius hoc ipsum Domino constituente, quam initium romani iuris exsisteret. Itaque aliud est uxor, aliud concubina, sicut aliud ancilla, aliud libera. Propter quod etiam Apostolus ad manifestandam harum personarum discretionem, testimonium ponit ex genesi, ubi dicitur Abrahae: eiice ancillam etc. Unde cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut praeter sexuum coniunctionem haberet in se Christi et Ecclesiae sacramentum, dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium. Igitur cuiuslibet loci clericus si filiam suam habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum est, quasi eam coniugato dederit: nisi forte illa mulier et ingenua facta et dotata legitime et publicis nuptiis honestata videatur.

Sententia Leonis hoc in loco, quae difficilis videri potest, pendet tota ex principio, ad quod ipse provocat, scilicet ita ab initio institutam fuisse a Deo nuptiarum societatem ut haberet in se Christi et Ecclesiae sacramentum. Atqui societas viri cum concubina non habet hoc sacramentum h. e. non repraesentat unionem Christi cum Ecclesia. Nam unio Christi cum Ecclesia est unio perpetua et elevans Ecclesiam ad participationem dignitatis et bonorum Christi: e contrario unio viri cum concubina est unio dissolubilis, eo quod vir muliere utitur ad solam voluptatem, eam tamquam ancillam habens et plerumque ex ancillis suis in sua servitutis conditione relictis eligens. Talis societas non est profecto matrimonium. Huc autem historice redibat vel videbatur Leoni redire unio viri cum ancilla, quae non fuisset ingenua facta et dotata legitime et publicis nuptiis honestata: purus nimirum concubinatus praesumebatur. Eadem erat sententia Ambrosii in Luc. VIII. 8 aientis « ubi impar coniugium est, lex Dei (lata scilicet in institutione matrimonii Gen. II. 24, cuius mentionem fecit n. praeced.) non est. » Cf. Hincmarum Rhemensem epist. XXII. Ea porro superius tradita doctrina cum satis fuerit Leoni pro expedienda quaestione singulari sibi proposita, noluit alio divertere et immorari in quaestionibus solvendis, quae suboriri poterant, e. g. an coniugium liberi cum serva unquam possit esse legitimum matrimonium et sacramentum: nam quaestio ipsi proposita fuerat de concubina non de coniugio liberi cum serva seu ancilla. Cf. pag. 122.

Decretum V. Paterno arbitrio viris iunctae carent culpa, si mulieres, quae a viris habebantur, in matrimonio non fuerunt (*si nempe viri, quibus filiae paterno arbitrio iunguntur, aliam quidem ha-*

buerunt mulierem, sed non coniugii foedere sociatam); quia aliud est nupta, aliud concubina.

Cf. Decret. praeced.

Decretum VI. Ancillam a toro abiicere et uxorem certae ingenuitatis accipere, non duplicatio coniugii sed profectus est honestatis.

Cf. Decr. IV praeced.

Decretum XIII. In adolescentia constitutus, si urgente aut metu mortis aut captivitatis periculo, poenitentiam (*publicam*) gessit et postea timens lapsum incontinentiae iuvenilis, copulam uxoris acceperit, ne crimen fornicationis incurreret, rem videtur fuisse venialem si praeter coniugem, nullam omnino aliam agnoverit. In quo tamen non regulam constituimus, sed quid sit tolerabilius aestimamus. Nam secundum veram cognitionem, nihil magis ei congruit, qui poenitentiam gessit, quam castitas perseverans et mentis et corporis.

Exinde quis non immerito colligat non fuisse ea aetate admodum frequentes, qui in adolescentia poenitentiam publicam agerent, quod ne fiat suadet quoque Ambrosius De Poenit. l. II. n. 104 et 107, et postea etiam consuluit an. 506 concilium Agathense, can. XV.

Vides poenitentiam publicam fuisse impedimentum impediens matrimonium. Ecclesiasticis sanctionibus praefixum est (ait Conc. Ticinense an. 850 v. inf.) ut nullus publice poenitens usque ad tempus perfectae poenitentiae contrahere valeat. Imo priore aetate suadebatur ut et exacta poenitentia, servaretur continentia, ut innuit heic Leo. Imo Siricius simpliciter praeceptum esse supponit epist. ad Himerium c. 6. s. c. quod praeceptum Leo clementer emollivit pro adolescentibus: cuius exemplum secutus est quoque quoad alias Nicolaus t. v. infra.

Decretum XIV. Propositum monachi proprio arbitrio aut voluntate susceptum deseri non potest absque peccato. Quod enim quis vovit Deo, debet ei reddere. Unde qui relicta singularitatis professione ad militiam vel nuptias devolutus est, publicae poenitentiae satisfactione purgandus est; quia *etsi* (*potest id merito accipi:* re per se considerata, *quod obiici Leoni poterat*) innocens sit militia et honestum potest esse coniugium, electionem tamen meliorem deseruisse transgressio est.

Decretum XV. Puellae, quae non coactae parentum imperio sed spontaneo iudicio virginitatis propositum atque habitum susceperunt, si postea nuptias eligunt, praevaricantur, etiamsi consecratio non accessit, cuius utique non fraudarentur munere, si in proposito permanerent. Ambigi vero non potest crimen magnum admitti, ubi

et propositum deseritur et consecratio violatur. Nam si humana pacta non possunt impune calcari, quid eos manebit qui corruperint foedera divini sacramenti (*nempe consecrationis: de iis enim, quae etiam consecratae sint, in fine agit. Sacramentum autem latiore sensu accipitur*)?

Ex his duobus responsis non satis liquet an tales nuptias irritas censeret Leo; sed neque huc spectabat Leo ut id doceret, qui de poenitentia imponenda agebat. Cf. Innocentii hac de re decretum.

EX EPISTOLA LEONIS

AD NICETAM EPISC. AQUILEIENSEM AN. 458.

Decretum I. Cum per bellicam cladem... abductis in captivitatem viris, feminae eorum... quae viros proprios aut interemptos putarint aut numquam a dominatione crediderint liberandos et ad aliorum coniugium solitudine cogente transierint, cumque nunc.... nonnulli eorum, qui putabantur periisse, remeaverint, merito caritas tua videtur ambigere quid de mulieribus, quae aliis iunctae sunt viris, a nobis debeat ordinari. Sed quia novimus scriptum quod a Deo iungitur mulier viro (*Prov. XIX. 14*) et iterum praeceptum agnovimus ut quod Deus iunxit, homo non separet, necesse est ut legitimarum foedera nuptiarum redintegranda credamus et remotis malis, quae hostilitas intulit unicuique hoc, quod legitime habuit, reformetur, omnique studio procurandum est ut recipiat unusquisque quod proprium est.

EX CONC. TURONENSI

AN. 461.

Canon II. Licet a patribus nostris id fuerit constitutum ut quicumque saccrdos vel levita filiorum procreationi operam dare fuisset convictus, a communione dominica abstineretur; nos tamen huic districtioni moderationem adhibentes... id decrevimus ut sacerdos vel levita coniugali concupiscentiae inhaerens (*cum coniuge scilicet antea ducta*) vel a filiorum procreatione non desinens ad altiorem gradum non ascendat nec sacrificium offerre vel plebi ministrare praesumat. Sufficiat his tantum quod a communione non efficiantur alieni.

Cf. cn. 1. Conc. Toletani an. 400.

Canon VI. Qui se sacratis virginibus per coniunctionem nefandam miscuerint, vel propositum professae religionis dereliquerint, utrique a communione habeantur alieni; quia si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus: donec resipiscentes a laqueo dia-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

boli, a quo capti tenentur ad ipsius voluntatem, ad auxilium poenitentiae revertantur.

Cf. cn. XXV. Conc. Arelat. mox citati.

EX CONCILIO VENETICO

CIRC. AN. 465.

Canon II. Eos qui relictis uxoribus suis sicut in evangelio dicitur, excepta causa fornicationis, sine adulterii probatione, alias duxerint, statuimus a communione arcendos.

Videntur hi Patres non punituri fuisse huius modi viros qui aliam duxerint si adulterium uxoris probaretur. Sed perpende canonem esse poenalem, quo crimini poena statuitur: cum autem speciale sit peccatum, innocente dimissa aliam ducere, ratio certe potuit esse cur hoc peccatum specialiter plecteretur, quin exinde inferre liceret alias non improbaturos Patres istas secundas nuptias.

Canon IV. Eas, quae virginitatem professae et benedictionem fuerint per manus impositionem (*vide ritum* impositionis manus *in benedictione virginis professae non secus ac diaconissis graecis*) sub contestatione huius propositi consecutae, si fuerint in adulterio (*commixtio scilicet earum cum quolibet adulterium vocatur ut iam ab aliis audivimus*) deprehensae, cum adulteris ipsarum arcendas a communione censemus.

Cf. cn. VI. Conc. Turon. praeced.

EX EPISTOLA GELASII

AD EPISCOPOS LUCANIAE AN. 394.

Decretum XX. Virginibus sacris temere se quosdam sociare cognovimus et post dicatum Deo propositum incesta foedera sacrilegaque miscere. Quos protinus aequum est a sacra communione detrudi et nisi per publicam probatamque poenitentiam omnino non recipi: sed tamen viaticum de seculo transeuntibus, si tamen poenituerint, non negetur.

Si huiusmodi nuptiae vocantur federa incesta, patet ex mente Gelasii nullum esse verum coniugium. Cf. decretum XII Innocentii I ad Victricium s. c. et sequens Gelasii decretum, « Virgines quae post consecrationem nupserint, non tam adulterae sunt, quam incestae » aiebat Hieronymus adv. Iovinianum l. I. n. 13.

Decretum XXI. Nam de viduis sub nulla benedictione velandis superius (*Decr. XIII*) late sufficienterque praediximus. Quae (*viduae non velatae*) propria voluntate professam pristini coniugii castitatem

mutabili mente calcaverint, periculi earum intererit, quali Deum debeant satisfactione placare, quia iuxta Apostolum primam fidem irritam fecerunt. Sicut enim si se forsitan continere non poterant, secundum Apostolum, nullatenus nubere vetabantur, sic habita secum deliberatione, promissam Deo pudicitiae fidem debent custodire. Nos autem talibus nullum laqueum debemus iniicere sed solum adhortationes praemii sempiterni poenasque proponere divini iudicii, ut et nostra sit absoluta conscientia et illarum pro se rationem Deo reddat intentio.

Perpende loqui heic Gelasium de iis, quae non sunt velatae, idcirco aliter de ipsis decernere ac de velatis, quemadmodum et Innocentius decret. c. Nuptiae scilicet his terminis prohibentur sed contractae non dirimuntur.

Decretum XXII. Secundas nuptias sicut secularibus inire conceditur, ita post eas nullus ad clericale sinitur venire collegium. Hic enim humanae fragilitati generaliter concessa licentia, alia debet esse vita divinarum rerum servitio dedicata.

EX CONCILIO AGATHENSI

CUI CAESARIUS ARELATENSIS PRAEFUIT. AN. 506.

Canon I. Placuit de bigamis aut de internuptarum maritis, quanquam aliud patrum statuta decreverint, ut qui hucusque ordinati sunt, habita miseratione, presbyterii vel diaconatus nomen tantum obtineant, officium vero presbyteri consecrandi et ministrandi huiusmodi diacones non praesumant.

Canon IX. Placuit etiam, ut si diacones aut presbyteri coniugati ad torum suarum uxorum redire voluerint, papae Innocentii ordinatio et Siricii episcopi auctoritas conservetur.

Canon XVI. Si coniugati iuvenes consenserint ordinari, etiam uxorum voluntas ita requirenda est ut sequestrato mansionis cubiculo, religione praemissa, posteaquam pariter conversi fuerint, ordinentur.

Cf. s. c. canonem II Concilii Arelatensis 2.

Canon XIX. Sanctimoniales, quamlibet vita earum et mores probati sint, ante annum aetatis suae quadragesimum non velentur.

Cf. canonem s. c. Conc. Caesaraugustani.

Canon XXV. Hi seculares, qui coniugale consortium culpa graviore dimittunt vel etiam dimiserunt et nullas causas dissidii probabiliter proponentes, propterea sua matrimonia dimittunt ut aut illicita aut aliena praesumant, si antequam apud episcopos conprovinciales dissidii causas dixerint et prius uxores quam iudicio

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

damnentur, abiecerint, a communione ecclesiae et sancto populi coetu, pro eo quod fidem et coniugia mandant excludantur.

De simplici dimissione h. e. separatione facta absque ecclesiastica auctoritate sermo est, quam quidam moliebantur ut illicitis coniunctionibus etiam cum alienis commodius vacare possent: quae tamen, etiam legitime facta separatione, iis non licere opus non erat apertius declarare. Cf. cn. II. Conc. Venetici. s. c.

Canon LXI. *(Hic canon videtur additus canonibus huius concilii ex Concilio Epanoensi an. 517). Hunc canonem citat ex Synodo Agathensi ac confirmat Synodus Coloniensis an. 887.* De incestis coniunctionibus nihil prorsus veniae reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint. Incestos vero nullo coniugii nomine deputandos, quos etiam designare funestum est, hos esse censemus. Si quis relictam fratris, quae pene prius soror exstiterat, carnali coniunctione polluerit, (*cf. can. II Neocaes.*) si quis frater germanam uxoris acceperit (*cf. can. Illiber. LXI. Decret. Siricii in epist. ad Gallos XII et can. Basilii XXVIII.*) si quis novercam duxerit, (*Cf. I. cor. et can. Basilii XXIII.*) si quis consobrinae se sociaverit, si quis relictae vel filiae avunculi (*cf. Siricii decretum ibid. XIV*) misceatur aut patrui filiae vel privignae suae (*cf. can. Illib. LXVI.*) aut qui ex propria consanguinitate aliquam aut (*eam*) quam consanguineus habuit, concubitu polluerit duxerit uxorem... quod ita praesenti tempore prohibemus, ut ea quae sunt hactenus instituta, non dissolvamus.

Cf. cn. IV. Conc. Toletani 2. inf. c. Vides heic nullam certam normam tradi dignoscendi limites consanguinitatis et affinitatis, sed aliunde iam notam ipsam potius supponi. Vides pariter affinitatem tantum protendi quantum consanguinitas.

Canon LXVII. Non oportet cum omnibus haereticis miscere connubia et vel filios vel filias dare, sed potius accipere, si tamen profitentur christianos futuros esse se et catholicos.

Cf. cn. XXXI. Laodic.

EX CONCILIO AURELIANENSI

AN. 511.

Canon II. Si ad Ecclesiam raptor cum rapta confugerit et feminam ipsam violentiam pertulisse constiterit, statim liberetur de manu raptoris, et raptor, mortis vel poenarum immunitate concessa, aut serviendi conditioni subiectus sit aut redimendi se liberum habeat facultatem, si vero quae rapitur, patrem habere constiterit et puella raptori aut rapienda aut rapta consenserit; potestati patris

excusata reddatur, et raptor a patre superioris conditionis satisfactione teneatur obnoxius.

Canon XIII. Si se cuicumque mulier duplici coniugio presbyteri vel diaconi relicta coniunxerit, aut castigati separentur aut certe, si in criminum intentione perstiterint, pari excommunicatione plectantur.

Cf. can. XVIII. Conc. Toletani I. an. 400.

Canon XVIII. Ne superstes frater torum defuncti fratris ascendat, neve se quisquam amissae uxoris sorori audeat sociare. Quod si fecerint, ecclesiastica districtione servantur.

Cf. can. LXI. Conc. Agathensis et can. II. Conc. Neocaesariensis.

Canon XXI. Monachus in monasterio conversus vel si pallium probatus fuerit accepisse, si postea uxori suae fuerat sociatus, tantae praevaricationis reus nunquam ecclesiastici gradus officium sortiatur.

EX EPISTOLA DECRETALI SYMMACHI

AD CAESARIUM EPISCOPUM ARELATENSEM AN. 513.

Decretum IV. Raptores viduarum vel virginum pro immanitate tanti facinoris detestamur, illos vehementius persequendo, qui Deo sacratas virgines vel volentes vel invitas matrimonio suo sociare tentaverint: quos pro tam nefandi criminis atrocitate a communione suspendi praecipimus.

Caesarius disciplinae Ecclesiasticae maxime studiosus excolendo quoque flori venustissimo virginitatis in horto Ecclesiae adlaborabat, coenobiumque puellarum instituerat cuius confirmationem et immunitatem a potestate Episcopi quoad temporalia scilicet obtinuit a successore Symmachi Hormisda anno 515. Cf. inter epistol. Hormisdae apud Andream Thiel. epist. 150, et testamentum eiusdem Caesarii apud Baronium an. 508.

Cum autem credibile haud sit Symmachum hac in re aliter censuisse ac Innocentius, patet quod silentium circa nullitatem huiusmodi contractus coniugalis, cum de imponenda poenitentia agitur, nullo modo aequivalet affirmationi hos contractus valere. Id et in aliis canonibus meminisse iuvabit.

Decretum V. Neque viduas ad nuptias transire patimur, quae in religioso proposito diuturna observatione permanserunt. Similiter virgines nubere prohibemus, quas annis plurimis in monasteriis aetatem peregisse contigerit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

EX CONCILIO GERUNDENSI

IN PROVINCIA TARRACONENSI. AN. 517.

Canon VI. Placuit a pontifice usque ad subdiaconum, post suscepti honoris officium , si quis ex coniunctis (*matrimonio*) fuerit ordinatus, ut sine coniuge habitet.

Lex caelibatus clare pro omnibus usque ad subdiaconum proponitur. Cf. cn. 1. Conc. Toletani an. 400.

EX CONCILIO EPAONENSI

AN. 517.

Canon XXX. huius Synodi idem est ac recitatus superius LXI conc. Agathensis.

Canon XXXII. Relicta presbyteri sive diaconi, si cuicumque renupserit, catenus ab ecclesia pellatur donec a coniunctione illicita separetur, marito quoque eius simili usque ad correctionem severitate plectendo.

Cf. cn. XIII. Conc. Aurelianensis mox citat.

Canon XXXVII. Ne laicus (*uxoratus scilicet*) nisi religione praemissa clericus ordinatur.

Cf. cn. XVI. Conc. Agathensis.

EX CONCILIO LUGDUNI

VEL ALIBI IN BURGUNDIA HABITI (CF. ANTON. PAGI AD AN. CHR. 517) IN CAUSA CUIUSDAM STEPHANI AN. CIRC. 517

Canon I. In nomine Trinitatis congregati iterato in unum, in causa Stephani incesti crimine polluti atque in lugdunensi urbe degentis decrevimus ut hoc factum nostrum, quod in damnationem eius vel illius (*Palladiae ex can. VI*), quam sibi illicite sociavit, uno consensu subscripsimus (*in synodo nimirum praeced. Epaonensi*) inviolabiliter servaremus (*hic est canon XXX praeced. synodi Epaonensis*). Quod non solum de praefatis eisdem personis placuit custodiri, sed in omnibus, quolibet loco vel tempore in hac fuerint perversitate detecti.

EX CONCILIO ILERDENSI

IN HISPANIA TARRACONENSI AN. 524.

Canon VI. Qui poenitenti viduae (*quae vitam scilicet religiosam vovit*) vel virgini religiosae vim stupri intulerit, si se ab eo

sequestrari (*ipsa*) noluerit, pariter a communione et a christianorum consortio segregetur. Si vero illa, quae vim pertulit ad sanctam religionem redierit, in illo solo, quoadusque publice poeniteat, data sententia perseveret.

EX CONCILIO TOLETANO

AN. 527 VEL 531.

Canon I. De his, quos voluntas parentum a primis infantiae annis clericatus officio manciparit, statuimus observandum ut mox cum detonsi vel ministerio lectorum contraditi fuerint, in domo ecclesiae, sub episcopali praesentia, a praeposito sibi debeant erudiri. At ubi octavum decimum aetatis suae compleverint annum, coram totius cleri plebisque conspectu voluntas eorum de expetendo coniugio ab episcopo perscrutetur. Quibus si gratia castitatis, Deo inspirante, placuit, et professionem castimoniae suae, absque coniugali necessitate, se spoponderint servaturos, hi tanquam appetitores arctissimae vitae, lenissimo Domini iugo subdantur, ac primum subdiaconatus ministerium, probatione habita professionis suae, a vigesimo anno suscipiant.... Cavendum tamen est his, ne quando suae sponsionis immemores aut ad terrenas nuptias aut ad furtivos concubitus recurrant. Quod si forte fecerint, ut sacrilegii rei damnentur et ab ecclesia habeantur extranei. His autem, quibus voluntas propria, interrogationis tempore, desiderium nubendi persuaserit, concessam ab apostolis licentiam auferre non possumus. Ita ut cum provectae aetatis in coniugio positi renunciaturos se pari consensu operibus carnis spoponderint, ad sacratos ordines aspirent.

Cf. cn. XLIX. Conc. Toletani 4. inf. c. an. 633.

Canon IV. Ne quis fidelium propinquam sanguinis sui, usquequo affinitatis lineamenta generis successione cognoscit, in matrimonio sibi desideret copulari... tantoque annosioris excommunicationis tempore a Christi corpore et fraternitatis consortio sequestretur, quanto fuerit propinquioris sanguinis contagione pollutus.

Heic non exhibetur quidem distincta enumeratio graduum consanguinitatis vel affinitatis, inter quos non licet inire coniugium, formula est tamen loquendi adeo generalis ut per se comprehendat omnes gradus propinquitatis, qui soleant inter homines computari, limite tamen aliquo, infra quem haud liceret coniugia inire, coercitam fuisse penes Hispanos seriem generationum dubitare non sinit qui paulo post in Hispania floruit, Isidorus Hispalensis, qui consanguinitatem ad sextam generationem deducit (v. inf. sub Gregorio M.). Certo autem limite ex communi ratione cogitandi recepto, formula illa generalis Patrum Toletanorum, sicut

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et Agathensium (Cf. s.) sensum determinatum induebat. Cf. quae dicemus post Gregorium M.

Adverte pariter quod haec formula: *usque quo affinitatis lineamenta generis successione cognoscit* non solum consanguinitatem, sed et proprie dictam affinitatem valet comprehendere eamque multiplicem.

EX CONCILIO AURELIANENSI

AN. 533.

Canon X. Nullus novercae suae idest uxori patris sui ulla copulatione iungatur. Quod si quis praesumpserit, noverit se anathematis supplicio feriendum.

Canon XI. Contracta matrimonia, accedente infirmitate, nulla voluntatis contrarietate solvantur. Quod si qui ex coniugibus fecerint, noverint se communione privandos.

Etsi infirmitas sit impotentia coeundi sive hanc inferat, si tamen est consequens, non solvit vinculum.

Canon XIX. Placuit ut nullus Christianus Iudaeam neque Iudaeus Christianam in matrimonio ducat uxorem: quia inter huiusmodi personas illicitas nuptias esse censemus. Qui si commoniti a consortio hoc se separare distulerint, a communionis gratia sunt sine dubio submovendi.

Cum separatio sine ulla spe reditus sub poena excommunicationis praecipitur, pronum est intelligere voluisse Patres has nuptias ut nullas haberi: illicitae proinde nuptiae heic sunt etiam invalidae. Sed lex non est universalis Ecclesiae, et particularis Gallicanae provinciae. Cf. cn. Conc. Chalced. XIV. s. c.

EX CONCILIO ARVERNENSI

AN. 535.

Canon VI. Si quis Iudaicae pravitati iugali societate coniungitur et seu Christiana Iudaeo seu Iudaeus Christianae mulieri carnali consortio misceatur, quicumque horum tantum nefas admisisse dignoscitur, a Christianorum coetu absque convivio et communione Ecclesiae, cuius sociatur hostibus, segregetur.

Conf. can. XIX Conc. Aurelianensis 2. Sed canon recitatus forte spectat ad aliam Synodum Arvernensem 2. an. 549.

Canon XII. Si quis relictam fratris, sororem uxoris, privignam, consobrinam sobrinamve vel relictam patrui atque avunculi, carnalis contagii crediderit consortio violandam et ausu sacrilego auctoritatem divinae legis ac iura naturae perruperit et cui caritatis ac pii affectus solatia exhibere debuerat, suorum hostis ac pudicitiae expugnator vim inferre tentaverit, apostolicae constitutionis sententia feriatur. Et quamdiu in tanto versatur scelere a christiano coetu atque convivio simulque Ecclesiae matris communione privabitur.

Cf. cn. LXI. Conc. Agathens. s. c. Heic quoque patet nullas habitas fuisse huiusmodi nuptias, quae censentur perruptio auctoritatis divinae legis iurisque naturae, sacrilegus ausus, violatio propinquorum, pudicitiae expugnatio.

Canon XIII. Cum presbyteri atque diaconi sublimi dignitatis apice prorogantur, actibus omnino renuncient seculi et ad sacrum electi ministerium repudient carnale consortium ac permixtionis pristinae contubernium permutent germanitatis affectu et quisque ille est presbyter atque diaconus, divino munere benedictione percepta, uxoris prius suae frater illico efficiatur ex coniuge.

Lenius heic agitur cum presbyteris et diaconis ex coniugatis assumptis quam can. XXXVII. Conc. Epaonensis et can. XVI. Conc. Agathensis s. c.

EX EPISTOLA VIGILII

AD CAESARIUM EPISCOPUM ARELATENSEM AN. 538.

Gravis poenitentia imponitur Theodeberto regi, qui cum uxore fratris sui illicitum praesumpserat inire coniugium.

Etsi nondum verus Pontifex esset Vigilius, testis est tamen idoneus iuris vigentis in Ecclesia Romana.

EX CONCILIO AURELIANENSI

AN. 538.

Canon VII. Clerici, qui, cum uxores non haberent, benedictione suscepta (*post ordinationem scilicet*) coniugia crediderint eligenda, qui volentes absque ulla reclamatione in aetate fuerint legitima ordinati, cum ipsis mulieribus, quas acceperint, excommunicatione percellantur. Quod si invitus vel reclamans fuerit ordinatus, ab officio quidem deponatur, sed non a communione pellatur... De adulteriis autem honoratorum clericorum id observandum est, ut si quis adulterasse aut confessus fuerit vel convictus, depositus ab officio, communione concessa, in monasterio toto vitae suae tempore retrudatur.

Clerici, de quibus sermo est primo loco, non omnes indiscriminatim, sed qui in sacris ordinibus sint constituti, intelligendi sunt, iis enim tantum coniugium sub excommunicationis poena interdici potest. Clerici autem honorati, sunt clerici in aliqua ecclesiastica dignitate locati. Non satis constat ex verbis huius canonis utrum hi Patres censuerint nullum esse coniugium ab illis clericis contractum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Canon X. De incestis coniunctionibus ita quae sunt statuta serventur, ut his, qui aut modo ad baptismum veniunt aut (*quibus*) Patrum statuta sacerdotali praedicatione in notitiam antea non venerunt, ita pro novitate conversionis ac fidei suae credidimus consulendum, ut contracta hucusque huiusmodi coniugia non solvantur, sed in futurum quod de incestis coniunctionibus in anterioribus canonibus interdictum est observetur: id est ut ne quis sibi sub coniugii nomine sociare praesumat relictam patris (*quae scilicet noverca fuerit*), filiam uxoris (*quam haec nempe habuerit ex alio marito privignam*), relictam fratris, sororem uxoris, consobrinam aut sobrinam, relictam avunculi vel patrui. Quod si qui in hoc incesti adulterio potius quam coniugio fuerint sociati, quamdiu se non sequestraverint, a communione ecclesiastica repellantur.

Cf. can. XII. Conc. Arvernensis. Vides heic quoque Episcopos nihil de lege civili sollicitos esse, soliusque sacerdotalis praedicationis rationem habere, ut iis, qui illam ignoraverint aut qui recens conversi sunt ad fidem, valere permittant coniugia inita, ex quibus quaedam erant lege quoque romana prohibita.

Canon XVI. De raptoribus virginum consecratarum seu in proposito sub devotione viventium, id statuimus, ut si quis consecratae vel devotae idest religionem professae vim inferre praesumpserit, a communione ecclesiastica usque ad exitum repellatur, viatico tantum ei in infirmitatis periculo reservato. Quod si quae rapta dicitur, cum raptore habitare consenserit, et ipsa excommunicatione simili feriatur. Quae forma et de poenitentibus ac viduis in proposito manentibus sub districtione ecclesiastica conservetur.

EX CONCILIO AURELIANENSI

AN. 541.

Cf. cn. VI. Conc. Ilerdensis s. c. an. 524 et decretum IV ac V epist. Symmachi ad Caesarium an. 513 ac decretum XX Gelasii ad Episcopos Lucaniae an. 494.

Canon XXII. Nullus per imperium potestatis filiam competere (*scilicet sibi vindicare*) audeat alienam, ne coniugium, quod contra parentum voluntatem impie copulatur, velut captivitas iudicetur, sed sicut est prohibitum non admittatur. In his, qui perpetraverint excomunicationis severitas pro modo piaculi imponatur.

Libertas privatorum contra impotentem libidinem eorum, qui in sublimitate sunt, defenditur a Patribus. Coniugium contractum contra voluntatem parentum, impium appellatur.

Canon XXIV. Quaecumque mancipia sub specie coniugii ad

ecclesiae septa confugerint, ut per hoc credant posse fieri coniugium, minime eis licentia tribuatur, nec talis coniunctio a clericis defensetur... de qua re decernimus ut parentibus aut dominis propriis, prout ratio poscit personarum, accepta fide, excusati sub separationis promissione, reddantur: postmodum tamen parentibus atque dominis libertate concessa, si eos voluerint propria voluntate coniungere.

Pro coniugio servorum voluntas parentum aut dominorum postulatur ab his Patribus, quemadmodum vidimus a Basilio. Cf. ibi dicta ad cn. XL.

EX CONCILIO AURELIANENSI

AN. 549.

Canon XIX. Puellae (*quae secundum statuta monasterii, in quo elegerint permanere, vestimenta religionis acceperint*) si deinceps sacra relinquentes loca, propositum sanctum seculi ambitione transcenderint, vel illae, quae in domibus propriis, tam puellae quam viduae commutatis vestibus convertuntur, cum his, quibus coniugio copulantur, ecclesiae communione priventur. Sane si culpam sequestratione sanaverint, ad communionis gratiam revocentur.

Idcirco professio religionis a feminis extra monasteria in domibus propriis apud Gallos adhuc licebat; culpa contracti coniugii sequestratione sananda docet nullum habitum fuisse tale coniugium.

EX CONCILIO PARISIENSI

CIRC. AN. 557.

Canon IV. Nullus illicita coniugia contra praeceptum Domini sortiri praesumat, idest fratris relictam nec novercam suam relictamque patrui vel sororem uxoris suae sibi audeat sociare, neque nurus suae vel materterae coniugio potiatur. Pari etiam conditione a coniugio amitae, privignae ac filiae privignae coniunctionibus praecipimus abstineri.

Canon V. Sacratarum etiam virginum neque per raptum neque per competitiones aliquas (*competitio vim quamdam significat sed potius moralem, sub specie iuris vel per auctoritatis abusum*) quisquam coniugia sortiatur. Similiter de earum erit coniunctionibus abstinendum, quae vestium commutatione tam viduae quam puellae religionem, poenitentiam aut virginitatem publica fuerint declaratione professae. Quod si contra interdictum quis venerit et sacerdotem suum audire neglexerit, et in praesenti a communione ca-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tholicae ecclesiae habeatur extraneus et in perpetuum anathemate feriatur.

Cf. cn. XIX. Conc. Aurelianensis modo citati.

Canon VI. Nullus viduam neque filiam alterius, extra voluntatem parentum, aut rapere praesumat aut regis beneficio aestimet postulandam. Quod si fecerit, similiter ab ecclesiae communione semotus anathematis damnatione plectatur.

Cf. can. XVII. Conc. Aurelianensis s. c.

EX CONCILIO BRACARENSI

AN. 563.

Circa annum 560 in Constitutione Chlotarii Regis praecipitur c. VIII. *Sanctimoniales nullus sibi in coniugium audeat sociare.* Cf. Capitularia Regum Francorum edit. Balusii ad an. XL. 560.

Canon XI. Si quis coniugia humana damnat et procreationem nascentium perhorrescit, sicut Manichaeus et Priscillianus dixerunt, A. S.

EX CONCILIO TURONENSI

AN. 567.

Canon XII. Episcopus coniugem ut sororem habeat et in sancta conversatione gubernet domum omnem tam ecclesiasticam quam propriam, ut nulla de eo suspicio quaqua ratione consurgat...

Canon XV. Si qui in monasterio conversi sunt aut converti voluerint, nullatenus exinde habeant licentiam evagandi nec, quod absit, ullus eorum coniugem ducere aut extranearum mulierum familiaritatem habere. Nam si, ut supra dictum est, uxorem duxerit, excommunicetur et de uxoris male sociatae consortio, etiam iudicis auxilio, separetur.

Monachorum, qui in monasterio conversi sint, coniugia irrita censentur.

Canon XX. Nos hoc sequentes, quod vel apostolus Paulus vel papa Innocentius (*ad Victricium*) statuit in canonibus nostris inferentes, statuamus observandum ut nullus sacratam Deo virginem, quae in honorem Christi vestem mutavit aut rapere aut competere aut sibi coniugem sociare praesumat: quia etiam lex romana constituit ut quicumque sacratam Deo virginem vel viduam fortasse rapuerit, si postea eis de coniunctione convenerint capitis sententia feriantur. (*Leg. I. cod. Theod de. raptu vel matr.*).

Cf. decretum XII. Innocentii XVI. Conc. Aurelianensis an. 538. Lex, ad quam provocant Patres est lex Constantii, quam innovavit Iovinianus

auctam capitali supplicio. In cod. Theod. L. IX. Tit. XXV De Raptu L. I. *Si quis non dicam rapere, sed vel attentare, matrimonii iungendi causa, sacratas virgines vel invitas* (an. vel viduas?) *ausus fuerit, capitali sententia ferietur.*

Canon XXI. De incestis vero coniunctionibus censuimus statuta canonum vetera non irrumpi... Propterea placuit etiam de voluminibus librorum pauca perstringere et canonibus inserere ut excepta lectio de aliis libris in unum recitetur ad populum. Sic enim Dominus locutus est levit. XVIII. 7. Turpitudinem patris tui et turpitudinem matris tuae non discooperies... (*usque ad 20 v. inclusive*). Itemque ait sacra sententia legum (*cod. Theod. de incestis nuptiis l. 3*), quae in hac explanatione omni homini tam docto quam indocto aperta est ut quisquis aut sororis aut fratris filiam aut ulterioris gradus consobrinam aut fratris uxorem sceleratis sibi nuptiis iunxerit, huic poenae subiaceat ut de tali consortio separetur. Item alia (*ibid. l. 4*): quaecumque mulier sororis suae maritum post mortem illius acceperit, vel si quis ex viris mortua uxore sororem eius aliis nuptiis sibi coniunxerit, noverit tali consortio se esse notabilem (*Tum referuntur canones ex synodo Aurelianensi 1 can. XVIII. Epaonensi XXX et Arvernensi XII s. c.*) *Subdit:* Nos hoc quod patres nostri statuerunt, in omnibus roboramus.

EX CONCILIO MATISCONENSI

AN. 581.

Canon XII. De puellis vero, quae se Deo voverint et praeclarae decore aetatis ad terrenas nuptias transierint, id custodiendum esse decrevimus, ut si qua puella voluntarie aut parentibus suis rogantibus, religionem professa vel benedictionem fuerit consecuta et postea ad coniugium vel illecebras seculi, quod potius stuprum est quam coniugium iudicandum, transgredi praesumpserit, usque ad exitum, cum ipso, qui se huiusmodi consortio miscuerit, communione privetur.

Cf. cn. LII. Conc. Arelat. an. 443.

EX CONCILIO LUGDUNENSI

AN. 583.

Canon III. Puellae, quae conniventia parentum suorum se voluntarie dedicaverint et intra monasterium puellarum conclusionem elegerint et se de eodem monasterio, quacumque animi levitate aut vilitate corporis, extra captivitatis incursum, voluntate sua subtraxerint et de conversatione religiosa, cuiuscumque vocationis spiritu,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

seculi delectationes elegerint, quousque in monasterium, unde egressae sunt, revertantur, a communionis gratia segregentur: viaticum tamen illis miserationis intuitu praebeatur.

Manifestum est regressum in monasterium his puellis praeceptum comprehendere separationem a coniuge: volunt ergo hi Patres ut culpa contracti coniugii sequestratione sanetur. Cf. cn. XIX. Conc. Aurelianensis an. 549.

Canon IV. De incestis coniunctionibus hoc placuit custodiri, quod prisca canonum statuta sanxerunt.

EX CONCILIO MATISCONENSI

AN. 585.

Canon XVI. Quae uxor subdiaconi vel exorcistae vel acolythi fuerat, mortuo illo, secundo se non audeat sociare matrimonio. Quod si fecerit, separetur et in coenobio puellarum Dei tradatur et ibidem usque ad exitum vitae suae permaneat.

Cf. can. XXXII. Conc. Epaonensis an. 517.

Canon XVIII. Incestam copulationem, in qua nec coniugem nec nuptias rectas appellari leges sanxerunt, catholica omnino detestatur atque abominatur ecclesia et gravioribus poenis eos afficere promittit, qui nativitatis suae gradus libidinoso ardore contemnentes, in merda, quod nefas est, sua, (*al.* in ordo suo *seu* ordura est, *quae est lutum, caenum, lordura*), ut sues teterrimi convolvuntur.

EX CONCILIO TOLETANO

AN. 589.

Canon X. Viduae, quibus placuerit tenere castitatem, nulla vi ad nuptias iterandas venire cogantur. Quod si priusquam profiteantur continentiam, nubere elegerint, illis nubant, quos propria voluntate elegerint habere maritos. Similis conditio et de virginibus habeatur, ne citra voluntatem parentum vel suam cogantur maritos accipere.

Canon XIV. Suggerente concilio id gloriosissimus Dominus noster (Rex Reccaredus) canonibus inserendum praecipit ut Iudaeis non liceat christianas habere uxores vel concubinas.

EX SYNODO ANTISSIODORENSI

DIOECESANA AN. 590.

Canon XXII. Non licet relictae presbyteri nec relictae diaconi nec subdiaconi post eius mortem maritum accipere.

Cf. cn. XXXII. Conc. Epaonensis an. 517.

Canon XXVII. Non licet ut aliquis suam novercam accipiat uxorem.

Canon XXVIII. Non licet ut filiam uxoris suae quis accipiat.

Canon XXIX. Non licet ut relictam fratris sui quis in matrimonium ducat.

Canon XXX. Non licet duas sorores, si una mortua fuerit, alteram in coniugium accipere.

Cf. cn. II. Neocaesar.

Canon XXXI. Non licet consobrinam hoc est quae de duobus fratribus aut de duobus sororibus procreatur, in coniugium accipere, nec qui de ipsis nati sunt, in coniugio socientur.

Nedum consobrinorum gradus, sed et sequens a nuptiis excluditur.

Canon XXXII. Non licet ut nepos avunculi uxorem accipiat.

EX EPISTOLA S. GREGORII M.

AD AUGUSTINUM ANGLORUM EPISCOPUM (EPIST. L. XI. EPIST. LXIV.)
AN. 601.

Interrogatio 5. An debeant duo germani fratres singulas sorores accipere, quae sunt ab illis longa progenie generatae.

Responsio. Hoc fieri modis omnibus licet. Nequaquam enim in sacris eloquiis invenitur quod huic capitulo contradicere videatur.

Interrogatio 6. Usque ad quotam generationem fideles debeant cum propinquis sibi coniugio copulari, et novercis et cognatis si liceat coniugio copulari.

Responsio. Quaedam terrena lex in romana republica permittit ut sive fratris sive sororis sive duorum fratrum germanorum vel duarum sororum filius et filia (*patrueles, consobrini, sobrini*) misceantur. Sed experimento didicimus ex tali coniugio sobolem non posse succrescere. Et sacra lex (*Moysis*) prohibet cognationis turpitudinem revelare. Unde necesse est ut iam tertia (*filii consobrinorum*) vel quarta generatio fidelium sibi licenter iungi debeat. (*Alexander II in epist. ad clericos Neapolitanos de gradibus consanguinitatis computandis legit;* unde necesse est ut iam quatuor vel quinque invicem generationes copulentur). Nam secunda, quam diximus, a se omnimodo debet abstinere. Cum noverca autem misceri grave est facinus, quia et in lege scriptum est: turpitudinem patris tui non revelabis. (*Illud* et *significat ad aliud quoque implicite provocari, nempe ad verba Apostoli I. Cor...* Cum cognata *uxore scilicet fratris*) quoque misceri prohibitum est, quia per coniunctionem priorem caro fratris facta est.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

EX EPISTOLA EIUSDEM

AD FELICEM MESSANENSEM (EPISTT. L. XIV EPIST. 17) AN. 604.

« Quod scripsi Augustino Anglorum gentis episcopo, alumno videlicet, ut recordaris, tuo, de consanguinitatis coniunctione, ipsi et Anglorum genti, quae nuper ad fidem venerat, ne a bono quod ceperat, metuendo austeriora, recederet, specialiter, et non generaliter ceteris me scripsisse cognoscas. Unde et mihi omnis Romana civitas exstitit, testis (*Synodus forte, in qua haec concessio decreta fuerit indicatur*) nec ea intentione haec illis scriptis mandavi, ut postquam firma radice in fide fuerint solidati, si infra propriam fuerint consanguinitatem inventi, non separentur, aut infra affinitatis (*consanguinitatis*) lineam idest usque ad septimam generationem, coniungantur. Sed adhuc illos neophitos exsistentes saepissime eos prius illicita docere vitare et verbis ac exemplis instruere et quae post de talibus egerint, rationabiliter et fideliter excludere oportet. »

Linea consanguinitatis dicitur porrigi usque ad septimam generationem, porro ultra eam coniungendos esse Anglos cum privilegium prius fuerit revocatum.

Iuverit heic paululum immorari ut sententias Gregorii M., si fas est. rite interpretemur. Quod spectat ad epistolam ad Augustinum, mentionem facit Gregorius cuiusdam terrenae legis, quae est lex in Cod. Iustiniani L. V. Tit. IV. c. 19 qui vel prior vel post Theodosium iuniorem sustulit legem Theodosii senioris vetantem nuptias inter consobrinos. Sane primus ex Romanis Imperatoribus nuptias inter patrueles et consobrinos vetuit Theodosius M. Huius lex quidem non exstat: eius tamen meminerunt Ambrosius epist. ad Paternum, Augustinus de Civ. Dei XV. 16, Aurelius victor in epitome Historiae sub finem, ac eiusdem Theodosii filii Arcadius et Honorius in lege *Manente* cod. Theod. L. III. Tit. 12, qua lege temperarunt legem patris quoad poenas. Quaestio est an eandem legem patris sui iidem postea aboleverint lege *Celebrandis*, qua nuptiae hae permittuntur, quae lex prostat in codice Iustiniani Lib. V. Tit. 4, iisdemque adscribitur, quamvis desideretur in cod. Theodosiano. Iacobus Sirmondus in diatriba De lege *Celebrandis* (Oper. Tom. IV) probabilius censet hanc legem, qualis nunc in cod. Iustiniani prostat, non esse profectam ab Arcadio et Honorio, tum propter alias causas, tum praesertim eo quod exulet a codice Theodosiano, ac ignorata fuerit Augustino, qui l. c. legem Theodosii senioris tamquam vigentem sua aetate agnoscit: ac tandem quia Honorius et Arcadius e contrario legem tulerunt (cod. eod. Tit. unic. *si nuptiae*) qua, manente prohibitione nuptiarum inter consobrinos, concesserunt tamen ut eaedem ex rescripto Principis peti possent. Iacobus vero Gothofredus ad cod. Theod.

L. III. Tit. 12, censet nihil esse cur ea lex *celebrandis* negetur esse eorum, quibus in cod. Iustiniani adscribitur. Advertit enim primum generatim, quod cum duo pluresque Imperatores forent, etsi ab uno tantum lex aliqua conderetur, soleret tamen omnium nomine inscribi et auctoritate promulgari. Itaque ait 1°: Lex *si nuptiae* edita reapse est a solo Honorio in Occidente. 2° Arcadius vero primum lege *Manente* temperavit rigorem legis paternae, tum paucis post annis leg. *celebrandis* permisit quod vetuerat Pater leg. *celebrandis*. Cur ergo non comparet haec lex *celebrandis* in codice Theodosiano? respondet et ipse interrogando: cur ibidem non comparet lex Theodosii senioris? Si haec recipiantur (nam cf. ipsum Gothofredum l. c.) haud aegre intelligimus cur Augustinus in Occidente legem Theodosii senioris ut vigentem adhuc agnoscat: nam Honorius eam non abrogaverat sed potius confirmaverat, permittens tantum tales nuptias ex rescripto Principis peti quam legem Honorii solam agnovisse videtur etiam Cassiodorus, qui in Lib. VII variarum, formula 46 asserit, reservatum a prudentibus viris fuisse principi beneficium consobrinis nuptiali copulatione iungendis.

Ceterum certum est quod ante Gregorium M. Iustinianus eam legem *celebrandis* suam fecerat, inferens in suum codicem L. V. Tit. IV. c. 19. *Celebrandis inter consobrinos matrimoniis licentia legis huius salubritate indulta est: ut revocata prisci iuris auctoritate restinctisque calumniarum fomentis, matrimonium inter consobrinos habeatur legitimum sive ex duobus fratribus, sive ex duabus sororibus sive ex fratre et sorore nati sunt et ex eo matrimonio editi legitimi et suis patribus successores habeantur.*

Itaque evidens est huius secularis legis nullam pro christianis rationem habere Gregorium Pontificem, imo improbare.

Quaestio est tamen impedita magis quousque inter christianos aetate Gregorii se protenderent gradus cognationis prohibiti. Gregorius enim in epist. ad Felicem docet solum post septimam generationem licere coniugium. Contra eadem aetate Isidorus Etimol. L. IX c. 6 a 29 affirmat quod « usque ad sextum generis gradum consanguinitas constituta est, (quod tamen interprete Petro Damiano non repugnat priori, cf. inf. ad an. 1065), ut sicut sex aetatibus mundi generatio et hominis status finitur, ita propinquitas generis tot gradibus terminaretur. » Patres vero Agathenses et Toletani s. c. usque dum cognatio cognoscitur coniugia interdicunt: at quoad gradus expresse indicatos non apparet expresse prohibitus gradus aliquis ultra tertium. Cf. c. LXI Conc. Agathensis et XXX Epaonensis cnn. Synodi Antissiodor. an. 590 et cn. XIV seq. Conc. Parisiensiis. Difficultatem auget Theodorus Cantuariensis, qui post medium seq. seculi floruit. Nam inter capitula eidem adscripta (cf. spicilegium Dacherianum Tom. IX) haec reperiuntur. Cap. XIII. » In tertia propinquitate carnis secundum graecos licet nubere sicut in lege scriptum est (lex Iustiniani in secundo quoque gradu (secundum ecclesiasticam quidem computationem) permittebat, non ergo ad hanc legem provocat Theodorus), in quinta secundum Romanos. Tamen in quarta non solvunt coniugium postquam

factum fuerit. (Idem mediante sec. VIII a Patribus Vermeriensibus et aliis quos vide infra, statutum est). In tertia propinquitate non licet uxorem alterius post obitum eius habere.

Cap. LXXXIV. In quinta generatione coniungentur: quarta si inventi fuerint coniuncti, non separentur: tertia, separentur. Praeterea Rabanus Maurus sec. IX in epist. ad Humbertum, mentione facta sententiae Isidori et Gregorii, utrique praefert et sequendam dicit doctrinam Theodori qui « inter Isidorum et Gregorium medius incedens definivit ut post quintam generationem iam licitum connubium fiat. » Verum ex capitulis Theodori, quae nunc feruntur, patet potius ipsum post quartam generationem licitum putasse coniugium.

Rabanus ergo sec. IX nullam legem ecclesiasticam noverat, quae post quintam generationem saltem coniugia interdiceret: imo nec post quartam. Nam in alio opusculo *De Consanguineorum nuptiis*, post citatos canones Gregorii II (quos vide infra), hos sequendos dicit, monens tantum « quod si quis voluerit se continere usque ad quintam vel sextam vel etiam septimam generationem, non prohibendus est, sed magis hortandus. » Cf. et decret. XXX Conc. Moguntini habiti ab eodem Rabano an. 847 inf. c. Attamen sec. VIII. iam Gregorius III in epist. ad Bonifacium (quam mirum est latuisse Rabanum) decrevisse se testatur ut usque ad septimam generationem unusquisque observet progeniem suam (v. inf.). Praeterea Zacharias in epist. Ad Theodorum Ticinensen (v. inf.) mentionem faciens epistolae Gregorii M. ad Anglos monet quod ipse pius Pater id concessit, ut rudibus et noviter ad Christum venientibus levia quaedam non graviora imponeret. Quibus verbis aperte alludit Zacharias ad epistolam eiusdem Gregorii ad Felicem, ut nulla ratio sit cur, amplius cum Petro Constant (in epistt. RR. PP. col. 416-17), qui integram non vidit Zachariae epistolam ad Theodorum, dubitemus de huius Gregorii ad Felicem epistolae authenticitate. Subdit porro ibid. Zacharias velle se ut populus curae Theodori commissus id observet non quod recens conversis concessum est, sed quod custodiunt ii qui, ab incunabulis sunt nutriti in catholica Ecclesia, ut scilicet dum se propria cognatione cognoverunt, modis omnibus abstineant. Cum vero gradus distinctius non declaret, videtur Zacharias eos intelligere quos Gregorius M. ad quam Theodorus Ticinensis provocaverat, indicavit, nempe usque ad septimum gradum.

Quid ergo censendum? Puto quod in Ecclesia id semper cautum fuerit quod usque dum quidam se de propria cognatione cognoverint, abstinerent a coniugio, (quam indeterminatam loquendi rationem etiam Nicolaus I retinere maluit cum scriberet ad Episcopos Germaniae (v. inf.), ac si gradus cognationis aliunde noti essent) non eandem tamen fuisse penes omnes rationem applicandi hanc legem. En Romae quidem proximisque in Ecclesiis aetate Gregorii M. atque ante ipsum ac postea legem valuisse ut quoniam post septimam generationem censebatur cognatio desinere, post septimam generationem solum coniugia licerent. Sane Modestinus (in dig. L. 38. Tit. 10 n. 4) iam dixerat: « non facile, quod ad nostrum ius attinet, cum de naturali cognatione quaeritur, se-

ptimum gradum quis excedit, quatenus ultra eum fere gradum rerum natura cognatorum vitam consistere non patitur. » Attamen censeo legem de hac re universalem in Ecclesia, haec omnia coniugia interdicentem, sive inductam ex praescripto Romanae Sedis sive ex consuetudine Romanum morem imitante, non nisi serius, post medium seculum IX invaluisse. Etenim, ut videbimus, plura provincialia concilia seculorum immediate sequentium hanc legem ignorant. At seculo nono praesertim ad finem vergente communiter recepta ea lex apparet.

Nisi forte velis cum aliquibus dicere discrimen, quod tot, inter canones se prodit non esse nisi verbale, ut nimirum alii computatione ecclestiastica in gradibus enumerandis, alii romana uterentur. At non possumus id recipere. Nam 1° si ita esset, qui computatione romana usi essent, pro quarto gradu ecclesiastico posuissent octavum: at huius gradus mentio nunquam occurrit. 2° Discrimen non est tantum inter duos limites quatenus quidam limitem figant e. g. in quarto gradu, alii in septimo. sed inter plures limites: nam reperies et eos qui in tertio gradu sistunt. 3° Cum quidam in Ecclesia Neapolitana computationem graduum more romano adhibendam censebant Alexander II (v. inf. suo loco) non respondit hactenus utrumque modum usurpatum fuisse ac perinde redire dummodo in computatione romana duplicetur numerus, sed prorsus reprobavit eam methodum computandi. Si cum Innocentius III in Conc. oecumenico (v. inf.) gradus prohibitos ad quartum coarctavit, quia in ulterioribus gradibus non poterat absque gravi dispendio prohibitio antea vigens generaliter observari, manifeste significavit quod prohibitio se porrigens usque ad septimum gradum, non differebat tantum verbis sed re a prohibitione usque ad quartum: secus nihil novi statuisset, idemque grave dispendium, cui obnoxii fideles erant, reliquisset intactum. Cf. quae dicemus ad cn. Conc. Romani sub Alexandro II.

EX CONCILIO BARCINONENSI

AN. 599.

Canon IV. Si qua virgo propria voluntate, abiecta laicali veste, devotarum more induta, castitatem servare promiserit, vel si qui hominum utriusque sexus poenitentiae benedictionem expetendo a sacerdote perceperint, et ad terrena connubia sponte transierint, aut violenter abstractae feminae a pudicitiae violatore se sequestrare voluerint, utrique ab ecclesiarum liminibus expulsi, ita ab hominum catholicorum communione sint separati ut nulla prorsus eis vel colloquii consolatio sit relicta.

Cf. cn. III. Conc. Lugdunensis an. 583.

UNIVERSIDAD AVTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

EX CONCILIO PARISIENSI

AN. 615.

Canon XIII. De viduabus et puellis, quae sibi veste in habitu religionis in domibus propriis, tam a parentibus quam per se ipsas mutaverint et se postea contra statuta Patrum vel praecepta canonum, coniugio crediderint copulandas, tamdiu utrique habeantur a communione suspensi quousque quod illicite perpetraverunt emendent, aut si emendare neglexerint, a communione ecclesiastica vel omnium Christianorum convivio in perpetuum sint sequestrati.

Professio religiosa virginibus et viduis etiam tum in domo propria ex vetere more permittebatur. Cf. can. praeced.

Ita canonem modo recitatum edidit Sirmondus. Balusius vero (in capitularibus Francorum) ex eodem Concilio edictum in hanc rem Regis Chlotarii referens, ita exhibet sub. n. XVIII. *Puellas et viduas religiosas aut sanctimoniales, quae se Deo voverunt, tam quae in propriis domibus resident, quam quae in monasteriis positae sunt, nullus nec per praeceptum nostrum competat, nec trahere nec sibi in coniugio sociare penitus praesumat. Et si quis exinde praeceptum elicuerit* (h. e. a rege impetraverit), *nullum sortiatur effectum. Et si quicumque aut per virtutem* (h. e. vim) *aut per quemlibet ordinem ipsas detrahere aut sibi in coniugium praesumpserit sociare, capitali sententia feriatur. Et si in Ecclesia coniugium fecerint et illa rapta aut rapienda in hoc consentire videbitur, sequestrati ab invicem in exilio deportentur et facultates eorum propinquis heredibus socientur.*

Has vero professiones religiosas in propriis domibus interdixit feminis Conc. Parisiense 6. an. 829, l. l. ep. 44. At cf. canonen XXIX Conc. Roman. sub Eugenio II. an. 826.

Canon XIV. Incestas vero coniunctiones ab omni Christianorum populo censuimus specialiter resecari, ita ut si quis relictam fratris, sororem uxoris, privignam, consobrinam, sobrinam, vel relictam item patrui atque avunculi vel in religionis habitu deditam coniugii crediderit consortio violandam, tamdiu a communionis gratia segregetur, quamdiu ab illicitis coniunctionibus sequestratione manifestissima debeat abstinere.

Vides incertis coniunctionibus connumerari connubia religiosarum.

EX CONCILIO RHEMENSI

CIR. AN. 625.

Canon VIII. De incertis coniunctionibus: si quis intra praescriptum canonibus gradum incestuoso ordine, cum his personis, quibus a divinis regulis prohibetur, se coniunxerit, nisi poenitentiam sequestratione testentur, communione priventur.

Ad canones iam vigentes provocatur. Editi scilicet in praecedentibus synodis Galliarum, habebantur ut lex communis Ecclesiae in Galliis. De legibus ab auctoritate civili profectis nulla mentio. Episcoporum decretum lex potius civilis secuta est. Nam in Capitulari Dagoberti Regis, qui anno 729 (ex Petavio) regnum auspicatus est tum altero pro Alamannis n. 39. tum tertio pro Baivariis Tit. 6, n. 1. edicitur. *Nuptias prohibemus incestas. Itaque uxorem habere non liceat socrum, nurum, privignam, novercam, filiam fratris, filiam sororis, fratris uxorem, uxoris sororem. Filii fratrum, filii sororum inter se nulla praesumptione iungantur. Si quis contra haec fecerit, a loci iudicibus separetur et omnes facultates amittat, quas fiscus acquirat.*

Canon XXIII. Viduas, quae se domino consecrari petierint, vel puellas Domino consecratas nullus neque per auctoritatem regiam neque qualicumque potestate suffultus aut propria temeritate rapere aut trahere audeat quod si utrique consenserint, communione priventur.

EX CONCILIO TOLETANO

AN. 633.

Canon XLIX. Monachum aut paterna devotio aut propria professio facit: quidquid horum fuerit alligatum tenebit. Proinde his ad mundum reverti intercludimus aditum et omnem ad seculum interdicimus regressum.

De hac consuetudine quam olim quoad clericos Concilium Toletanum 2^{m} an. 527 (vid. sup.) non probavit, quae tamen quoad monachos postea pluribus in locis obtinuit et quam regula benedictina vel induxerat vel firmaverat, ut pueris, postquam monasteriis a parentibus fuissent oblati, propositum deserere et ad seculum regredi nefas esset, lege Petri Constant RR. PP. Epistoll. ad s. Marcellum §. 2.^{m} Hunc morem quem canon hic Conc. Toletani 4^{i} confirmat, etiam probavit Gregorius II. epist. ad Bonifacium an. 726, resp. 7^{o}, minus probavit tamen Nicolaus I. epist. data ad universos episcopos in regno Ludovici an. 867 (cf. eius epist. 117^{a}). Idem mos tandem sensim sine sensu exolevit, et a Caelestino III reiectus est, cuius decretum exstat in decretalibus Gregorii IX. l. III. tit. XXXI. c. 14. Cf. item responsum XV. Leonis ad Rusticum s. c. et inf. positum Zachariae XXVII ex epist. ad Pipinum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Idem porro decretum hispanum instauratum est a Conc. Toletano 10 an. 655 cum hoc tamen temperamento cn. VI, *ut deinceps: parentibus filios suos religioni contradere non amplius quam usque ad decimum* (al. *quatuordecimum*) *aetatis eorum annum licentia poterit esse*. Scilicet qui decimum (al. quartum et decimum) annum attigerant sola sua poterant voluntate obligari.

Canon. LII. Nonnulli monachorum egredientes e monasterio, non solum ad seculum revertuntur, sed etiam uxores accipiunt. Hi igitur revocati in eodem monasterio, a quo exierunt, poenitentiae deputentur, ibique defleant crimina sua unde decesserunt.

Canon. LV. Hi qui detonsi a parentibus fuerint aut sponte sua, amissis parentibus, seipsos religioni devoverunt et postea habitum secularem sumpserint iidem a sacerdote comprehensi ad cultum religionis, acta prius poenitentia, revocentur quod si reverti non possunt (*nequeant scilicet revocari, utique quia nolunt*), vere ut apostatae anathematis sententiae subiiciantur. Quae forma servabitur etiam in viduis virginibusque sacris ac poenitentibus feminis, quae sanctimonialem habitum induerunt et postea aut vestem mutaverunt aut ad nuptias transierunt.

Quoad primam partem huius decreti cf. dicta ad can. XLIX.

Canon. LVI. Duo sunt genera viduarum, seculares et sanctimoniales. Seculares viduae sunt, quae adhuc disponentes laicalem habitum non deposuerunt: sanctimoniales sunt, quae iam mutato habitu seculari sub religioso cultu in conspectu sacerdotis vel ecclesiae apparuerint. Hae, si ad nuptias transierunt, iuxta apostolum non sine damnatione erunt, quia se primum Deo voventes, postea castitatis propositum abiecerunt.

Inter has connumerat Conc. Toletanum 10 can. v. etiam eas, quae *quamlibet a sacerdote vel ministro sanctimoniae vestem non accepissent, ipsae tamen aut indutae sunt, aut illo indui habitu consenserunt, qui religionis esse cultus ab intuentibus crederetur, sicque coram ecclesia vel sacerdote aut etiam competentibus testibus quandoque indutae certis indiciis aut testimoniis approbantur.*

Patet professionem religiosam feminis extra claustra licuisse tunc in Hispania.

Canon. LXIII. Iudaei, qui christianas mulieres in coniugio habent, admoneantur ab episcopo civitatis ipsius, ut si cum eis permanere cupiunt, christiani efficiantur. Quod si admoniti noluerint, separentur; quia non potest infidelis in eius permanere coniugio, quae iam in Christianam translata est fidem. Filii autem, qui ex talibus nati existunt, fidem atque conditionem matris sequantur. Similiter et hi, qui procreati

sunt de infidelibus mulieribus et fidelibus viris, christianam sequantur religionem, non iudaicam superstitionem.

Sermo est de christianis mulieribus, quae ex Iudaismo ad Christum conversae sunt post nuptias. Propter periculum perversionis praecipitur ut nisi vir convertatur, separentur et sic fiat facultas christianae mulieri alias ineundi nuptias. Ratione sane eiusdem periculi can. praeced. qui est LXII decretum fuerat ut: nulla ultra communio sit Hebraeis ad fidem christianam translatis cum his, qui adhuc in vetere ritu consistunt ne forte eorum participatione subvertantur. In Concilio autem Lateranensi 3° sub Alexandro III cn. XXVI excommunicantur christiani, qui cum iudaeis vel saracenis praesumpserint habitare, obtentu alendorum seu educandorum puerorum eius gentis, vel pro servitio, vel ex alia qualibet causa.

EX CONCILIO TOLETANO

AN. 638.

Canon. VI. Quisquis virorum vel mulierum habitum semel induerit spontanee religiosum, aut si vir deditus ecclesiae choro vel femina fuerit deligata puellarum monasterio, in utroque sexu praevaricator ad propositum invitus reverti cogatur; ut vir detondeatur et puella monasterio reintegretur. Si autem quolibet patrocinio desertores permanere voluerint, sacerdotali sententia ita de christianorum coetu habeantur extorres, ut nec locutio cum eis ulla sit communis. Viduae quoque, sicut universalis iamdudum statuit Synodus. (*Tolet. 4ª n. 633*) professionis vel habitus sui desertrices, superiori sententia comdemnentur.

Canon. VIII. Antiqui et sanctissimi est patris sententia papae Leonis (*cf. eius decr. XIII. ex epistola ad Rusticum s. c.*) ut is, qui in aetate adolescentiae positus, dum mortis formidat casum pervenerit ad poenitentiae remedium, si coniugatus (*erat*) et forte fuerit incontinens (*h. e. se continere haud valens*), ne postea adulterii incurrat lapsum, redeat ad pristinum coniugium, quousque possit adipisci temporis maturitate continentiae statum. Quod nos sicut de viris ita et de feminis aequo modo censemus non quidem generaliter et legitime (*ad modum legis iubentis*) praeceptum, sed constat a nobis pro humana fragilitate indultum ea dumtaxat ratione ut si is qui poenitentiae non est legibus deditus (*alter scilicet coniux, qui poenitentiae non subiicitur*) ante ab hac vita discesserit quam ex consensu ad continentiam (*forte conviventiam vel quid simile; certus enim sensus est: antequam rursus redeant ad copulam maritalem*) eorum fuerit regressus, superstiti (*qui poenitentiam egit*) non liceat denuo ad uxorios transire amplexus. Sin autem illius vita exititerit

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

superstes qui non accepit benedictionem poenitentis (*h. e. si superstes sit ille ex duobus coniugibus, qui non fuit poenitentiae subiectus, altero poenitente defuncto, ille superstes*) nubat si se continere non potest, et alterius consortio fruatur uxoris. Quod de utroque sexu pari modo nos manifestum est decrevisse.

Provocant quidem hi Patres ad responsum Leonis: attamen nimis illud coarctant. Ipsi enim poenitenti adolescenti, non concedunt post poenitentiam nisi reditum ad uxorem quam prius acceperat; at Leo simpliciter huiusmodi poenitenti, nuptias concedit.

Nam respondit inquisitioni *de his qui post poenitentiam uxores accipiunt vel concubinas sibi coniungunt*. Potius provocari potuissent ad cn. XXI Conc. Arleatensis 2ª an. 451 s. c.

EX CONCILIO TOLETANO

AN. 655.

Canon X. Quilibet ab episcopo usque ad subdiaconum vel ex ancillae vel ex ingenuae detestando connubio in honore constituti filios procreaverit, illi quidem, ex quibus geniti probabuntur, canonica censura damnentur: proles autem tali nata pollutione non solum parentum hereditatem nusquam accipiat, sed etiam in servitutem eius ecclesiae, de cuius sacerdotis vel ministri ignominia nati sunt, iure perenni manebunt.

Cum proles tanquam spuria existimetur, videntur hi Patres nuptias istas habuisse non solum illicitas sed invalidas.

EX CONCILIO NAMNETENSI

AN. 658.

Hoc concilium etsi a collectoribus Conciliorum ad sec. X referatur, habitum probabiliter fuit, iuxta Sirmondum, an. 658. Nam sequens eiusdem decretum recitatur a Benedicto Levita in sua collectione capitularium L. III. n. 382, qui ante medium sec. IX scripsit. Porro anno hoc 638 habitam fuisse synodum Namnetensem docemur a Flodoardo.

Canon XII. Si cuius uxor adulterium perpetraverit et hoc a viro deprehensum fuerit et publicatum, dimittat uxorem, si voluerit, propter fornicationem: illa vero septem annis publice poeniteat. Vir vero eius, illa vivente, nullatenus aliam accipiat, quod si voluerit adulteram sibi reconciliare, licentiam habeat, ita tamen ut pariter cum illa poenitentiam agat et exacta poenitentia post septem annos ad communionem uterque accedat. Similis forma et in muliere servabitur, si vir eius adulteravit.

Minus scilicet honestum videbatur his Patribus ideoque poenitentia expiandum, si adultera retineretur. Cf. cn. LXX Illiber. Cernis interea perfectam coniugii indissolubilitatem.

EX CONCILIO HERUDFORDIENSI

IN ANGLIA, SUB THEODORO CANTUARIAE EPISCOPO. AN. 673.

Canon X. Pro coniugiis. Ut nulli liceat nisi legitimum habere connubium. Nullus incestum faciat. Nullus coniugem propriam nisi ut sanctum evangelium docet, fornicationis causa relinquat. Quod si quisquam propriam expulerit coniugem legitimam sibi matrimonio coniunctam, si christianus esse recte voluerit, nulli alteri copuletur, sed ita permaneat aut propriae reconcilietur uxori.

Habes heic disserte propositum dogma catholicum: permissa quidem in causa fornicationis dimissione uxoris, ita tamen ut alteram non accipiat. Ex quo intelligis quam male inter capitula Theodoro eidem adscripta recenseatur et istud CXVI. *Cuius uxor fornicatur, licet eam dimittere et aliam accipere et mulieri non licet fornicare et alium accipere pecunia.*

EX CONCILIO TOLETANO

AN. 681.

Canon VIII. Praeceptum domini est ut excepta causa fornicationis, uxor a viro dimitti non debeat. Et ideo quicumque citra culpam criminis praedicti, uxorem suam quacumque occasione reliquerit, quia quos Deus coniunxit, ille separare disposuit, tandiu ab ecclesiastica communione privatus et a coetu omnium christianorum maneat alienus, quamdiu et ad societatem relictae coniugis redeat et partem sui corporis honesta lege coniugii sinceriter amplectatur et foveat.

EX CONCILIO TOLETANO

AN. 683.

Canon V. Nulli licebit superstitem reginam sibi in coniugio ducere non sordidis contactibus maculare. Non hoc secuturis regibus licitum, non cuiquam hominum licebit esse permissum. Quod si facere tale aliquid quisquam praesumpserit quod aut superstitem reginam post decedentis principis mortem sibi in coniugio copulet aut adulterina pollutione contaminet, sive sit rex, sive quilibet hominum, qui huius nostrae sanctionis sententiam violare praesumpserit, sit ab omni Christianorum communione seclusus et sulphureis contradatur cum diabolo ignibus comburendus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Idem decretum in Concilio Caesaraugustano 3° an. 691. cn. V. confirmatum est, addito decreto ut eadem superstes regina vestem secularem deponat et religionis habitum assumat ac confestim in coenobio virginum mancipetur.

EX CAPITULARI GREGORII II.

DATO MARTINIANO EPISCOPO ET GREGORIO PRESBYTERO ABLEGATIS IN BAIOARIEN. AN. 721.

Capitulum VI. Ita nubentibus vel nupturis ordinem ex auctoritate apostolica detis ut nec continentiae causa iudicetur damnabilis copula nuptialis nec per licentiam nubendi praesumatur occasio fornicandi... Et non liceat in invicem fraudare nisi ex consensu ad tempus ut vacent orationi, *(deest forte aliquid)* dicente de hoc ipso Apostolo: Alligatus es uxori, noli quaerere solutionem idest superstite coniuge ad alterius feminae concubitum non velle transire... Unde nec reputandum est recte coniugium, quod duorum excesserit numerum quia nisi in duobus non geritur iugum. Ipsum quoque unius viri et uxoris coniugium doceatur in proximitate sanguinis non esse penitus praesumendum: idest ne quis uxorem patris aut patrui aut fratris, sive sororem suam aut sororem patris vel matris sive filiam sororis suae seu etiam filiam sororis patris aut matris audeat sibi coniugio copulare aut in adulterio sociare. Quod si quis ausus fuerit perpetrare, noverit se incerti facinoris contaminatione obnoxium esse... Nuptiis quoque ipsis praeferenda fidelium virginum et continentium doceatur integritas.

EX CONCILIO ROMANO EIUSDEM GREGORII II.

AN. 721.

Canon I. Si quis presbyteram (*uxorem presbyteri*) duxerit in coniugium: A. S.

Cf. can. XXII. Syn. Antisiodorensis an. 590.

Canon II. Si quis diaconam (*uxorem diaconi*) in coniugium duxerit: A. S.

Cf. l. c.

Canon III. Si quis monacham, quam Dei ancillam appellamus. in coniugium duxerit: A. S.

Canon IV. Si quis commatrem spiritualem duxerit in coniugium A. S.

Canon V. Si quis fratris uxorem duxerit in coniugium: A. S.

Canon VI. Si quis neptem duxerit in coniugium: A. S.

Canon VII. Si quis novercam aut nurum suam duxerit in coniugium: A. S.

Canon VIII. Si quis consobrinam duxerit in coniugium: A. S.

Canon IX. Si quis de propria cognatione vel (*eam*) quam cognatus habuit, duxerit uxorem: A. S.

Cf. sequens eiusdem Gregorii II responsum ad Bonifacium. Liquet supponi notum quousque se protendat cognatio: generatim vero interdici inter consanguineos et affines coniugium. Quot autem gradus cognationis recensiti fuerint eiusdem Gregorii II responso ad Bonifacium mox citando et ex Isidoro et Gregorio M. s. c. discere licet tum ex seq. responso Gregorii III. Cf. et cn. XI. Con. Agathensis.

Canon XI. Si quis virginem, quam sibi non desponsavit (al. nisi desponsaverit), rapuerit vel furatus fuerit in uxorem, vel consentiens ei. A. S.

Permittitur raptori coniugium cum rapta, si desponsatio praecessit, quod negaverat Iustinianus. Cf. dicta ad cnn. Conc. Meldensis an. 845.

Gelasius quidem R. P. (in Fragmento apud Andream Thiel post eius epistolas) aiebat: *Lex illa praeteritorum principum ibi raptum dixit esse commissum, ubi puella, de cuius nuptiis nihil actum fuerat, videatur abducta.* Hunc sequitur Gregorius.

EX EPISTOLA EIUSDEM GREGORII II.

AD BONIFACIUM. AN. 726.

Responsum 1. In primis legebatur in quota progenie propinquorum matrimonium copulatur. Dicimus quod oportuerat quidem, quamdiu se agnoscunt affinitate propinquos, ad huius copulae non condere societatem. Sed quia temperantia magis et praesertim in tam barbara gente (*Germanis scilicet*) plus placet quam districtio censurae, concedendum est ut post quartam generationem iungantur.

Lex ergo Romanae Ecclesiae ultra quartum gradus prohibitos producebat.

Responsum II. Nam quod proposuisti, quod si mulier infirmitate correpta non voluerit debitum viro reddere, quid eius faciat iugalis? Bonum esset si sic permaneret ut abstinentiae vacaret. Sed quia hoc magnorum est, ille, qui se non poterit continere, nubat magis: non tamen subsidii opem detrahat ab illa, quam infirmitas praepedit et non detestabilis culpa excludit.

Cf. can. XXI. Conc. Aurelianensis 2° an. 533. Cum Thesim XIII scriberemus, probabile nobis videbatur hoc esse decretum Gregorii, ad quod Caelestinus III. *c. laudabilem De Frigidis* provocat, quia inter epistolas genuinas Gregorii sive secundi sive tertii hoc unicum decretum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

exstat, ad quod non immerito videbatur Caelestinus provocare potuisse et praesumebamus ad genuina documenta appellasse Pontificem. Quoniam vero iam in collectionibus canonum factis ante Caelestinum occurrebat canon sub nomine Gregorii illud idem pressius statuens quod Caelestinus decrevit, (in decreto Gratiani. C. XXVII. q. 2. c. 39. Ivonis p. VII. c. 177. Burchardi L. IX. c. 40) qui canon profecto potest esse genuinus, aeque hunc canonem alium a nostro prae oculis habuisse Caelestinum censent interpretes, nolumus contradicere opinioni communi.

EX EPISTOLA GREGORII III.

AD BONIFACIUM. AN. 731.

Decretum V. Progeniem suam unumquemque usque ad septimam generationem observare decrevimus (*quoad coniugia scilicet*).

Hic est primus ecclesiasticus canon, in quo disserte dicatur impedimentum consanguinitatis ad 7^m^ usque gradum porrigi. Hoc decretum veluti desumptum ex epistola Gregorii M. ad Felicem s. c. tribuunt eidem Gregorio Patres Concilii Duziacensis 2^i^ an. 874. Sed iidem Patres ibid. in aliis citationibus non parum errant. Si conferas hoc responsum Gregorii III ad Bonifacium cum responso Gregorii II ad eundem (resp. 1. supposita utriusque epistolae authenticitate, alterutrum dicas oportet, vel Gregorium III abrogasse concessionem prioris pro Germanis, vel solam legem generalem proposuisse et narrasse quid in Synodo decretum fuerit.

Decretum VI. Si valueris, devitandum doce, ne cui uxor obierit, amplius quam duabus debeat copulari.

Consilium est de meliori bono, non praeceptum, ut a tertiis nuptiis abstineant.

EX EPISTOLA ZACHARIAE R. P.

AD PIPINUM MAIOREM DOMUS, EPISCOPOS, ABBATES AC PROCERES FRANCORUM. AN. 747.

Responsa haec, iubente ipso Zacharia epist. VIII ad Bonifacium, in Concilio Episcoporum legenda erant.

Responsum VII. De laico pellente suam coniugem, ex canone SS. Apostolorum capitulo 48: Si quis laicus uxorem propriam pellens aliam vel ab alio dimissam duxerit, communione privetur.

Responsum XII. De his qui uxores aut viros dimittant, ut sic maneant, ex conc. Africano cap. 69. (*in Codice Dionysii inter Canones Africanos hic est 102^us^*) ita continetur: Placuit ut secundum evangelicam et apostolicam disciplinam etc.

Cf. supra cn. VIII ex Conc. Carthaginensi an. 407.

Responsum XX. De virginibus velatis, si deviaverint, quid de illis agendum sit, in libro decretorum b. Innocentii papae cp. 19 assertum est: quae Christo spiritaliter nubunt etc.

Cf. decretum eius XIII ex epist. ad Victricium s. c.

Responsum XXI. Item de non velatis virginibus, si deviaverint, in eodem libro cp. 20 continetur: Hoc vero quae necdum sacro velamine tectae etc.

Cf. decretum eius XIII. Ibid. s. c.

Responsum XXII. De his, quae duobus fratribus nupserint vel qui duas sorores acceperint, in Conc. Neocaesar. cn. II. continetur etc. (*cf. supr.*) Nos autem gratia divina suffragante, iuxta praedecessorum Pontificum decreta multo amplius confirmantes dicimus ut dum usque sese generatio cognoverit, iuxta ritum et normam christianitatis et religionis romanorum, non copulentur coniugia.

Cf. decretum Gregorii III et responsum Gregorii M. ad Felicem s. c.

Pergit ibid. *Sed nec spiritualem idest commatrem aut filiam, quod absit, quis ducat temerario ausu uxorem. Est namque nefas et perniciosum peccatum... In tantum enim grave est ut nullus sanctorum Patrum neque sanctarum synodorum assertione vel etiam in imperialibus legibus quispiam iudicatus sit, sed terribile iudicium Dei metuentes, siluerunt sententiam dare.* Cf. cn. IV. Conc. Rom. Gregorii II.

Etsi autem Iustinianus in Cod. L. V. Tit. IV. c. 26 prohibuerit nuptias cum ea persona, quam a sacrosancto suscepit baptismo: liquet tamen Zachariam potissimum auctoritate Patrum responsum suum munire, et cum id numquam Patres permisisse affirmat, patet legem Iustiniani eo spectasse ut Ecclesiae decretum confirmaret.

Responsum XXVI. De monachis et virginibus propositum non servantibus in libro decretorum b. Siricii papae cp. 6 continetur: praeterea monachorum quosdam atque monachorum etc.

Cf. eius Decr. VI. ex epist. ad Himerium s. c.

Responsum XXVII. De his, quae non coactae sed propria voluntate virginitatis propositum susceperunt, quod delinquant cum nupserint, in libro decretorum b. Leonis papae *cp.* 27. (*ita ex Dionysio*) continetur: Puellae, quae non coactae etc.

Cf. decretum eius XV. ex epist. ad Rusticum s. c.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

EX EPISTOLA EIUSDEM

AD THEODORUM TICINENSEM EPISCOPUM.

Responsum I. Nobis sciscitari curasti, si liceat filium, cuius pater alterius filiam ex sacro baptismate suscepit, idest spiritualem patrem (*forte* spiritualis pater), eiusdem (*alterius scilicet*) patris filiam, quod dici crudele est, in matrimonium suscipere, quod apud te enormiter reserasti contigisse (*Nimirum an filius illius qui aliquam feminam e sacro fonte suscepit, posset hanc ducere uxorem.*). Sed bene tua fraternitas novit quid Dominus per Moysem praecipiat dicens, turpitudinem patris tui non revelabis: filia enim patris tui turpitudo tua est. Turpitudinem enim non revelari dicitur, dum a propria consanguinitate praecipitur abstineri. Multo magis igitur a spiritalis patris nostri filia omnino, omni occasione aut argumento sepposito, sub nimia detestatione cavere nos convenit.

Ita etiam multo post Paschalis II (cf. infr. ad an. 1000–115) respondit, sed abrogatum id postea fuit ab Alexandro III. conf. inf. in collectione canonum ipsi adscriptorum sub titulo de coniungendis filiis etc.

Responsum II. De filiis autem, qui ex eis nati esse probantur: requisisti si liceat eos coniugio copulari, an. non. Sed hi cur prohibeantur a coniugio aut pro huiusmodi poenitentiam agere compellantur? dum ex hoc absque condemnatione esse probentur, quia non pater pro filio nec filius pro patre sustinebit tormenta.

Responsum III. De illo vero capitulo, quod nobis insinuasti, in qua debeatur generatione de propria cognatione coniungi, quod sibi alii vindicare volunt hoc quod a S. Gregorio directum apud Gentem Anglorum observandum usque in quartam progeniem. Sed ipse pius Pater ut rudibus et noviter ad Christum venientibus levia quaedam imposuit, nc si graviora imposuisset, duriter ferrent ea dura gens omnia, quae suscepissent, penitus abiicerent. Nos autem volumus ut non populus tibi commissus sicut qui noviter Christum susceperunt debeant observare: sed sicut qui in sancta catholica sunt e cunabulis nutriti Ecclesia, ut dum utique se de propria cognoverunt cognatione, modis omnibus abstineant: sicut hoc sancta Dei catholica et apostolica tenet et praedicat Romana Ecclesia.

Cf. eius. decr. VI. ex epist. ad Himerium s. c.

Traditio Romanae Ecclesiae, ad quam provocat; ea certa est, quam Gregorius III s. c. et Gregorius M. in epist. ad Felicem s. c. expresserunt.

Vides hoc responso Zachariae confirmari authenticitatem epistolae huius Gregorii M. ad Felicem, de qua Constant dubitabat.

EX CONCILIO ROMANO SUB EODEM ZACHARIA

AN. 743.

Canon V. Ut presbysteram, diaconam, nonnam aut monacham, vel etiam spiritualem commatrem nullus sibi praesumat nefario coniugio copulare... Si autem sic qui coniuncti sunt, admoniti declinaverint et ab alterutro fuerint divisi, poenitentiae submittantur.

Cf. cann. I, II, III, IV. Conc. Rom. Gregorii II et eiusdem Zachariae epist. ad Theodorum responsum I et epist. ad Pipinum, c. XXII. s. c.

Canon VI. Ut consobrinam, neptem, novercam, fratris uxorem, vel etiam de propria cognatione, nullus praesumat in coniugio copulare.

Indicatis aperte prioribus gradibus, ceteri sub formula generali comprehenduntur: *de propria cognatione*. V. eiusdem epist. Ad Theodorum.

Canon X. Si quis Christianus filiam suam Iudaeo in coniugio copulare praesumpserit, nisi perfecte (*Iudaeus*) crediderit Christo et baptizatus fuerit, et si vidua Christiana Iudaeum duxerit virum...A. S.

Poena infligitur: sed irritum coniugium nondum dicitur a Romana Sede.

Canon XV. Scripsimus de gradibus cognationum vel quomodo debeant quilibet amodo et deinceps legitimo coniugio copulari... Beatae memoriae praecessor noster Gregorius huius Apostolicae Sedis iunior Papa, propter aliquas illicitas coniunctiones quae fiebant per hanc Italiam seu Longobardorum provinciam vel in aliis locis, aggregato Sacerdotum collegio promulgata sententia, anathematis vinculo obligavit... Neque hoc silendum est quod in Germaniae partibus ita diu vulgatum est, quod quidem in archivio nostrae sanctae Ecclesiae scriptum minime reperimus, ipsis tamen asserentibus hominibus de Germaniae partibus didicimus, quod beatae recordationis sanctus Gregorius papa, dum eos ad religionem christianam divina gratia illustraret, licentiam illis dedisset in quarta se copulare generatione, sed dum rudes erant et invitandi ad fidem: quamquam minime scriptum ut dictum est, credere non ambigimus. Deo autem largiente, praeteritis annis litteras miserunt archiepiscopi et reges provinciae illius, petentes apostolica praecepta qualiter liceat eis coniugia copulare et quomodo debeant observare. Quibus, quantum Dominus dare dignatus est, admonitionis praecepto direximus.

Cuiusmodi vero fuerint haec praecepta non significat. Canon iste, ut vides, historicus est, et non minimum obscurus.

Quaeritur quis sit ille Gregorius iunior papa. Puto esse Gregorium II. Huic enim tribuitur Concilium Romanum actum an. 721 adversus illi-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cita coniugia: in quo praefationem exorsus Romanus Pontifex Gregorius inter cetera ait: « Ingemiscens dico quod populi christiani aliquos per provinciam Italiam commorantes audio temere contra catholicam fidem et patrum statuta peccare ita ut Deo sacratas feminas ducere praesumant mulieres et propinquas in coniugio socient. » Porro provincia Italia ea est pars, quam Longobardi obtinebant: ut ex historia constat et ipse Zacharias interpretatur. Gregorius autem III nullum de hac re habuisse concilium videtur. Etsi ergo postea a nonnullis sub nomine Gregorii iunioris intelligeretur Gregorius III ut interdum solet Gratianus, Zacharias tamen huius immediatus successor, Gregorium iuniorem appellavit Gregorium II respectu Gregorii M. qui fuit I.

Quaeritur quis sit ille sanctus Gregorius papa, a quo privilegium circa nuptias se accepisse asserebant Germani.

Aio esse eundem Gregorium II alio modo nunc appellatum, forte quia Zacharias recitat verba ipsa Germanorum, quibus hi auctorem privilegii nominarunt cum istud asseruerunt. Sane nequit sermo esse de Gregorio I, qui non Germanis sed Anglis privilegium et quidem amplius concessit. Praeterea de hoc privilegio Germanis concesso ita loquitur Zacharias ut quamdam subindicet dubitationem etsi fateatur se fidem adhibere affirmantibus: at de privilegio concesso a Gregorio Anglis valituro tantum dum adhuc essent rudes et infirmi, sine ulla dubitationis significatione tamquam de re omnibus comperta loquitur Zacharias in epist. ad Theodorum Ticinensem s. c.

Nec est cur arbitremur Germanos tanquam privilegium sibi indultum porrexisse illud, quod Anglis factum fuerat; penes quos praeterea ea aetate probabiliter iam cessaverat.

Neque ille sanctae recordationis Gregorius est Gregorius III, qui a contrario rescripsit Bonifacio ut usque ad septimam generationem caverent sibi a coniugio. Cf. responsum eius s. c.

At exstat sane responsum Gregorii II ad Bonifacium, quod superius suo loco recitavimus, quo gentibus barbaris a Bonifacio conversis privilegium conceditur coarctans gradus cognationis prohibitas pro coniugio. Discrimen est tantum quod dum Germani dicerent permissum sibi fuisse copulari *in quarta generatione*, textus Gregorii II dicat: *post quartam generationem*, sed difficultas haud est magni momenti. Nam haec profecto potuit esse ratio cur Zacharias dixerit se non reperire in archivio suae Ecclesiae hoc privilegium. Caterum si ipsa epistola, quae nunc exstat, Gregorii II ad Bonifacium, aberat ab archivio Romano, quod fieri poterat, vel dicendum est mendum irrepsisse alterutrum in locum, vel Germanos non satis accurate rem retulisse: vel bona fide putasse utramque phrasim tamtumdem valere, sicut perinde erat hebraeis atque evangelistis dicere *post tres dies* et *tertio die*.

EX CONCILIO SUESSIONENSI

CUIUS DECRETA EDITA SUNT CUM CONSENSU QUOQUE PRINCIPIS PIPINI ET OPTIMATUM FRANCORUM CONSILIO, UT DICITUR CP. X. AN. 744.

Canon IX. Constituimus ut nullus laicus homo, Deo sacratam feminam ad mulierem habeat, nec suam parentem, nec marito vivente suam mulierem alius accipiat; quia marítus mulierem suam non debet dimittere excepta causa fornicationis deprehensa.

EX CONCILIO LEPTINENSI

PRAESIDENTIBUS LEGATIS APOSTOLICAE SEDIS BONIFACIO ALIISQUE DUOBUS. AN. 745.

Canon III. Praecipimus ut iuxta canonum decreta adulteria et incesta matrimonia, quae non sunt legitima, prohibeantur.

Canon V. Si quis filiastrum aut filiastram suam ante episcopum ad confirmationem tenuerit, separetur ab uxore et alteram non accipiat *(ex Fulberto Carnot. epist. 33)*.

Canon VI. Nullus proprium filium vel filiam de fonte baptismatis suscipiat, nec filiolam nec matrem ducat uxorem nec illam, cuius filium aut filiam ad confirmationem tenuerit. Ubi autem factum fuerit separentur *(ex eodem)*.

Canon VII. Si vir mulieri desponsatae, dotatae ac publicis nuptiis ductae, secundum Apostolum debitum coniugale non potuerit reddere, et hoc aut amborum confessione aut certa qualibet approbatione fuerit manifestum, separentur et mulier, si se continere nequit, alteri viro legaliter nubat *(ex epist. 22. Hincmari Rhemensis ad Rodulphum)*.

Cf. responsum II. Gregorii II in eius epistola ad Bonifacium.

EX SYNODO GENERALI IN PROVINCIA FRANCORUM

CUI INTERFUIT BONIFACIUS LEGATUS APOSTOLICAE SEDIS, QUAE FORTE EADEM EST AC LIPTINENSIS SYNODUS (CF. HEFELE OP. CIT. AD AN. 745). HABITA FUISSE DICITUR. CIR. AN. 745.

Capitulum XIX. Agnati sunt, qui per virilem sexum descendunt, cognati qui per femineum. Et ideo patrui vel patruorum filii et agnati sunt et cognati. Avunculi vero et avunculorum filii cognati sunt, non agnati.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

EX STATUTIS S. BONIFACII

(EX SPICILEGIO DACHERIANO TOM. IX.) POST AN. 751.

Statutum XXXV. Admoneat unusquisque presbyterorum publice plebem, ab inlicitis connubiis abstinere et secundum Dei mandatum, legitimum coniugium nequaquam posse ulla occasione separari, excepta causa fornicationis, nisi cum consensu amborum et hoc propter servitium Dei.

Sermo est non de dissolutione vinculi, sed de separatione coniugum, quae, interveniente fornicatione, potest fieri ab innocente, altero invito; seposito vero hoc casu, fieri non posse dicitur nisi ex amborum consensu et quidem ob servitium Dei, puta ut vir ordines suscipiat vel uterque castitatem profiteatur. Mentio huius causae finalis sitae in servitio Dei satis ostendit prae oculis habuisse Bonifacium separationem tantum coniugum, non vinculi dissolutionem qua fiat aliarum nuptiarum potestas.

EX CONCILIO VERMERIENSI

APUD PALATIUM VERMERIAM, PRAESENTE PIPINO REGE, CELEBRATO AN. 753.

Canon I. In tertio geniculo coniuncti separentur et post poenitentiam actam, si ita voluerint, licentiam habent aliis se coniungere. In quarta autem coniunctione si inventi fuerint, eos non separamus. sed poenitentiam eis indicimus. Attamen si factum non fuerit, nullam facultatem coniungendi in quarta generatione damus.

Cf. dicta ad epistolas s. Gregorii M.

Canon II. Si aliquis cum filiastra sua (*privigna*) manet, nec matrem nec filiam ipsius potest habere, nec ille nec illa aliis se poterunt coniungere ullo unquam tempore. Attamen uxori eius si ita voluerint, si se continere non potest, si posteaquam cognovit quod cum filia sua vir eius fuit in adulterio, carnale commercium cum eo non habet, nisi voluntate se abstinet, potest alii nubere.

Cum dicitur talis vir adulter non posse habere matrem filiastrae, quae mater est uxor sua, illud habere de coniugali copula vel cohabitatione etiam accipiendum est, quae propter supervenientem affinitatem interdicitur.

In priore parte canonis poena statuitur illi qui cum privigna adulteretur, ut scilicet toto vitae suae tempore abstineat a coniugio, ut idcirco, defuncta quoque sua uxore, nequeat aliam ducere. Ab hac poena profecto immunis est uxor, quae proinde dicitur posse alteri nubere, dummodo tamen non habuerit commercium cum viro postquam eius adulterium scivit. Oppositio inter id, quod negatur viro et conceditur uxori innocenti, integra manet, si permissio facta uxori intelligatur de nuptiis secundis post mortem viri. Cf. cn. IX.

Vides praeterea crimen incestus impedire matrimonium quod quidem plures in seqq. occurrit: sed cf. responsa Nicolai I ad episcopos Germaniae an. 863.

Canon III. Si quis presbyter neptem suam uxorem habuerit, ipsam dimittat et gradum perdat. Si alius eam acceperit et ipsam a se reiiciat, si se continere non potest, aliam accipiat: quia reprehensibile est ut relictam sacerdotis alius homo habeat.

Scilicet quod iam statutum fuerat (cf. cn. I. Conc. Romani sub Gregorio II. S. C.) ut legitima uxor a defuncto presbytero relicta non posset ab alio accipi, patres isti valere volunt etiam in ea, quae presbytero illegitime coniuncta fuerit: propter quam illegitimam coniunctionem, (quam ante ordinationem, puto, Patres supponunt), presbyter punitur privatione sui gradus.

Canon V. Si qua mulier mortem viri sui cum aliis hominibus consiliavit et ipse vir ipsius hominem se defendendo occiderit et hoc probare potest, ille vir potest ipsam uxorem dimittere, et si voluerit, aliam accipiat. Ipsa autem insidiatrix, poenitentiae subacta, absque spe coniugii maneat.

Hanc potestatem factam viro aliam accipiendi interpretari licet quemadmodum in cn. I. cf. cn. IX.

Canon VI. Si quis ingenuus homo ancillam uxorem acceperit pro ingenua, si ipsa femina postea fuerit inservita (*revocata in servitutem*), si eam a servitute redimere potest, faciat: si redimi non potest, si ita voluerit, liceat ei aliam accipere. Similiter et mulier ingenua, si servum accipiat pro ingenuo et postea pro qualicumque causa inservitus fuerit, nisi pro inopia, fame cogente, se vendiderit et ipsa consenserit et de pretio viri sui a fame liberata fuerit, si voluerit, potest eum dimittere et, si se continere non potest, alium ducere.

Impedimentum est conditionis servilis. Cf. responsum IV Leonis ad Rusticum. s. c.

Canon VII. Si servus suam ancillam concubinam habuerit, si ita placet potest, illa dimissa, comparem suam, ancillam domini sui accipere: sed melius est ancillam suam tenere.

Sermo est de servo qui ancillas habet: (De servis apud Germanos seu Francos cf. Ducange lexicon ad v. servus) si ancillam suam habeat non uxorem sed concubinam, potest quidem illam abiicere: sed consulunt Patres ut eam teneat utique in uxorem.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Canon VIII. Si quis servus libertate a domino sua accepta, postea cum ancilla ejus adulterium perpetraverit, si dominus ejus vult, velit nolit, ipsam ad uxorem habebit. Quod si ipsam dimiserit et aliam duxerit, cogatur omnino ut posteriorem dimittat, et ipsam, cum qua prius adulterium fecit, recipiat aut illa vivente nullam aliam habeat.

Heic adulterium pro fornicatione accipitur.

Canon IX. Si quis necessitate inevitabili cogente in alium ducatum seu provinciam fugerit, aut seniorem suum (*suo signore,*) cui fidem mentiri non potest, secutus fuerit, et uxor eius, cum valet et potest, amore parentum aut rerum suarum, eum sequi noluerit, ipsa omni tempore, quamdiu vir eius, quem secuta non fuit, vivit, semper innupta permaneat. Nam ille vir eius, qui necessitate cogente in alium locum fugit, si nunquam in suam patriam se reversurum sperat, si se abstinere non potest, aliam uxorem cum poenitentia potest accipere.

Heic ipsa oppositio inter id quod in poenam uxori prohibetur, et viro permittitur, postulare videtur ut permissio facta viro sit aliam ducendi vivente etiam adhuc sua uxore; prohibetur enim uxor tantum alium virum accipere dum prior vivit, ut eo mortuo alium accipere non vetetur. Quod si tantumdem permissum viro esset, nullum discrimen appareret inter mulierem iniuste agentem ac virum innocentem, quod discrimen statuere velle Patres satis manifestum est. Errarunt scilicet isti Patres, quorum errorem paulo post emendavit Stephanus papa; (cf. eius responsum V. inf. cit.) et ante ipsum Zacharias responsis datis ad Pipinum omnesque Episcopos Francorum iam reiecerat (cf. resp. XII. s. c.). Obsequuti scilicet sunt ex parte hi Patres consuetudini quam Francorum gens, christianis licet sacris susceptis, nondum plene exuerat. Sane inter formulas civiles editas sub finem seculi praeced. a Marculfo monacho, exstat L. II. c. 30 formula chartae seu libelli repudii, quod coram comite peragebatur, hoc pacto concepta. *Dum inter illum et coniugem suam illam non caritas secundum Deum, sed discordia regnat et ob hoc pariter conversare minime possunt, placuit utriusque voluntate ut se a consortio separare deberent, quod ita et fecerunt. Propterea has epistolas inter se uno tenore conscriptas fieri et affirmare decreverunt, ut unusquisque ex ipsis, sive ad servitium Dei in monasterio aut copula matrimoniali sociare se voluerit, licentiam habeat et nullam requisitionem ex hoc de parte proximi sui habere non debeat etc.* Repudium istud a Francis usurpatum mitius erat eo quod Imperiales leges Graecorum permittebant; nam formula Marculfi significat utriusque consensum fuisse requisitum. Patres autem Vermerienses in poenam uxoris officium debitum detrectantis suo viro ea aetate, qua adeo obnoxii erant vassalli suis dominis nimisque frequens occasio huc illuc discurrendi, concesserunt viris de-

relictis a suis uxoribus, ut his repudiatis alias ducerent. Haec facultas facta in hac hypothesi viris a Patribus Vermeriensibus posset forte esse ratio cur quis suspicetur parem facultatem factam fuisse cn. I et V. Verum si verba accurate perpendantur, discrimen manifestum apparet: heic enim tantum et non in illis canonibus, sermo est de coniugio, quod ineatur vivente altero coniuge, quodque uni quidem prohibetur, alteri permittitur.

Canon X. Si filius cum noverca sua, uxore patris sui dormierit, nec illa nec ille possunt ad coniugium pervenire. Sed ille vir, si vult, potest aliam uxorem habere: sed melius est abstinere.

Canon XI. Si quis cum filiastra sua dormierit, simili sententia stare potest: et cum sorore uxoris suae simili modo stare potest.

Scilicet sententia canonis praeced. valeat et heic ut absque coniugio maneant semper vitricus et filiastra, femina eiusque sororius: (h. e. sororis vir) si incesta copula se polluerint: pars vero innocens alii nubere valeat, utique post mortem nocentis cf. cn. I.

Canon XII. Qui dormierit cum duabus sororibus et una ex illis antea uxor fuerit, nullam ex illis habeat: nec illa adultera soror, nec ille vir, qui cum illa adulteravit, alios unquam accipiant.

Scilicet qui cum uxoris sorore dormierit non amplius cum uxore rem habeat aut ab ea separetur (cf. cn. II), nec eam sororem accipere possit post mortem uxoris: quod quidem etiam flagitio eo non intercedente vetitum foret: proinde in peccati poenam interdicuntur adulteris etiam post uxoris mortem omnino nuptiae. Scilicet incestus impedimentum est impediens seu prohibens nuptias quaslibet.

Canon XIII. Qui scit uxorem suam ancillam esse et accepit eam voluntarie, semper postea permaneat cum ea.

Nimirum conditio dispar non irritat contractum si libera cum cognitione illius conditionis ineatur.

Canon XVII. Si qua mulier se reclamaverit quod vir suus nunquam cum ea mansisset, exeant inde ad crucem, et si verum fuerit, separentur et illa faciat quod vult.

Videtur sermo esse de viro qui nec fuerit unquam cum sua uxore, nec vellet in posterum esse. An haberemus heic solutionem matrimonii rati cuius facultatem Patres Vermerienses sibi vindicarint? Idem postea decretum fuit an. 799 in synodo Palisburgensi c. 15.

Canon XVIII. Qui cum consobrina uxoris suae manet, sua careat et nullam aliam habeat. Illa mulier, quam habuit, faciat quod vult. Hoc Ecclesia non recipit.

Postrema verba: *hoc Ecclesia non recipit,* ab aliquo exscriptore canonum addita certa sunt: quae et in cn. IX addi potuissent. Quatenus incestuosus nullam aliam habere permittitur, redit quod ultimo loco

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

monuimus sub cn. XII, atque in pluribus aliis canonibus huius aetatis apparet.

Cernis in his canonibus ex parte nimiam indulgentiam (cn. IX), ex parte eam severitatem, quam Ecclesia non censuit probandam, dum pro certis flagitiis nuptiae omnino toto vitae tempore interdicuntur. Res nempe erat Patribus cum viris adhuc agrestibus.

Eadem severitas talem poenam statuens apparet in aliis canonibus eiusdem Concilii citatis a Reginone Abbate Prumiensi in Lib. II de ecclesiastica disciplina.

Canon I. Si quis cum uxore fratris sui dormierit adulter et moecha diebus vitae suae absque coniugio maneat (*quoad moecham cf. notam ad cn. praeced. XII.*). Ille vero cuius uxor fuit, si vult, aliam uxorem accipiat.

Cf. dicta ad cn. I et IX.

Canon II. Si quis sponsam filii sui oppresserit et postea filius eius eam duxerit, pater postmodum non habeat uxorem, nec ipsa mulier virum. Filius, qui facinus patris ignoravit, aliam accipiat.

Canon III. Si quis filiastrum aut filiastram suam ante Episcopum ad confirmationem tenuerit, separetur ab uxore sua (*cf. responsum Zachariae XXII ad Pipinum: sicut enim ne fiat inter tales coniugium prohibetur, ita post factum separantur*), et aliam nunquam accipiat. Similiter et mulier.

Canon IV. Si quis cum matre et filia fornicatus est, ignorante matre de filia et filia de matre, ille nunquam accipiat uxorem. Illae vero, si volunt, accipiant maritos. Si autem hoc scierent ipsae feminae, absque maritis in perpetuum maneant.

Canon V. Similiter et de duabus sororibus: qui cum una in adulterio mansit et aliam publicę accepit, non habeat mulierem usque in diem mortis, et illa quae nescivit, accipiat maritum.

EX RESPONSIS STEPHANI III. AL. II.

QUAE IN FRANCIA DEGENS DEDIT MONASTERIO BRITANNICO SEU BRITENNACO AD VARIA CONSULTA (EDIDIT IAC. SIRMONDUS EX MS. LAUDENSI) AN. 754.

Responsum II. Si quis se in coniugio copulaverit et uni eorum contigerit ut debitum reddere non possit, non liceat eos separare nec pro alia infirmitate, excepto si daemonii infirmitas aut leprae macula supervenerit. Ceterum si ab his duabus infirmitatibus liberi fuerint, invicem coniuncti unus alteri servitium exhibeat.

Hoc pacto etiam alii Pontifices (cf. Lucii III responsum c. 4° Tit. XV Lib. IV.) responderunt, non copulam aut complexus maritales permittentes inter huiusmodi, nec iubentes proprie eos simul vivere et ab alio coniugio abstinere sed individuam vitam tamquam fratris et sororis commendantes si ipsi velint.

A quibus non dissentit Stephanus, qui negat quidem licere aliis eos separare, utique invitos, sed non negat eosdem posse, si velint, se separare ab invicem, atque aliis nubere. Quocirca in decretalibus L. IV. Tit. XV. c. 2, exstat responsio hac super re Romani Pontificis hoc pacto concepta: *Licet Romana Ecclesia non consueverit propter naturalem frigiditatem nec propter alia maleficia legitime coniunctas dividere si tamen consuetudo generalis Gallicanae Ecclesiae habet ut huiusmodi matrimonium dissolvatur, nos patienter tolerabimus, si secundum illam consuetudinem eidem mulieri, cui voluerit, nubendi in Domino concesseris facultatem. Sicut enim puer, qui non potest reddere debitum, non est aptus coniugio, sic quoque qui impotentes sunt, minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur.*

Habes heic clare expressam doctrinam Romanae Ecclesiae: impotentes non esse aptos ad matrimonium contrahendum, ideoque inter eos non posse exsistere vinculum coniugale. Quocirca societas, quae illis permittitur, nequit esse coniugalis, secus ac censuit Pontius. Cf. Th. ultimam. p. II.

Ceterum sensus huius responsionis Stephani forte est restrictus magis, ut nimirum sermo sit de impotentia non praecedente aut comitante contractum, sed de ea quae postea reapse supervenerit, et ideirco sermo sit manifeste de simplici separatione, quae, excepta hypothesi illarum infirmitatum, merito haud permittitur.

Responsum III. Si quis in aliena patria ancillam duxerit in consortium, postea in propriam reversus, ingenuam acceperit et iterum contigerit ut ad ipsam, in qua antea fuerat, patriam revertatur et illa ancilla, quam prius habuit, alii viro sociata fuerat; hic talis potest aliam accipere, tamen non illa vivente ingenua, quam in patria propria habuit.

Nimirum hoc alterum, non prius fuit verum coniugium propter impedimentum conditionis, iuxta responsum Leonis ad Rusticum Narbonensem c. V. s. c. quod idem Stephanus citat initio suarum responsionum.

Responsum IV. Nullus habeat commatrem suam spiritualem tam de fonte sacro quam de confirmatione, neque sibi clam in neutra parte, coniugio sociatam. Quod si coniuncti fuerint, separentur.

Cf. decretum Conc. Rom. sub Gregorio II et responsum XXII Zachariae Pipino s. c., praeterea cn. XXXI Conc. Cabilonensis 2. an. 813 et responsum Ioannis VIII. an. 879 inf. c.

Responsio est quidem Stephani ad interrogationem: si quis commatrem de baptismo vel confirmatione duxerit. Quid vero sibi velint ea

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

verba: *neque si clam in neutra parte,* si vera est lectio, lector inquirat.

Responsum V. Si uxor a viro repudiata fuerit, utrum liceat viro, illa vivente, aliam ducere, in epistola domni Innocentii papae directa ad Exsuperium Tolosanum episcopum continetur. Qui interveniente repudio etc.

Cf. hoc decretum s. c. Cf. hoc responsum Pontificis cum canone Vermeriensi paulo ante edito, ut veram Ecclesiae doctrinam cognoscas.

Responsum VI. De his, qui promissam virginitatem transgredientes matrimonium inierunt, in epist. b. Innocentii papae directa Victricio Rothomagensi episcopo c. 15 ita continetur. Eae vero, quae nec dum sacro velamine tectae etc.

Cf. s. c.

Responsum VII. De monachis et nonnis de monasterio fugientibus, in Conc. Chalcedon. cp. 16 ita continetur. Virginem, quae etc.

Cf. s. c.

Responsum VIII. De muliere, quae post mortem viri sui velata fuerit aliquantum temporis et postea virum accipit, in epist. Siricii papae ad Himerium Tarraconensem directa cp. 5 ita continetur. De his vero, qui acta poenitentia etc.

Decretum est quo statuit Siricius quid agendum cum iis, qui post actam poenitentiam redeunt ad illicitos concubitus, ut nempe communione sola, excepto mortis articulo, priventur. Quam formam, ait idem Siricius et circa mulieres, quae se post poenitentiam talibus pollutionibus devinxerint, servandam esse censemus. Porro prosequitur Stephanus: *qua de re iuxta huius venerabilis viri sententiam, eandem mulierem, quae tali nefario coniugio, abiecto monastico habitu, copulata est, et in id, quod Deo promisit, non perduravit, decernimus in monasterium sine mora mittendam, ut illic in sua poenitentia finiat vitam.*

Responsum IX. Si sanus vir leprosam duxerit uxorem ut (*an aut?*) postmodum ei superveniat lepra, postposita negligentia, tales separentur, ne concepti filii leprae macula polluantur. Fas namque est ut mundus ad mundam iungatur.

Responsum XVIII. De separata a marito, si vir eius in aliena provincia falso mortuus putabatur, in epistola b. Leonis papae directa ad Nicetam Aquileiensem episcopum ita continetur. Cum ergo per bellicam cladem etc.

Cf. s. c.

EX SYNODO VERNENSI

CORAM PIPINO REGE. AN. 755.

Canon XV. Omnes homines laici publicas nuptias faciant, tam nobiles quam ignobiles.

Cf. cn. XIII. Conc. Carthagin. an. 398 et capitulum in collectione Capitularium Benedicti Levitae, cit. ad an. 845.

EX CAPITULIS SYNODALIBUS

DATIS POST PRAECED. SYNODUM IN CIVITATE METENSI SUB PIPINO REGE.

Capitulum I. Si homo incestum commiserit de istis causis, de Deo sacrata, aut commatre sua aut cum matrigna spirituali de fonte et confirmatione Episcopi (*cf. Zachariae resp. XXII.*) aut cum matre et filia, aut sororis filia, aut nepte, aut cum consobrina aut sobrina (*cf. cn. XXX. ex Syn. Antisiod.*) aut cum amita vel matertera, de his criminibus pecuniam suam perdat, si habet; et si se emendare noluerit, nullus eum recipiat nec cibum ei donet.

EX CONCILIO COMPENDIENSI

CELEBRATO IN GENELALI POPULI CONVENTU. AN. 756.

Canon I. Si in quarta progenie reperti fuerint coniuncti, non separamus: in tertia vero si reperti fuerint, separentur. Et eos, qui unus in quarta, alius in tertia sibi pertinent et coniuncti inveniuntur, separamus.

Cf. cn. I. Vermeriensem et dicta post epistolas Gregorii M. et cn. seq. Conc. Moguntini an. 813.

Canon II. Si duo in tertio loco sibi pertinent sive vir sive femina, aut unus in tertio et alter in quarto, uno mortuo, non licet alterum accipere uxorem eius et si inventi fuerint, separentur. Una lex est de viris et de feminis.

Tertius scilicet et quartus affinitatis gradus ex legitimis nuptiis, matrimonium impedit et dirimit ex horum Patrum praescripto.

Canon III. Mulier si sine commeatu (*commiato, licenza*) viri sui velum in caput miserit, si viro placuerit, recipiat eum iterum ad coniugium.

Nulla est professio religiosa coniugis (intellige post consummatum matrimonium) non consentiente altero.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Canon IV. Si quis francam filiastram suam contra voluntatem ipsius et matris et parentum, dederit viro ingenuo aut servo vel ecclesiastico et illa noluerit habere ipsum et reliquerit eum, potestatem habent parentes ipsius dare ei alium maritum, et si ipsa alium habet, quem postea accepit, non separentur.

Consensus scilicet debet esse liber et sufficit consensus eorum, qui contrahunt.

Canon V. Si francus homo accepit mulierem et sperat quod ingenua sit et postea invenit quod non est ingenua, dimittat eam, si vult, et accipiat aliam. Similiter si femina ingenua accepit servum et sciebat tunc quod servus erat, habeat interim quo vivit. Una lex est viris et feminis.

Conditio servitutis ignorata impedimentum est.

Canon VII. Si quis uxore accepta invenit eam a fratre suo contaminatam, ipsam dimittens accepit aliam ipsamque contaminatam invenit, uxor (*haec altera*) illius legitima est, propterea quia nec ipse virgo fuit illo tempore. Quod si tertiam postea acceperit, revertatur ad medianam, et ipsa posterior potestatem habeat alio viro se coniungere.

Prima mulier contaminata a fratre, propter affinitatem nequit esse uxor eius. Altera contaminata quidem supponitur sed non a consanguineo: ratio vero, quae affertur ut haec altera retineatur, eo spectat tantum ut querelae viri faciat satis qui dicebat se deceptum dum virginem uxorem suam putabat: nam et ipse virgo non amplius erat: non est ergo cur defectum hunc in uxore reprehendat.

Canon VIII. Si quis homo habet mulierem legitimam, et frater eius adulteravit eam, ille frater vel illa femina, qui adulterium perpetraverunt, interim quo vivunt, nunquam habeant coniugium. Ille, cuius uxor fuit, si vult, potestatem habet accipere aliam.

Haec possunt rite accipi de potestate accipiendi aliam post mortem prioris, quae potestas adulteris negatur. Cf. cn. Vermerienses I et V.

Canon X. Si pater sponsam filii sui oppresserit et postea filius ipsam acceperit, pater eius postea non habeat uxorem et ipsa femina non habeat virum, quia non dixit quod pater eius cum ipsa mansisset. Filius vero eius, qui nesciens fuit, accipiat mulierem legitimam.

Canon XII. Si quis filiastrum aut filiastram suam ante Episcopum ad confirmationem tenuerit, separetur ab uxore sua et alteram non accipiat. Similiter femina (*quae idem admiserit*) alterum non accipiat.

Cf. responsum IV Stephani papae III.

Canon XIII. Si quis vir mulierem suam dimiserit et dederit commeatum pro religionis causa infra monasterium Deo servire aut foras monasterium dederit licentiam velare, sicut diximus, propter Deum: vir illius mulierem accipiat legitimam. Similiter et mulier (*quae virum ob eandem causam dimiserit*) faciat. Georgius Episcopus Romanus consensit.

Georgius iste est episcopus legatus Romani Pontificis Stephani ad Pipinum. Ex consensu huius, qui doctrinam Stephani (cf. eius responsum V.) et Romanae sedis ignorare non poterat, intelligere licet sensum canonis, qui etsi verbis generalioribus expressus potuit ex adiunctis habere sensum magis determinatum, scilicet agebatur de professione religiosa coniugis ante matrimonium consummatum.

Canon XIV. Si quis cum matre et filia in adulterio mansit, nesciente matre quod cum filia sua mansisset, similiter et filia nescivit quod cum matre sua esset, postea ille vir, si acceperit mulierem, dimittat, usque in diem mortis suae non habeat uxorem. Et illa mulier quam reliquerit, accipiat virum. Et illa mater et filia, cum quibus in adulterio mansit, ambabus nescientibus quod cum matre et filia mansisset, habeant viros. Nam si in notitiam illarum venerit hoc scelus, dimittant maritos et agant poenitentiam. Et illarum mariti posteriores accipiant mulieres.

Propter gravitatem sceleris prohibent Patres huiusmodi flagitiosis nuptias quaslibet ac irritant.

Canon XV. Similiter et de duabus sororibus, qui cum una in adulterio mansit et alteram in publico accepit, non habeat mulierem usque in diem mortis. Et illae duae sorores si nescierunt, habeant maritos. Et si in notitiam eis venit, superiorem formam servent.

Cf. can. II. Neocaes. et dicta ad cn. praeced.

Canon XVI. Si vir leprosus mulierem habeat sanam, si vult ei donare commeatum ut accipiat virum, ipsa femina, si vult, accipiat similiter et vir.

Nisi intelligas de matrimonio nondum consummato sed solum rato, cuius solutionem Patres (consentiente etiam Rom. Pontifice, cuius legatus aderat Concilio) concedunt: canon est discedens a doctrina catholica. Quoniam ergo non permisisset legatus Romanae Sedis tam abnorme decretum condi, licet nobis canonem modo, quo diximus, interpretari. Ceterum adverte non addi ad hunc canonem, quemadmodum ad quosdam alios, quod Georgius legatus nimirum S. Sedis, consenserit.

Canon XVII. Si quis accepit mulierem et habuit ipsam aliquo tempore et ipsa femina dicit quod non mansisset cum eo et ille vir dicit quod sic fecit, in veritate viri consistat, quia caput est mulieris.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Viro prae muliere credendum est, si probationes desunt. Quid simile refertur in decretalibus L. IV. Tit. XV. c. I.

Canon XVIII. Si quis propter faidam (*fehde, simultatem apertam, qua unus aliquis uni vel pluribus bellum denuntiat v. Du Cange*) fugiunt in aliam patriam et dimittunt uxores suas, nec illi viri nec illae feminae accipiant coniugium Georgius consensit.

Cf. responsum V. Stephani II.

EX EPISTOLA STEPHANI IV. AL. III.

AD CAROLUM ET CAROLOMANNUM REGES. AN. 770.

Vehementer Pontifex persuadere eos studet ne alter ex eis filiam Desiderii regis Longobardorum in uxorem accipiat. Et quidem pluribus ostendere nititur quam minime deceat Francos Longobardis coniugio copulari, sed potissimam non praeterit rationem ex lege divina, quamvis hanc censuerit aliis communiendam ut facilius animos eorum Regum e proposito deterreret. Ait ergo:

« Etenim iustissimi et a Deo instituti benignissimi reges, iam Dei voluntate et consilio coniugio legitimo ex praeceptione genitoris vestri copulati estis, accipientes, sicut praeclari et nobilissimi reges, de eadem vestra patria, scilicet ex ipsa nobilissima Francorum gente, pulcherrimas coniuges et earum vos oportet amori esse annexos. Et certe vobis non licet eis dimissis alias ducere uxores vel extraneae nationis consanguinitate immisceri... Mementote hoc, praecellentissimi filii, quod sanctae recordationis praedecessor noster Stephanus Papa excellentissimae memoriae, genitorem vestrum obtestatus est ut nequaquam praesumeret dimittere dominam et genitricem vestram et ipse, sicut re vera christianissimus rex, eius salutiferis obtemperavit monitis ».

Si recolas morem Francorum (cf. dicta ad cn. IX Vermeriensem), a quo nonnisi obtestante Romano Pontifice recessit Pipinus, intelliges cur Romanus Pontifex ad eas nuptias iam per se invalidas dissuadendas, a quibus tamen ex politica ratione ii Reges abhorrere non videbantur, praecipue immoretur in hac epistola evolvendis politicis argumentis.

Verum Carolus M. haud gessit morem Pontifici et Desiderii filiam in uxorem accepit, quam tamen post annum repudiavit, incertum qua de causa, ait Eginhardus, eo quod inhabilis esset h. e. impotens, ait Monachus Sangallensis. Qui in hoc coniugio cum filia Desiderii causam Caroli tuentur, aiunt nondum alteri uxori ipsum fuisse copulatum, sed solum ex consilio patris aliam iam ex gente Franca ei fuisse sicut et fratri suo, destinatam vel etiam desponsatam quod quidem non satis cum verbis recitatis Stephani cohaeret. Cohaeret tamen, ut verum fateamur, cum verbis Eginhardi, qui non dixisset, incertum qua de causa Carolus filiam

Desiderii repudiaverit, si priori uxori viventi ipsam superinduxisset. Cf. Baronium et Pagium ad an. 771.

EX SYNODO DINGOLVINGENSI

IN BAVARIA. AN. 769-771.

Canon IV. De eo, quod sanctimoniales, quae in servitio Dei sunt, ita constituit, ut nullus ausus sit in coniugium et matrimonium ducere, aut si quis ausus fuerit contra decretum canonum, ita componat sicut canones decreverunt.

Canon X. De eo quisquis servus mulierem nobilem acceperit in coniugium et non praescivit, ita constituit ut iterum libera esset, dimittat servum et postea non redigatur in servitium, sed esset libera.

EX CONCILIO CALCHUTENSI

IN ANGLIA, PRAESENTIBUS LEGATIS APOSTOLICAE SEDIS CELEBRATO, CUI ET REX ALFVOULDUS SUBSCRIPSIT. AN. 787.

Canon XV. Interdicuntur omnibus iniusta connubia et incestuosa tam cum ancillis Dei vel aliis illicitis personis, quam cum propinquis et consanguineis vel alienigenis uxoribus et omnino anathematis mucrone perfoditur, qui talia agit, nisi correptus resipiscat a tam nefanda praesumptione et suo episcopo obtemperans se ipsum ad aequitatis normam corrigat et revocet.

Canon XVI. Decreto abdicitur filiis meretricum legitima hereditas. Adulterinas namque filias ac sanctimonialium, auctoritate apostolica spurios et adulteros iudicamus. Virginem namque, quae se Deo voverit et ad instar s. Mariae vestem induerit, sponsam Christi vocitare non dubitamus... Imperavimus apostolicis verbis ut propter fornicationem fugiendam unusquisque laicus suam uxorem legitimam habeat et unaquaeque (*laica*) suum virum habeat ut secundum Dominum inde heredes legitimos habeant, fiantque heredes Dei, coheredes autem Christi. Ceterum sicut in canone vel in evangelica doctrina et decretis apostolicorum dogmatum, de legitimis matrimoniis vel statuto tempore nubendi vel abstinendi, scriptum est, his decretis nihil addere praesumimus vel demere.

Cum votum virginitatis probetur ipso initio canonis, liquet imperium, quod deinceps subditur, non eo spectare ut omnes nubant. Sed iteratur tantum Apostoli monitum ut 1° *laicus* qui nempe statum virginitatis vel continentiae per religiosam professionem non eligit, sed in seculo vivit; qui 2° se continere nequit ideoque ut fornicationem evitet, a qua refugere debet, vult 3° matrimonium inire, hic ineat legitimum matrimonium. Hoc tantum, iis tribus suppositis, praecipitur: legitimas scilicet esse nuptias Patres iubent.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

EX CAPITULARI AQUISGRANENSI CAROLI M.

AN. 789.

Capitulo XLIII. *Inculcatur Canon Concilii Africani de indissolubilitate Coniugii.*

Placuit ut secundum evangelicam et apostolicam doctrinam etc.

Franci cum suo Rege Ecclesiasticae in hac re disciplinae, quae a dogmate pendet, omnino se submittunt.

EX CONCILIO FOROIULIENSI

AN. 796.

Canon X. Placuit ut resoluto fornicationis causa iugali vinculo, non liceat viro, quamdiu adultera vivit, aliam uxorem ducere, licet sit illa adultera: sed nec adulterae, quae poenas gravissimas vel poenitentiae tormentum luere debet, alium accipere virum, nec vivente nec mortuo, quem non erubuit defraudare, marito. Nam etsi legatur in sacris evangelicis paginis, sola fornicationis causa dixisse Dominum dimittere virum uxorem suam, non tamen legitur concessisse aliam, vivente illa, in coniugio sibi sociare, prohibuisse quidem modis omnibus non ambigitur. Ait enim: quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem et aliam duxerit, moechatur, et qui dimissam duxerit moechatur.

Sequitur declaratio ex libello b. Hieronymi quod ea verba, nisi ob fornicationem, ad solam pertinere licentiam dimittendi uxorem, non vero aliam ducendi.

Vides duo statui a Patribus, primum quod nec vir nec adultera, vivente altero, aliud coniugium ineat: secundum quod adultera nec mortuo viro, alium ducat. Primum tantum ex doctrina Domini demonstratur: alterum enim ex ecclesiastica solum lege servabatur. Cf. canones vermerienses.

Canon XI. Placuit de feminis cuiuscumque conditionis, puellis scilicet vel viduis, quae virginitatis sive continentiae propositum spontanee pollicentes Deo emancipatae fuerint et ob continentiae signum nigram vestem quasi religiosam, sicut antiquus mos fuit in his regionibus, indutae fuerint, licet non sint a sacerdote sacratae, in hoc tamen proposito eas perpetim perseverare mandamus. Si vero postea sese sive clanculo corruperint sive publice nupserint, dignis quidem mundano iudicio corporalibus coercitae vindictis, segregentur ab invicem et agant cunctis diebus vitae suae poenitentiam et a communione Corporis et sanguinis Christi priventur etc.

Cf. cn. LVI Conc. Toletani 4^{i} s. c. ad an. 633.

EX CONCILIO ARELATENSI

AN. 813.

Canon XI. De Incestis coniunctionibus, sicut a ss. Patribus institutum est, nihil prorsus veniae reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint. Incestos vero, nullo coniugii nomine deputandos, quos etiam designare funestum est, hoc esse censemus. Si quis relictam fratris, quae pene prius soror exstiterat, carnali coniunctione violaverit, si quis fratris germanam uxorem acceperit, si quis novercam duxerit, si quis consobrinae suae se societ, si quis relictae vel filiae avunculi misceatur, aut patris filiae vel privignae suae concubitu polluatur; vel si quid est huiusmodi quod et hic annotare longum est et in exitii barathrum negligentem quemlibet immergit.

Canon est Synodi Agathensis sive Epaonensis iterum confirmatus. Heic legitur si quis fratris germanam uxorem acceperit, ibi: si quis frater germanam uxoris, quae lectio praeoptanda; quamque alii eodem pacto et canonem Agathensem legant ut Schmalzgrueber. in Lib. IV. Decret. tit. 14. §. 1. n. 47. Item heic legitur patris filia vel privigna sua, ut idem duplici forma dicatur: ibi patrui filiae, quae lectio forte et in canone hoc Arelatensi retinenda. Subdebant Patres Epaonenses: aut quis ex propria consanguinitate aliquam, aut (eam) quam consanguineus habuit, concubitu polluerit: id rursus voluisse Patres Arelatenses confirmare Patrum instituta secutos indubium est verbis illis: et si quid est huiusmodi etc.

EX CONCILIO MOGUNTINO

AN. 813.

Canon LIV. Contradicimus ut in quarta generatione nullus amplius coniugio copuletur: ubi autem post interdictum factum inventum fuerit, separetur.

Cf. can. I Vermeriensis et Compendiensis Synodi. Heic non amplius toleratur quod ibi permittebatur.

Canon LV. Nullus propriam filiam vel filiam de fonte baptismatis suscipiat: nec filiolam nec commatrem ducat uxorem, nec illam cuius filium aut filiam ad confirmationem duxerit. Ubi autem factum fuerit, separetur.

Cf. responsum IV Stephani II.

Canon LVI. Si quis uxorem viduam duxerit et postea cum filiastra fornicatus fuerit, seu duabus sororibus nupserit: aut si qua duobus fratribus nupserit, seu cum patre et filio, tales copulationes

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

anathematizari et disiungi praecipimus, nec unquam amplius coniugio copulari, sed sub magna districtione fieri.

Intelligo verbis « *et postea cum filiastra fornicatus fuerit* » significari matrimonium attentatum cum ea post mortem uxoris seu eiusdem matris. Praecipitur enim dissolutio ac si vinculum coniugii inter tales existere nequeat. Idem porro statutum est in Conc. Moguntino sub Rabano an. 847 v. inf. et eodem pacto responsum est a Nicolao I ad Carolum Archiep. v. inf. qui profecto non ignorabat per sequens incestum non dissolvi vinculum. Posses quidem suspicari solam praecipi perpetuam separationem: sed cum heic et a Rabano simul hic casus componatur cum eo quod quis duabus sororibus nupserit etc. unique sanctioni utrique subiiciantur, pro ceteris autem certum sit impedimentum dirimens, tenendum est etiam a priore casu de vinculi nullitate sermonem esse.

Habes quoque heic impedimentum incestus impediens. Cf. praeterea can. XI. Conc. Arelatensis. s. c.

EX CONCILIO CABILONENSI

AN. 813.

Canon XXVIII. Interrogaverunt nos quidam de affinitate propinquitatum et in quibus gradibus matrimonia iungenda sint quibus ad canones currere praecipimus et quod in eis continetur, hoc ab eis in hoc negotio, sicut in ceteris, observari debere.

Ad Canones non ad leges civiles provocatur. In quodam capitulo lib. 1, collectionis Benedicti Levitae, n. 310: *Nuptiae prohibentur incertae id est usque ad affinitatis lineam vel quamdiu inter se hereditare potuerint.* Affinitas scilicet tantum patet, quantum capacitas adeundi hereditatem (ab intestato.) Cf. quae afferemus ex Petro Damiano sub Conc. Romano Alexandri II.

Canon XXIX. Sane quae in proprio viro, haec nimirum in uxoris parentela de lege nuptiarum regula servanda est. Quia ergo constat eos duos esse in carne una, communis illis utrimque parentela esse credenda est.

Scilicet consanguinei coniugis sunt affines alterius.

Canon XXX. Dictum nobis est quod quidam legitima servorum matrimonia potestativa quadam praesumptione dirimant, non attendentes illud evangelicum: quod Deus coniuxit, homo non separet. Unde nobis visum est ut coniugia servorum non dirimantur, etiamsi diversos dominos habeant, sed in uno coniugio permanentes dominis suis serviant. Et hoc in illis observandum, ubi legalis coniunctio fuit et per voluntatem dominorum.

Canon XXXI. Dictum etiam nobis est quasdam feminas desidiose, quasdam etiam fraudelenter, ut a viris separentur, proprios filios

coram episcopis ad confirmandum tenuisse. Unde nos dignum duximus ut si qua mulier filium suum desidia aut fraude aliqua coram episcopo tenuerit ad confirmandum, propter fallaciam suam aut propter fraudem, quamdiu vivet agat poenitentiam, a viro tamen suo non separetur.

Cf. et responsum Ioannis VIII ad Anselmum Episc. an. 879 inf. Scilicet ius quidem petendi amittit, quod poenitentem non decet, non vero debitum reddendi.

EX CAPITULARI AITONIS

EPISCOPI BASILEENSIS. CIR. ANN. 822.

Capitulum XXI. Sciant et intelligant quid sit incesti crimen et hoc unusquisque in sua parochia provideat ne fiat et si factum fuerit, quantum celerrime potuerit, emendetur. Idest nullus sibi accipiat de propinquitate usque in quinto genu (*gradu, generatione*). Quod si ignoranter factum fuerit, non facile credatur, sed iudicio Dei examinetur. Ea non separentur in quarto genu, sed in poenitentia cunctis diebus coniunctionis suae perseverent... In primo vero genu vel secundo si inventi fuerint, scelus se perpetrasse fornicationis, matrimonii iura ulterius sciant se funditus perdidisse. In tertio vero si inventi fuerint tali crimine pollutos esse, digna poenitentia eos subsequatur, et tamen matrimonii iura eis, non vicissim, sed ad alias non negentur. Ubi vero mancipia non unius sed diversae potestatis iuncta fuerint, nisi consentientibus utrisque dominis, huiusmodi copulatio rata non erit.

Scilicet qui inventi fuerint coniuncti in quarto gradu, hos non vult hic Episcopus separari, sed iugi poenitentiae subiici donec coniugium duret. Coniunctus in tertio gradu separat, sed post poenitentiam eis coniugia cum aliis permittit. Coniunctus autem in secundo et primo gradu separat eisque spem adimit cuiusque alterius coniugii. Discedit hic Episcopus a praescripto Conc. Mogunt. c. LIV s. c. et accedit Concilii Vermeriensis can. I. Quoad coniugia servorum consentit Concilio Cabilonensi 2°. cn. XXX. s. c. et Basilio. cn. XL. cf. ibid. Incestum quoque in primo et secundo gradu impedimentum esse impediens decernit.

EX SYNODO ROMANA EUGENII II.

AN. 826.

Canon XXIX. Feminae, quae habitum religiosum aut velamen obtentu religiositatis susceperint, cum essent viri potentes, deinceps viris sociari non permittantur, sed eligentes monasteria regulariter

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vivant aut in domibus susceptum habitum caste observent. Contra autem turpes inventae providentia Episcopi emendentur.

Cf. Decreta Innocentii I. s. c.

Canon XXXVI. Nulli liceat, excepta causa fornicationis, adhibitam uxorem relinquere et deinde aliam copulare, alioquin transgressorem priori convenit sociari coniugio.

Scilicet si alteram ducere tentaverit, transgressor exsistens, ad priorem, a qua separatus est, redeat. Pergit:

Sin autem vir et uxor divertere pro sola religiosa inter se consenserint vita, nullatenus sine conscientia episcopi fiat, ut ab eo singulariter proviso constituantur loco. Nam uxore nolente aut altero eorum, etiam pro tali re (*h. e. religiosa vita*) matrimonium non solvatur.

Scilicet separatio in hac hypothesi interdicitur.

Canon XXXVII. Nulli liceat uno tempore duas habere uxores uxoremve et concubinam... Nam sicut Christus castam observat ecclesiam, ita vir castum debet custodire coniugium.

Canon XXXVIII. Consobrinam, neptem, novercam, fratris uxorem, vel etiam de propria cognatione, aut quam cognatus habuit, nullus audeat sibi in coniugio copulare. Si quis vero huic tali nefario coniugio convenerit et in eo permanserit, sciat se apostolica auctoritate anathematis vinculo innodatum et nullus sacerdos illi tribuat communionem. Si vero conversus divisusque ab illicita fuerit copulatione, dignae poenitentiae submittatur, ut sacerdos loci consideraverit.

Cf. canones Gregorii II. in Conc. Rom.

EX CONCILIO VERNENSI

AN. 844.

Canon V. Qui sanctimonialibus illicite miscentur et sacrilega federa cum eis faciunt nuptiarum, eos Innocentii papae censura a communione iubet suspendi et nisi per publicam probatamque poenitentiam omnino non recipi, at his certe viaticum de seculo transeuntibus, si tamen poenituerint, non negari.

Canon VI. Ab altero vero desponsata et ab altero rapta puella, secundum statuta Ancyrani Concilii, ei, a quo desponsata fuerat, reddenda est, etiamsi vim a raptore pertulerit. De raptoribus autem id nobis videtur optimum, ut quoniam ecclesiasticam excommunicationem parvipendunt, secularium legum terreantur auctoritate.

EX CONCILIO MELDENSI ET PARISIENSI

AN. 845–46.

Canon LXIV. Raptores virginum et viduarum, qui etiam postea voluntate parentum eas quasi desponsantes sub dotalitii nomine in coniugium duxerunt, publicae poenitentiae subigantur et post publicam poenitentiam, prout praeviderit Episcopus, peractam, ne in peius corruant, iterum convenientes, de cetero eleemosynis et ceteris quibusve religiosae et salvificae conversationis actionibus inservire procurent, usquequo ab opere coniugali ex consensu se valeant abstinere. Filii vero ex huiusmodi vituperabili coniunctione ante coniugium etiam minus laudabiliter procreati, ad ecclesiasticam dignitatem nullo modo provehantur nec de tali coniugio generati ecclesiaticis ordinibus applicentur, nisi forte eos aut maxima Ecclesiae utilitas vel necessitas postulet, vel evidens meritorum praerogativa commendet.

Canon LXV. Hi autem, qui necdum eas rapuerant, cum voluntate parentum, sub praefato desponsationis vel dotalitii nomine, in coniugium sumptas habent, quando in omnium aures haec fuerit constitutio promulgata *(qui nempe illud fecerint ante cognitam hanc constitutionem v. can. seq.)*, ab earum coniunctione separentur et publicae poenitentiae subigantur: raptae autem parentibus legaliter restituantur. Post paractam vero publicam poenitentiam, si aetas et incontinentia exegerit, legitimo et ex utrisque partibus placito coniugio socientur. Nam in his non regulam constituimus, sed ut verbis magni Leonis utamur, quid sit tolerabilius aestimamus, quod si unus ex coniugatis obierit, is qui publicam poenitentiam egit et superstes exstiterit, iterare coniugium non praesumat, nisi forte episcopus praeviderit aliquam concedere indulgentiam, ut graviorem possit amovere offensam.

Canon LXVI. Quicumque vero deinceps *(a notitia huius constitutionis)* rapere virgines vel viduas praesumpserit, secundum synodalem b. Gregorii definitionem, ipsi et complices eorum anathematizentur et raptores sine spe coniugii perpetuo maneant.

Iustinianus Cod. L. IX. Tit. XII. prohibuit ne unquam inter raptorem et raptam matrimonium consisteret sive ante raptum desponsata fuerit, sive secus, negata facultate raptae virgini vel viduae exposcendi sibi raptorem suum in maritum. Hanc legem sub hac universalitate Ecclesia non probavit. Cf. canonem XI Gregorii II in Conc. Romano. s. c. qui non bene citatur ab his Patribus, et can. Lucii III. *Cum causam, De raptoribus*, qui Gregorio consentit, atque Innocentii III. can. *Accedens*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ibid. tum Trid. Syn. Decretum Sess. XXIV cp. VI. Videntur hi Patres media quodammodo via incedere voluisse.

Canon LXVIII. De his, qui sponsas alienas rapiunt, vel consensu parentum accipiunt, antiqua et synodalis sententia observetur (*cf. cn. XI. Conc. Ancyrani*). Quod etsi forte in ecclesia eventus talis reperiri dignoscitur, ut pro salutis et religionis competentia humanius quiddam debeant tractare Pontifices.... nullo modo, ut ad maximam indulgentiam descendamus, alterius sponsae acceptor sine publica transeat poenitentia et sponso legaliter multam componat.

Canon LXIX. Is, qui vivente marito coniugem illius adulterasse accusatur, et eo in proximo (*paulo post*) defuncto, eandem sumpsisse dignoscitur, omnimodis publicae poenitentiae subigatur: de quo etiam post poenitentiam praefata (*cn. praeced.*), si expedierit, servabitur regula (*ut eam nempe accipere in coniugem valeat*): nisi forte idem aut mulier virum, qui mortuus fuerat, occidisse notentur; aut propinquitas aut alia quaelibet actio criminalis impediat: quod si probatum fuerit, sine ulla spe coniugii cum poenitentia perpetuo maneant.

Habes impedimentum criminis dirimens. Huiusmodi matrimonium, etiam non intercedente occisione, iam absolute proscripserat nullumque esse praeceperat Iustinianus Novel. 134. c. 10 et 12. Patres huius legis rationem non habent, qui illud absolute solum interdicunt, secuta quoque occisione viri. Cf. cn. XL. Concilii Triburiensis inf. c. Adverte Petrum Damianum (post Burchardum in Decr. L. VII. c. 14.), in suo opusc. *De Parentelae gradibus* c. 4. tribuere Concilio Meldensi canonem sequentem inquiens: habet hoc Meldense concilium: *De Affinitate*, inquit, *sanguinis per gradus cognationis placuit usque septimam generationem observare* (perperam heic finem canonis ponunt editores). *Nam et hereditas rerum per legales definitiones sancitur utique ad septimum gradum praetendere heredum successionem: non enim succederent, nisi eis de propagine cognationis deberetur.* Cum in Collectionibus Conec. nulla alia Synodus Meldensis exstet, quae canones condidisse dicatur, praeter hanc, crederes huic adiudicandum esse canonem istum. At codices cum non referunt ea probabiliter falsa inscriptione deceptus fuit Petrus: attamen integer canon apud nullam aliam Synodum, quam cognoscamus, reperitur. Hic canon a Gratiano causa XXXV. q. 2. c. 1. adscribitur Gregorio Papae in Concilio Meldensi. Cf. quae dicemus sub decreto Conc. Romani Alexandri II.

IN COLLECTIONE CAPITULARIUM BENEDICTI LEVITAE

IUSSU OTGARII ARCHIEPISCOPI MOGUNTINI AN. 845. EXSTAT LIB. III, SUB N. 179 DECRETUM HOC PACTO.

Sancitum est ut publicae nuptiae ab his, qui nubere volunt, fiant... Prius conveniendus est sacerdos, in cuius parochia nuptiae fieri debent, in ecclesia coram populo. Et ibi inquirere una cum populo ipse sacerdos debet si eius propinqua sit an non... Postquam omnia probata fuerint et nihil impediverit, tunc si virgo fuerit, cum benedictione sacerdotis, sicut in sacramentario continetur et cum consilio multorum bonorum hominum publice et non occulte ducenda est uxor, ut boni ex eis filii, Domino miserante, procreentur.

Cf. cn. XV Vernensis Synodi an. 775.

EX EPISTOLA DECRETALI LEONIS IV.

AD EPISCOPOS BRITANNIAE. AN. 847.

Decretum V. Ut definitum est a Patribus, nullus de propria cognatione sibi audeat copulare: alioquin anathema sit. Unde b. iunioris Gregorii decreta eximia sunt retinenda.

Si non antea nunc certe privilegium Gregorii M. in Anglia abrogatum fuit.

Gregorius iunior est Gregorius II. cuius synodalia Decreta exstabant.

EX CAPITULARIBUS BENEDICTI LEVITAE

LIB. III. CAPIT. 463 ITA HABET.

Decretum est ut uxor legitime viro coniungatur. Aliter enim legitimum, ut a patribus accepimus et a sanctis apostolis eorumque successoribus traditum invenimus, non fit coniugium nisi ab his, qui super ipsam feminam dominationem habere videntur et a quibus custoditur, uxor petatur et a parentibus propinquioribus sponsetur et legibus (*legitime*) dotetur et suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus et oblationibus a sacerdote benedicatur et a paranymphis, ut consuetudo docet, custodita et sociata a proximis et tempore congruo petita legibus detur et sollemniter accipiatur. Et biduo vel triduo orationibus vacent et castitatem custodiant ut bonae soboles generentur et Domino suis in actibus placeant. Taliter enim et Domino placebunt et filios non spurios sed legitimos atque hereditabiles generabunt.

Vides Francos id summopere semper habuisse cordi ut cum consensu parentum nuptiae fierent.

UNIVERSIDAD AVTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ex Lib. II. ibid. **cap. 235.** Qui causa fornicationis dimissis uxoribus suis alias ducunt, Domini sententia, adulteri esse notantur.

EX CONCILIO MOGUNTINO

SUB RABANO. AN. 847.

Canon XX. Parricidis... non licebit ultra militiae cingulum sumere et nuptiis vel coniugiis copulari, quia sacri canones hoc eis non consentiunt.

Impedimentum impediens criminis, non nunc sed antea constitutum.

Canon XXIX. Si quis viduam uxorem duxerit et postea cum filiastra sua fornicatus fuerit, seu duabus sororibus nupserit, aut si qua duobus fratribus nupserit seu cum patre et filio: item si quis relictam fratris, quae pene prior soror exstiterat, carnali coniunctione violaverit, si quis neptem in coniugium acceperit, si quis novercam aut nurum suam duxerit, si quis consobrinae suae impudice se sociaverit vel relictae sive filiae avunculi aut patrui filiae, vel privignae suae *(iam ab initio id expressum)* concubitu pollutus vel huiuscemodi coniunctionis attactu maculatus fuerit, eos disiungi et ulterius numquam coniugio copulari, sed sub magna districtione fieri volumus.

Cf. cn. LVI Conc. Moguntini an. 813. Prohibitionem tamen legitimi matrimonii huiusmodi incestuosis, peracta poenitentia, sustulit Conc. Wormatiense an. 868. cnn. XXXIII. XXXVI. XXXVII.

Canon XXX. Contradicimus quoque ut in quarta generatione nullus amplius coniugio copuletur ubi autem post interdictum factum inventum fuerit, separetur. Sane eadem, quae in viri haec nimirum in uxoris parentela de lege nuptiarum regula custodienda est. Quia ergo constat eos duos esse in carne una, communis illis utrimque parentela esse credenda est.

Cf. Rabani hac super re sententiam allatam a nobis per epistolas Gregorii M.

EX CONCILIO TICINENSI

AN. 850.

Canon IX... Monendi a presbyteris sunt patres familias, ut filiabus suis tempestive nuptias provideant et calorem ferventis aetatis coniugali lege praeveniant... Ad ultimum hoc noverint ecclestiasticis sanctionibus esse praefixum ut nullus publice poenitens usque ad tempus perfectae poenitentiae coniugium contrahere valeat.

Poenitentia publica impediebat matrimonium: sed hoc impedimentum heic coarctatur ad ipsum tempus poenitentiae.

Cf. dicta ad decretum VI Leonis ad Rusticum.

Canon X. De raptoribus vero, antiquorum Patrum statuta sequentes hoc tenendum censemus, ut si eas rapuerint, quae cum sponso pariter benedictione sacerdotali initiatae sunt, licet easdem corruperint, abstrahantur tamen ab his et propriis sponsis reddantur. Quae vero vel viduae vel adhuc sponsae non fuerint et absque ipsorum et parentum voluntate rapiuntur, nihilominus parentibus vel propinquis restituantur, et aliis, si voluerint, nubant: nam ipsis, a quibus raptae sunt, legitimae demum uxores nullatenus esse possunt. Ipsos autem raptores eisque auxilium praebentes, quamquam anathematizandos antiqui canones praecipiant, in ultimo tamen constitutis, si devote postulaverint, sacrae communionis viaticum pro misericordia dandum non negamus.

Cf. quoad primam partem cn. XI. Conc. Ancyrani, s. c. Quoad secundam canones paulo ante citatos Conc. Meldensis ibique notata. Rigorem Patrum Ticinensium Ecclesia non probavit, quae coniugium permittit si rapta libertati restituta sponte consentit.

Canon XXIV. Inhibendum decernimus ut nulli deinceps imperfectae aetatis puero adulta femina iungatur: sed cum ad aetatem idoneam adolescentes venerint, tunc legitimo possint coniugio copulari.

Impedimentum scilicet aetatis producitur.

EX CONVENTU MOGUNTINO

PLURIUM EPISCOPORUM, PRAESIDENTE RABANO, SUB LODOVICO GERMANIAE REGE. AN. 851.

Capitulum XII. Si quislibet concubinam habuerit quae non legitime fuit desponsata, et postea desponsatam rite puellam duxerit, abiecta concubina, habeat illam, quam legitime desponsavit. De hac Leo Papa in decretis suis ita definivit dicens: dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium etc.

Cf. eius decretum IV ad Rusticum, s. c.

Capitulum XV. De eo, qui uxorem habet, si concubinam habuerit, non communicet. Ceterum autem is, qui non habet uxorem et pro uxore concubinam habet, a communione non pellatur: tantum ut unius mulieris aut uxoris aut concubinae, ut ei placuerit, sit coniunctione contentus. Alias vero vivens abiiciatur, donec desinat aut ad poenitentiam revertatur.

Est canon XVII Conc. Toletani an. 400 (v. sup.) eodem pacto, quo illum interpretati sumus, accipiendus. Imo ex repetitione huius canonis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

facta sec. IX confirmatur interpretatio tradita canonis hispani. Liquet autem hoc seculo in Germania, sicut olim in Hispania, mulieres legitimo coniunctas matrimonio discretas fuisse in uxores et concubinas.

Capitulum XX. Quicumque discernit a presbytero, qui uxorem habuit, quod non oporteat eo ministrante de oblatione percipere, A. S.

Cf. can. IV Conc. Gargrensis, s. c. et quae ibi notavimus.

EX CONCILIO TULLENSI

APUD TUSIACUM. AN. 860.

Canon II. De velatis et sacratis Deo tam viduis quam virginibus, si clam adulteraverint aut publice nupserint... volumus ut usque in finem vitae in ergastulis retrusae poenitentiam agant; viri autem, qui vim eis intulerint (*h. e. eis abusi sint*) et ipsi censura ecclesiastica ad poenitentiam constringantur.

EX EPISTOLA NICOLAI I.

AD ADONEM ARCHIEP. VIENNENSEM. AN. 862.

Responsum I. Requiritis, si dimissa uxore, quam legitime sponsatam quis duxerit, quia nomen malum postmodum ei imposuit, absque decreto generalis synodi, liceat ei aut aliam accipere contra auctoritatem evangelicam aut, illa superstite, pro uxore concubinam habere. Quibus nos apostolica auctoritate fulti secundum evangelicam sanctionem omnino resistimus et nec aliae uxoris copulam eis, qui talia agunt, dimissa superstite, habere concedimus, neque concubinam habendi licentiam tribuimus.

Verba illa: *contra evangelicam auctoritatem* inserta quaestioni, non sunt eorum qui requirebant, sed ipsius Nicolai rem per se considerantis.

Responsum II. De eo, si desponsata, nesciente sponso, corrumpatur et postmodum dote facta, maritali more cum eadem idem sponsus iacuerit: si postmodum intercepto (*al.* interiecto) tempore liceat ei ipsam quasi ab alio corruptam dimittere et sic aliam ducere, quasi ista non fuerit uxor, aut concubinam pro ea tenere. Nec hoc consentimus ut hi, qui legitimo nuptiarum federe coniunguntur et unum corpus per aliquod temporis spatium efficiuntur, divortium faciant. Sed quod prius initio coniunctionis corruptae percipiendo voluntarie tacuerunt, postmodo intercepto tempore sustinendo etsi non voluntarie, inviti custodiant: etiam a concubinis omnimode se abstineant.

Altera pars responsi *(sed quod prius tacuerunt)* paululum obscura est. Videtur supponere Nicolaus quod sponsus ab initio ante copulam maritali

affectu peractam (per quam sponsalia tunc in matrimonium transibant) cognoverit corruptionem sponsae et voluntarie tacuerit: id tamen videtur esse alienum a specie casus. At reapse non est alienum: nihil enim huic hypothesi adversum occurrit in propositione casus. Nec mirum esse debet quod sponsus prius propter affectum erga sponsam vitium illud parvi penderit; deinde vero defervescente affectu, crimen sponsae obiecerit, volueritque ex eo causam arripere solvendi coniugii. Vult ergo dicere Nicolaus quod licebat quidem sponso ante congressum maritalem dimittere sponsam eiusque nuptias detrectare propter illud crimen aut vitium, sed coniugio peracto id amplius non licere.

EX EPISTOLA EIUSDEM NICOLAI I.

AD EPISCOPOS GERMANIAE, QUI AD CONCILIUM MOGUNTIAE CONVENERANT. AN. 863.

Quia Abboni veridicis, ut fertis, testibus in vestro concilio comprobatum est quod contra sanctorum canonum sanctiones uxorem accipere praesumpsisset, in quarta etiam generatione sibi copulasset, sancimus et apostolica promulgatione decernimus huius infausti coniugii omnimodis copula dissolvatur, quia propriae consanguinitatis et cognationis demonstratur atque cognoscitur esse. Et hoc vobis interrogantibus statuimus ut nulli liceat christiano de propria consanguinitate sive cognatione uxorem accipere usque dum generatio recordatur, cognoscitur, aut memoria retinetur. Laetamur autem vestramque laudamus industriae observantiam, quia in hac re bb. antecessorum nostrorum Gregorii et Zachariae Pontificum hactenus in vestris parrochiis, ut vestris protulistis in litteris, observando tenetis (*decreta*). Dixistis enim in quota generatione sibi fideles iungatur. Nos autem generationum in hac re numerum non definimus, sed, ut supra retulimus, incunctanter observare monemus.

Cf. quae disputavimus post epistolas Gregorii M. Heic quoque Nicolaus abstinet a clara determinatione graduum consanguinitatis et affinitatis, sed formula utitur generali. Episcopi Germani paulo ante in Concilio Moguntiaco sub Rabano irritaverant coniugia tantum usque ad quartum gradum, iidemque noverant, ut ex hac epistola Nicolai colligere licet, decreta Gregorii II et Zachariae. Nunc Episcopi Germani, dubii forte an rite intellecta fuerint ea decreta, interrogant Nicolaum in quota generatione liceant coniugia: respondet Pontifex quod usque dum quidam se de eadem cognatione cognoscunt, nequeant coniugio copulari.

Attamen in collectione Capitularium Benedicti Levitae ea aetate adornatae Lib. III. n. 432 decretum extat, quod citatur quoque in suis canonibus ab Isaaco Lingonensi et ab Herardo Archiepisc. Turonensi in suis capitulis cir. an. 858, ita habere: *Nullus fidelium usque adfinitatis lineam idest usque in septimam progeniem, consanguineam suam*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ducat uxorem, vel eam quoquo modo incesti macula polluat. Verum eadem aetate, ut refert Hincmarus Rhemensis episc. XXII nobilis quidam vir Stephanus nomine se excusabat a consummatione matrimonii cum ea, cuius antea consanguineam violaverat, quia, quemadmodum dicebat, audierat quod *a quarto genere et in reliquum* (scilicet infra) *pertinentes sibi copulari non valerent.* Quocirca in Concilii Wormatiensi anno 868 cn. 32 adhuc Patres: cum Nicolao loquebantur; vid. inf. Cf. doctrinam Petri Damiani quam infra damus sub concilio romano Alexandri II. Cf. praeterea responsum Ioannis VIII ad Airardum inf. c. simulque verba Synodi secundae Duziacensis an. 874 inf. c.

Prosequitur Pontifex ad alia pergens. Et de parricidis et fratricidis, praescripta idonea poenitentia, decernit: Ne uxoribus si habuerint non separentur: si autem non habuerint et se continere non valuerint, legitimas accipiant in coniugio feminas, ne fornicationis voraginem incidere videantur.

Cf. dicta ad responsum VI. Leonis ad Rusticum. Permittit Nicolaus exacta poenitentia, parricidis et fratricidis nuptias inire.

Rursus: Si quis cum duabus (*sororibus?*) fuerit fornicatus aut cum his personis, de quibus sacra scriptura prohibet, si dignam egerit poenitentiam et tamen non maluerit continentiam sustinere, liceat legitimam coniugio uxorem accipere. Similiter et mulier, quae tali fuerit scelere lapsa, ut fornicationis ad chaos non perducatur, perficiat.

Relaxat Pontifex legem prohibentem matrimonium propter crimen incestus, tantumque postulat ut de eo crimine digna poenitentia agatur. Sed cf. eius responsum I seq. ad Arduicum Archiepisc. Vesontionensem.

Item « Si quispiam cum matre spirituali fuerit fornicatus, anathematis, ut scitis, percutitur ictibus. Similiter autem et illum percutere promulgamus, qui cum ea, quam de sacro fonte baptismatis susceperit, aut cum illa, quam ante episcopum tenuerit, cum sacro chrismate fuerit uncta, fornicationis crimen perpetraverit: legitimam autem, si habuerit, non dimittat uxorem. »

Non agit Pontifex de matrimonio, quod cum huiusmodi personis attentetur, sed de peccato fornicationis, quod gravius est cum personis cognatione spirituali coniunctis.

EX EPISTOLA EIUSDEM NICOLAI
AD CAROLUM ARCHIEPISCOPUM MOGUNTINAE ECCLESIAE. AN. 863.

« Si vir viduam duxerit in coniugium ex priore habentem marito filiam et cum eadem filia postmodum concubuerit, coniugium modis omnibus matrimonii dissolvatur et vir ille poenitentiae subiaceat sanctionibus, ita ut etc. »

Cf. cn. LVI. Conc. Moguntiae an. 813 ibique notata.

EX EPISTOLA EIUSDEM NICOLAI
AD RODULPHUM ARCHIEPISC. BITURICENSEM. AN. 864.

Responsum V. De his qui filiastros suos ad confirmationem coram episcopo tenent, idest qui filios uxoris suae de viro priori, dum chrismantur ab episcopis, super se sustinent, si inscitia, sicut asseris, fit, licet sit peccatum, tamen non usque ad separationem coniugii puniendum.

Responsum VI. Interfectores suarum coniugum, cum non addis adulterarum, vel aliquid huiusmodi, quid aliud nisi homicidae habendi sunt ac per hoc ad poenitentiam redigendi? quibus coniugium penitus denegatur, exceptis adolescentibus, de quibus est b. Leonis vigesima quinta decretalium regula (*in collectione scilicet Dionysiana: ea est quam dedimus supra ex epist. ad Rusticum decr. XIII.*), imo indulgentia observanda.

Crimen interfectae coniugis impedimentum est impediens omnes, praeter adolescentes, a coniugio.

EX EPISTOLA EIUSDEM NICOLAI
AD ARDUICUM ARCHIEPISC. VESONTIONENSEM. AN. 865.

Responsum I. Has, quae duobus fratribus nupserint vel qui duas sorores uxores acceperint, Conc. Neocaesariense usque ad mortem abiici et in exitu suo poenitentiae remedium, dissolutis dumtaxat huius coniunctionis vinculis, consequi iubet. Hos autem vel has, qui vel quae post poenitentiam nova coniugia et inhibitos appetivere concubitus, b. papa Siricius a dominicae mensae convivio separat et solo viatico, cum ad Dominum ceperint proficisci, per communionis gratiam voluit talibus subveniri. Quo ergo pacto aliquo possunt uti coniugio, quibus nec inhibitos denuo repetere concubitus nec rursus nova coniugia licet contrahere, cum etiam dissolutis huiusmodi coniunctionis vinculis, nonnisi in exitu poenitentiae remedium tales consequi possunt?..

Inhaeret Pontifex legi communi et non permittit in Archiepiscopatu Vesontionensi quod permiserat locis Germaniae in epist. ad Episcopos Germaniae, ut poenitentia non esset perpetua, eaque absoluta, nuptiae legitimae contrahi possent. Dispensatio scilicet a lege actus est liber, quem prudentia regit, ut secundum diversas conditiones alteri concedat quod alteri negat.

Responsum II. Hos vero, qui de propria consanguinitate ac de propria cognatione uxores accipiunt vel nubunt, quis non reprehendat vel arguat? Cum etiam sancti praedecessores nostri apostolicae sedis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

antistites, Gregorius scilicet et Zacharias hos anathematis mucrone percutiant et dissolvi huiusmodi copulam, utpote more bestiarum contractam, omnino voluerint. Iam vero postquam dissoluta copula fuerit, ab invicem separati, si possint, quod sciscitaris, ad melius commeare coniugium, nulla ratio patet (*patitur?*). Quoniam cum hi poenitentiae submittendi sint, nec hos inhibitos sibi concubitus nec alia nova debent appetere coniugia.

Urget legem prohibentem coniugium poenitentibus: subdit tamen:

« Si quilibet de hac infausta commixtione post dissolutionem copulae obierit, alter, qui superstes fuerit et in adolescentiae adhuc annis detinetur, si ingruente aliquo forte discrimine egit poenitudinem et se non posse continere conqueritur, coniugii valet remedio subveniri. Cuius indulgentiae formam volumus etiam circa feminas observari. In quo tamen non regulam constituimus, sed cum eximia columna Ecclesiae b. Leone papa quid sit tolerabilius aestimamus. »

Cf. responsum praeced. cuius rigor ex eo procedit quod illud peccatum peccantibus poenitentia usque ad mortem antiquo canone praescripta fuerit, cuius canonis vim noluit relaxare Pontifex: poenitentibus vero non liceret contrahere nuptias.

EX RESPONSIS EIUSDEM NICOLAI AD BULGAROS. AN. 866.

Responsum II. Ita diligere debet homo, qui se suscepit ex sacro fonte sicut patrem: quinimo quanto pretiosior est spiritus carne, quod illud spirituale est patrocinium et secundum Deum adoptio, tanto magis spiritualis pater est in omnibus a spirituali filio diligendus.

... Est tamen alia inter eos gratuita et sancta communio, quae non est dicenda consanguinitas, sed potius habenda spiritualis proximitas. Unde nec inter eos arbitramur esse quodlibet posse coniugale connubium, quandoquidem nec inter eos qui natura et eos qui adoptione filii sunt venerandae Romanae leges matrimonium contrahi permittunt. Siquidem primus Institutionum liber, cum de nuptiis loqueretur; inter cetera, inter eos, inquit etc... Si ergo inter eos non contrahitur matrimonium, quos adoptio iungit, quanto potius a carnali oportet inter se contubernio cessare, quos per caeleste sacramentum regeneratio S. Spiritus vincit?

Legem auctoritate Ecclesiae (cf. canones Gregorii II.) iam pridem latam argumento quodam confirmat Nicolaus, quo non ostendit unde vim obligandi ea lex mutuetur, sed quo congruentiam eiusdem legis demonstrat.

Simul autem indicat probari Ecclesiae caesaream legem quae impedimentum adoptionis statuit illudque merito supponimus iamdudum valuisse apud christianos. Quod vero huiusmodi lex vim apud christianos alligantem non obtinuerit a potestate civili sed a sola Ecclesia, demonstramus suo loco in tractatu, c. IV. nunc nobis satis sit haec animadversio. Nicolaus venerandas vocans Romanas leges, (ad quas non raro in his responsis provocat) quae in Iustiniani codice continentur, non minimum auctoritatis eis tribuere dicendus est. At unde ipsis haec auctoritas in Occidente, ubi imperium Romanum restitutum iam fuerat independens a Graecis? Non certe Occidentales populi, Angli, Franci, Germani, Longobardi legibus Imperii Orientis tenebantur. Si solius civilis potestatis rationem habes, omni vi destituebantur eae leges penes populos, quibus cum Iustiniano eiusque successoribus nihil erat commune in politico regimine. Alterutrum ergo de duobus dicendum: vel quod ab ipso initio cum eae leges latae sunt, obligabant vi sua omnes christianos tum praesentes tum futuros tum subditos Graeci imperii tum non subditos, vel quod aliquando suprema quaedam potestas in Occidente valens eas leges probaverit, iisque auctoritatem penes christianos conciliaverit. Haec autem suprema potestas vel fuit Regum Francorum vel Romanorum Pontificum. Atqui primum satis absurdum est: oportuisset enim ab Imperatore Graeco ferri leges ad christianos quatenus christiani sunt; etiamsi subditi non sint Graeci imperii: hoc vero ridiculum fuisset: illud proprium et primum est Ecclesiae. Porro Reges Franci etsi permiserint Romanis secundum suas leges vivere, proprias tamen ipsi leges tulerunt tot capitularibus contentas, secundum quas Missi dominici ius dicere debebant. Restat ergo ut dicamus leges Romanas incepisse aliquando valere ac tandem obtinuisse plenam auctoritatem in Occidente avulso ab Imperio Graeco, eo quod Ecclesia eas probavit. Quod quidem ita contigisse arbitramur. Primum enim in re canonica illas leges Ecclesia, quatenus eidem visum est, retinens aut emendans, auctoritate sua freta proposuit christianis populis: in re vero civili, pro auctoritate, qua Ecclesia pollebat, easdem commendans societatibus, quae exoriebantur, effecit ut primum Imperatores Franci permitterent Romanis secundum leges romanas vivere (cf. Capitulare Lotharii datum sub Eugenio II an. 824) tum deinde romana sapientia romanisque moribus praevalentibus, eaedem leges sensim sine sensu ab omnibus acciperentur, quantum quidem diversarum nationum mores et consuetudines petiebantur. Propter Ecclesiae scilicet acceptationem factum est ut leges Romanae evaderent *venerandae*; quae socians simul utrumque ius canonicum et civile voluit sui iuris peritos notitia quoque caesarei iuris penitus informari. Ex quo intelligis cur recentiora iura, succedentia in civilibus societatibus iuri antiquo Romanorum, nequeant sibi eam vindicare auctoritatem, quam ius Romanum non a potestate seculi, sed ab Ecclesia mutuatum erat. Cetera cf. l. c.

Responsum III. Sufficit secundum leges consensus eorum, de quorum coniunctionibus agitur. Qui consensus si solus in nuptiis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

forte defuerit, cetera omnia etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur.

Habes heic emendatam legem Iustiniani, qui frequenter ut iustae sint nuptiae filiorum familias, consensum requirit eorum, quorum sunt in potestate. Instit. L. I. Tit. X. Cod. L. V. Tit. IV.

Responsum XXXIX. De consanguinitate generationum exquiritis, ut quibus utique feminis iungi debeatis, liquido cognoscatis. Verum quod leges (*Romanae*) heic sanciunt iam meminimus *(resp. scilicet II)* et denuo memorare summatim operae pretium ducimus. Aiunt enim: Ergo non omnes nobis uxores ducere licet; nam quarumdam nuptiis abstinere debemus. Inter eas enim personas, quae parentum liberorumve, locum inter se obtinent, nuptiae contrahi non possunt, veluti inter patrem et filiam, vel avum et neptem, matrem et filium, aviam et nepotem et usque in infinitum. Inter eas quoque personas, quae ex transverso gradu cognationis iunguntur, est quaedam similis observatio, sed non tanta *(Institut. de L. I. Tit. de Nuptiis)*. Sacri vero canones et praecipue Zachariae summi praesulis decreta quid hinc promulgent, episcopo vestro vobis explorandum relinquimus.

Opus habuit Nicolaus citare sacros canones et Decreta Romanae sedis non solum ut in hac re Ecclesiae auctoritatem tueretur, sed ne nimis mancam notitiam graduum consanguinitatis prohibitorum suggereret consulentibus: leges enim Romanae interdicentes consanguineorum et affinium nuptias, paucos inter gradus sistunt.

Responsum LI. Duas tempore uno habere uxores nec ipsa origo humanae conditionis admittit nec lex christianorum ulla permittit.

EX EPISTOLA EIUSDEM NICOLAI

AD SALOMONEM EPISCOPUM CONSTANTIENSEM. AN. 867.

Sciscitatur a nobis sanctitas vestra, si aliquis homo duas commatres habere valeat unam post alteram. In quo meminisse debet scriptum esse: erunt duo in carne una. Itaque cum constat quia vir et mulier una caro per connubium efficiuntur, restat nimirum virum constitui illi mulieri, cuius (*al.* cui) matrimonio assumpta uxor commater esse videbatur.

Vir scilicet commatris evadit compater illius, cuius uxor est commater. Sed non usu receptum. Cf. cn. Syn. Triburiensis inf. cit.

EX CONCILIO WORMATIENSI

AN. 868.

Canon XXXII. In copulatione fidelium generationis numerum non definimus, sed id statuimus ut nulli christiano liceat de propria consanguinitate sive cognatione uxorem accipere, usque dum generatio recordatur, cognoscitur aut memoria retinetur.

Est exactus canon ad normam responsi Nicolai ad Episcopos Germaniae.

EX CONCILIO DUZIACENSI

AN. 874.

Proponitur doctrina Gregorii quoad gradus prohibitos in eiusdem epistola ad Felicem s. c. eidemque tribuuntur haec verba.

Progeniem suam unumquemque de his, qui fideliter edocti et iam firma radice plantati stant inconvulsi, usque ad septimam observare decernimus generationem et quamdiu se cognoscunt affinitate propinquos, ad huius copulae non accedere societatem.

Cf. notata ad Decretum Gregorii III anno 731.

EX EPISTOLA IOANNIS VIII.

AD EDERETUM ARCHIEP. ANGLORUM. AN. 877.

His, quos asseris uxores proprias contra praecepta Domini relinquere, praecipimus neque virum ab uxore neque uxorem a viro, nisi causa fornicationis, discedere: quod si ob hoc discesserit, manere innuptum vel innuptam aut sibi mutuo reconciliari. Quoniam dicente Domino: quod Deus coniunxit homo non separet et ideo cum priorem legitimo sibi matrimonio iunctam quisque deserere nequeat; nulla ratione illi conceditur aliam, vivente priore, conducere.

EX EPISTOLA EIUSDEM IOANNIS VIII.

AD ANSELMUM EPISCOPUM LEMOVICENSEM. AN. 879.

Si genitor filium suum corpore morientem aspiciens, ne animam morte perpetua pereuntem dimitteret, sacri baptismatis unda lavit... bene fecisse laudatur. Et idcirco cum sua uxore sibi iam olim legitime sociata impune quamdiu vixerit iudicamus manere coniunctum, nec ob hoc aliquatenus separari debere.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

EX EPISTOLA EIUSDEM IOANNIS VIII.

AD AIRARDUM ARCHIEPISCOPUM AUSCENSEM EIUSQUE SUFFRAGANEOS AN. 879.

Mentione facta execrabilis mali, quod scilicet eorum parochiani propinquam accipiant uxorem, ait.

Quod licitum facere christianis non est, dum usque se generatio cognoverit.

Subdit post pauca. Hoc etiam cum illis (*Patribus scilicet*) pariter iubemus ut nullus propriam relinquat uxorem et illa vivente alteram sibi sociare praesumat, nec liceat ei uno tempore duas habere uxores uxoremve et concubinam.

Cf. et epist. eius 345 (Migne 6. L. 7. 126.) ubi ait quod *sicut nuptiae a Deo, ita divortium a diabolo est,* et statutum eiusdem Pontificis in Concilio Tricassino 2° eandem legem confirmans.

EX CONCILIO MOGUNTINO

AN. 888.

Canon XVIII. Quidam Altmannus nomine sibi commatrem spiritualem scelesto coniugio associavit, sed postea per sacramentum ab ea separatus, modo iterum eam sibi impia copulatione habet sociatam. Quam, quia tale scelus perpetratum habere audivimus, secundum constitutionem b. Gregorii papae, gladio spirituali percotimus, eumque anathematis vinculo innodamus.

Cf. Decreta Conc. Romani sub Gregorio II. s. c.

EX CONCILIO TRIBURIENSI

AN. 895.

Canon XXXIX. Si unus ex duobus unam carnem in duas dividere et copulam nuptialem machinatur disiungere, dicendo non secundum suae gentis legem iura matrimonii contraxisse et idcirco separari posse, canonica institutione definimus et nostro omnium ortodoxorum iudicio statuimus ut quod legis imperfectum sit, perficiatur et ius matrimonii nequaquam resolvatur... Si quis post haec, huius sancti concilii institutionem parvipendens, aliam duxerit, cuiuscumque gentis sit, canonica arceatur, ut priori cum poenitentia copuletur.

In quaestione scilicet de valore matrimonii leges civiles nullam vim habent pro christianis, sed solum ecclesiasticae leges.

In hoc canone citatur quaedam Romana Synodus, quae dixerit non

dimittendam esse uxorem post baptismum, quae habita est antea: in baptismo solvi crimina non legitima coniugia. Unde arguunt Patres Triburienses, quod si uxorem non mutat qui transmigrat de vita in vitam; quomodo mutat eam, qui non mutat vitam, sed transit de gente in gentem?

Canon XL. Cum quis uxorem alterius fornicationis opere maculaverit et iuramento promiserit, si ambo legitimo supervixerint marito, eam ducturum: statuunt Patres:

Tale connubium anathematizamus et christianis omnibus obseramus. Non licet ergo nec christianae religioni oportet ut ullus ea utatur in matrimonio, cum qua prius pollutus est adulterio.

Canone vero LI idem decernunt de adulteris, etsi non praecesserit promissio matrimonii. Cf. cn. LXIX Concilii Meldensis s. c. Idem statuit paulo post Concilium Altheimense an. 906. cn. v.

Canon XLIII. Si quis cum qualibet fornicatus fuerit et eo nesciente filius eius vel frater eiusdem rei inscius cum eadem se polluerit et postquam se pollutum esse cognoverit, confessus fuerit et hoc se nescire cum iuramento confirmaverit, quia hoc poenituit et confessus est, post peractam congruam poenitentiam, legitimo (*utique cum alia*) utatur matrimonio... Mulier vero (*quae inscia rei non supponitur*), quae tantum nefas commiserat, ulterius poeniteat atque continens et innupta permaneat.

Cf. Canone XLIV et XLV Canon II Syn. Neocaesariensis instauratur.

Canon XLVII. Qui spiritualem habet compatrem, cuius filium de lavacro sacri fontis accepit, et eius uxor commater non est, liceat ei, defuncto compatre suo, eius viduam ducere uxorem, si nullam habet consanguinitatis propinquitatem. Quid enim? numquid non possunt coniungi, quos nulla proximitas carnalis vel nulla in id generatio secernit spiritualis?

Canon XLVIII. Si quis suae spiritalis commatris filiam fortuito et ita contingente rerum casu, in coniugium duxerit, consilio maturiore servato, habeat atque honeste legitimo coniugio det operam.

EX CONCILIO CONFLUENTINO

AN. 922.

Canon I. ... Frequentissimum cognationis incestum summa cautela vitandum: hoc est. Ne ullus christianus infra sextam generationem nuptias copulare praesumat.

Cf. Doctrinam Petri Damiani inf. ad Concilium Romanum Alexandri II.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

EX LEGIBUS PRESBYTERORUM NORTHUMBRENSIUM

QUO ANNO QUIDEM EDITAE SINT INCERTUM,
SED SUB FINEM SECULI X PONUNTUR A COLLECTORIBUS CONCILIORUM.

Lex LII. Nemo matrimonium contrahat in cognatione sua, scilicet infra gradum seu geniculum quartum, nec cum consponsali sua ad fontem sacrum.

Prior pars sapit potius aetatem superiorem. Cf. legem Canuti Regis inf. c.

Lex LIV. Si quis uxorem suam legitimo matrimonio viventem dimiserit et aliam illegitime duxerit, careat Dei misericordia, nisi emendaverit. Unusquisque autem iuste teneat matrimonium suum, dum uxor vixerit, nisi forte acciderit quod consilio Episcopi separentur, ut divisim postea vivant in castitate.

Vivente uxore, nulla alia coniunctio permittitur, etsi dimissa fuerit.

EX CONCILIO ROMANO GREGORII V.

AN. 998.

Canon I. Ut Rex (*Francorum*) Robertus consanguineam suam Bertam, quam contra leges in uxorem duxit, derelinquat et septem annorum poenitentiam agat, secundum praefixos ecclesiasticos gradus iudicatum est. Quod si non fecerit, anathema sit. Idemque de eadem Berta fieri praeceptum est.

EX CONCILIO TRECENSI

AN. 1007.

Canon IV. De uxoratis sacerdotibus sive concubinariis, nisi cessaverint, ut ab altari moveantur simul et de choro segregentur, praecipiendo mandamus. Quod si nec tunc cessaverint, procul a liminibus ecclesiae arceantur nec ipsa laicali communione fruantur. Idem quoque de diaconis statuimus.

Uxorati sacerdotes vocantur concubinarii eo quod de coniugio sermo est quod ii iniverint post ordinem sacrum susceptum nullumque iam habebatur huiusmodi coniugium. Quocirca iubentur cessare h. e. se separare a concubinis. Iam heic clare satis apparet nulla habita fuisse huiusmodi coniugia. Cf. cn. X. conc. Toletani an. 655, et cn. VII Aurelianensis an. 538 et Can. II Carthagin. an. 390.

EX EPISTOLA PASCHALIS II.

AD BONUM SENIOREM EPISCOPUM RHEGINUM. AN. 1100–115.

Caput I. Post susceptum de fonte filium vel filiam spiritualem qui ex compatre vel commatre nati fuerint, matrimonio iungi non possunt, *(cum eo filio vel filia);* quia leges seculi non emancipatos adoptivis prohibent copulari.

Cf. resp. Zachariae ad Theodorum. Id abrogavit Alexander III. Cf. inf.

Caput II. Post uxoris obitum cum commatre uxoris viri superstitis coniugio copulari nulla videtur auctoritas vel ratio prohibere. Neque enim cognationi carnis cognatio spiritus comparatur, neque per unionem carnis ad unionem spiritus pertransitur.

Cf. rationem exhibitam a cn. XLVII Conc. Triburiensis an. 895.

Caput III. Porro duorum consobrinorum coniuges, quamvis diversis temporibus viro uni alteram post alterius obitum nubere, ipsa praeter auctoritatem canonicam, publicae honestatis iustitia contradicit. Et novit prudentia tua quia ita ab uxoris sicut a viri consanguineis abstinendum est.

Erat tertius gradus affinitatis. Cf. De Iustis de Dispensat. Matrim. De Affinitatibus.

EX CONCILIO SALEGUNSTADIENSI SEU MOGUNTINO

AB ARIBONE MOGUNTINAE SEDIS ARCHIEPISCOPO CELEBRATO.
AN. 1022.

Canon III. De legitimis coniugiis ita visum est, quod nullus christianus uxorem ducere debeat ab adventu Domini usque in octavas Epiphaniae et a Septuagesima usque in octavas Paschae nec in quatuordecim diebus ante festivitatem s. Ioannis Baptistae, neque in praedictis ieiuniorum diebus (*scilicet quatuor temporum, de quibus in cn. II*) sive in omnium sollemnium dierum praecedentibus noctibus.

Cf. cn. Laodicenum LII et seq. decretum Urbani II in Conc. Beneventano.

EX CONCILIO BITURICENSI

AN. 1031.

Canon XVI. Ut illi, qui uxores legitimas sine culpa fornicationis dimittunt, alias non accipiant illis viventibus, nec uxores viros, sed sibimet reconcilientur.

Videntur intendisse Episcopi praecipue id quod ultimo loco ponunt, h. e. reconciliationem coniugum; idcirco loquuntur de illis tantum, qui coniuges dimittunt sine causa fornicationis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

EX CONCILIO AENHAMENSI

AB EPISCOPIS SIMUL CUM OPTIMATIBUS ANGLIAE CELEBRATO. AN. 1009.

Canon VIII. Non permittatur unquam ut Christi fide imbutus intra spatium (sexti hominis) suae consanguinitatis uxorem ducat, idest intra qnartum gradum seu geniculum, neque cuiuspiam viduam, qui pari fuerit proximitate in mundana cognatione, nec uxoris, quam habuerat prius, neptem seu propinquam, nec sanctam aliquam monialem, nec susceptricem suam ex sacro fonte, nec repudiatam quisquam christianus habeat in uxorem, nec uxorem aliam capiat, dum unam habuerit, sed donec vixerit, sit illa unica.

Verba illa: *sexti hominis*, quae parenthesi inducimus, descripta ab editoribus conciliorum, si deleas expeditus et clarus est sermonis sensus, e contrario si retineas, maxime impeditus et minime intelligibilis. Expungenda proinde censemus. At alia habetur eiusdem Synodi lectio ex alio exemplari: in quo canon ille octavus ita exhibetur.

Connubia illicita cunctis generaliter interdicimus christianis, sed legi divinae cum Dei timore adstringantur. Nemo igitur illicitis coniunctionibus se inquinet, idest cum cognatis vel cum coniugatis vel cum Deo sacratis, seu cum aliis illicitis personis.

Verum ille canon idem videtur ac lex, quae exstat inter leges tum ecclesiasticas tum civiles Canuti Regis Anglorum editas anno 1032, eodemque proinde modo legendus. Lex enim VII ita habet.

Ne christiana fide tinctus quisquam intra sextum suae cognationis gradum nuptias contrahat, neve cognati, quicum ei fuerit intra sextum gradum necessitudo, viduam in matrimonium ducat, neque porro ei, quam antea habuerat uxorem, aliquam consanguinitate propinquam sibi in matrimonio iungat. Susceptricem ad sacrum fontem, vestalem virginem aut repudiatam in matrimonium christianus ne ducito... Uxorem, quoad ea vixerit, unicam eamque legitimo nuptiarum foedere coniunctam, nec plures habeto.

Hac ergo aetate saltem usque ad sextum gradum coniugia interdicta erant in Anglia. Cf. cn. XVII seq. Conc. Bituricensis in Galliis, et quae afferemus ex Petro Damiano ad an. 1065.

Canon XVII. Ut nullus de parentela sua uxorem accipiat usque in sextam vel septimam progeniem.

Canon XVIII. Ut nullus uxorem consanguinei vel alicuius parentis sui in coniugium accipiat: quia vir et uxor legitime coniuncti una caro sunt.

Copula coniugalis duorum ratio est affinitatis inter alterum et consanguineos alterius. Vides tamen heic tantum de ea affinitate sermonem esse, quae ex legitima copula oriatur. Cf. cn. XXIX Conc. Cabilonensis. 2° an. 813.

EX CONCILIO COMPOSTELLANO

AN. 1056.

Canon VI. Ut hi consanguinei, qui sunt coniugati, separentur et poenitentiam expleant aut ab ecclesia et consortio christianorum expellantur. Ita (*h. e. eodem pacto*) disponimus de presbyteris et diaconibus coniugatis.

EX CONCILIO ROMANO NICOLAI II.

AN. 1059.

Canon XI. Ut de consanguinitate sua nullus uxorem ducat usque ad generationem septimam vel quousque parentela cognosci poterit.

Hoc postremum non est additum ad dilatandam seriem graduum prohibitorum ultra septimum, sed ad declarandam rem eandem alio modo: parentela enim generatim praeter septimum gradum non cognoscitur, h. e. eius inter homines ratio haberi non solet. Cf. quae dicemus ad Conc. Romanum Alexandri II.

EX CONCILIO TURONENSI

PRAESIDENTE LEGATO APOSTOLICO. AN. 1060.

Canon IX. Quicumque consanguineam suam, aut quam consanguineus suus prius cognoverat aut cuius consanguineam carnaliter in coniugium accepit vel deinceps acceperit vel postquam cognovit, non statim dimisit aut cognoscens non dimiserit, aut qui uxorem alterius rapuit seu rapuerit vel qui suam uxorem sine iudicio episcopali dimittens aliam duxit vel duxerit, donec se fructuosae tradat poenitentiae, a corpore et sanguine D. N. I. et a liminibus Ecclesiae se exclusum et alienatum... agnoscat.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

EX EPISTOLA ALEXANDRI II.

AD CLERICOS NEAPOLITANOS: QUOMODO GRADUS CONSANGUINITATIS COMPUTANDI SINT. AN. 1061–73.

Redarguit vehementer eos, qui, ita generationes a duobus fratribus altrinsecus prodeuntes enumerant ut eorum invicem filios quartam, nepotes sextam, pronepotes octavam generationem esse perhibeant. Hoc itaque modo unum generationis gradum, qui unus procul dubio dicendus est, dividunt atque imperite numerandam progeniem desecare contendunt.

Reiicit scilicet rationem computandi Iuris civilis Romani, quoad nuptias.

EX EPISTOLA EIUSDEM ALEXANDRI II.

RESPONDENTIS AD CUIUSDAM EPISCOPI QUAESTIONES. AN. 1061–73.

Uno defuncto, in superstite affinitas non deletur, nec alia copula coniugalis affinitatem prioris copulae solvere valet. Sed neque alius coniunctionis soboles placet ad ipsius affinitatis, prioris scilicet, transire consortium.

Nimirum filii aut filiae ex secundo coniugio nequeunt copulari consanguineis prioris coniugis, inter eos enim secundum genus affinitatis intercedit. Cf. Decretum L Conc. Lateran. 4. inf. c.

EX EPISTOLA ALEXANDRI II.

AD GUILLELMUM DE MONASTERIOLO (ex Ivone p. IX. c. 32.)

Multorum relatione cognovimus te propriam velle abiicere uxorem et adhaerere alteri, praetendentem consanguinitatis occasionem. Unde apostolica auctoritate interdicendo mandamus tibi ut hanc, quam nunc habes uxorem, nullatenus praesumas dimittere vel aliam ducere, donec episcoporum religiosorum concilium causam ipsam examinaverit.

Causae matrimoniales ad Ecclesiasticos spectare iudices, nec citra eorum sententiam solvendum est coniugium rite initum.

EX CONCILIO ROMANO ALEXANDRI II.

AN. 1065.

Canon IX. Ut de consanguinitate sua nullus uxorem ducat usque ad septimam generationem vel quousque parentela cognosci poterit. Quod prius a Nicolao II. statutum fuit.

Haec duo frequenter coniuncta cernis veluti si alterum sit alterius explicatio: *usque ad septimam generationem*, vel *quousque parentela*

seu cognatio cognosci potest. Iam monuimus alio in loco (ad an. 1059) alteram phrasim non dilatare gradus prohibitos ultra terminum statutum a priori: id declarare nunc licet doctrina S. Petri Damiani in opusculo data opera scripto *De Parentelae gradibus.* Ut enim ostendat usque ad septimum gradum (more ecclesiastico computandum) coniugia non licere, (ep. 1.) supponit primo inter consanguineos coniugia non licere (qua de re quaestio non erat): tum statuit consanguineos eos esse quos divinae et seculi leges consanguineos appellant, huiusmodi autem eos certe esse quos eaedem leges in hereditatem suscipiunt nec possunt repellere. « Interrogentur, ait, qui in tribunalibus iudicant, qui causarum negotia dirimunt, qui scrutandis legum decretis insistunt, nunquid si propinquiores desint, usque ad septimum gradum agnati sive in hereditatem sive in tutelam non admittuntur? in cuius autem hereditatem ex iure consanguinitatis admitteris, quo pacto velut extraneus eius coniugium sortiaris? Ut quid etiam tam operosa inter sacros canones figura depingitur, ut non modo supra vel infra, sed ex utroque etiam latere sex gradibus terminetur, si septima generatio, ut asserunt, tribus hinc enumeratis personis atque illinc quatuor expleatur? (erant hi quidam sapientes Ravennatenses) » Argumentum Petri huc redit: qui alicui extraneus non est, est consanguineus; qui ad alicuius hereditatem iure vocatur, non est ei extraneus, vocatur autem qui septimo quoque gradu distat: ergo hic est consanguineus: ergo.

Idem (c. 2.) alio modo declarat monens *competentem a sanctis doctoribus praefixam fuisse metam, scilicet ut quousque est successionum reperire vocabula duret etiam nihilo minus parentela.* Ait quidem *successionis humanae figuram ad exemplum humani corporis senis superius et inferius atque in his qui ex latere veniunt, gradibus terminari:* addit tamen: *quamquam ad propensioris cautelae gratiam, et septima his sit generatio consequenter annumerata.* Quae, ut obiter moneamus, si perpendas, intelliges quomodo componas quae superius ex Isidoro et Gregorio M. attulimus. Alio tamen pacto explicat Gratianus ad C. 21. q. 2. et 3. Caus. XXXV. quem cf. sis. Tandem (c. 4) recitato canone Conc. Meldensis, quem supra descripsimus ad an. 845, pergit ita: *Secundum hoc igitur sententiae synodalis edictum, cui competit ius hereditatis, competit etiam propinquitas generis. Neque enim, ut dicitur, in hereditatem succederent, nisi ad cognationis propaginem pertinerent.*

EX CONCILIO GERUNDENSI

IN HISPANIA. AN. 1068.

Canon III. Excommunicando sanxerunt ut incesti modis omnibus separentur: deinde habeant licentiam ineundi melioris coniugii.

Sustulerunt hi Patres in sua provincia impedimentum prohibens incestus. Cf. Decreta hae in re Nicolai I.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Canon IV. Illi, qui suas uxores dimiserunt et alias acceperunt, suas recuperent, si vivae fuerint et alienas dimittant. Et nisi hoc fecerint, sint ita excommunicati tam incesti quam isti, ut nullus christianorum eis ave dicat etc.

Canon VII. A presbytero usque ad subdiaconum, si uxorem duxerint aut concubinam retinuerint, de clero exeant et omne beneficium ecclesiasticum perdant et cum laicis in ecclesia maneant. Quod si inobedientes fuerint, sententiam de incestis incurrant.

Nullum scilicet habebatur coniugium illorum sicut et incestorum. Cf. cn. IV. Conc. Trecensis.

EX CONCILIO ROTOMAGENSI

AN. 1072.

Canon XIV. Nuptiae non in occulto fiant neve post prandium: sed sponsus et sponsa ieiuni a sacerdote ieiuno in monasterie benedicantur: et antequam copulentur, progenies utrorumque diligenter inquiratur,: et si infra septimam generationem aliqua consanguinitas inventa fuerit et si aliquis eorum dimissus fuerit, non coniungantur. Sacerdos, qui contra hoc fecerit, deponatur.

Cf. decretum ex Benedicti Levitae Collectione ad an. 845.

Canon XVI. Interdictum est ne aliquis, qui vivente sua uxore de adulterio calumniatus fuerat, post mortem illius, unquam de qua calumniatus fuit, accipiat. Multa enim mala inde evenerunt: nam plurimi hac de causa suas interfecerunt.

Cf. cn. XL Conc. Triburiensis an. 895.

Canon XVII. Nullus cuius uxor velata fuerit, ipsa vivente, unquam aliam accipiat.

Canon XVIII. Si uxor viri, qui peregre profectus fuerit, alii viro nupserit, quousque prioris mortis certitudinem habeat, excommunicatur usque ad dignam satisfactionem.

Cf. responsum XVIII Stephani II ad an. 754.

EX CANONIBUS QUIBUSDAM

QUI SINE TITULO SEQUUNTUR POST CANONES CONCILII ROTOMAGENSIS. AN. 1074.

Canon VII. Coniugio copulati et divortium postulantes propter impossibilitatem coeundi, iudicio probent se non posse opus illud coniugii efficere, nec se facientes aliquo modo ad hanc impossibilitatem pervenisse (*h. e. eam procurasse*).

EX CONCILIO LONDONIENSI

PRAESIDENTE LANFRANCO CANTUARIENSI. AN. 1075.

Capitulum VI. Ex decretis Gregorii maioris nec non et iunioris, ut nullus de propria cognatione vel uxoris defunctae seu quam cognatus habuit, uxorem accipiat quoadusque parentela ex alterutra parte ad septimum gradum perveniat.

EX CONCILIO GERUNDENSI

PRAESIDENTE LEGATO APOSTOLICAE SEDIS. AN. 1078.

Canon VIII. In consanguinitate coniuncti, nisi digna satisfactione separentur, separati ab Ecclesia et Corpore Christi maneant.

EX EPISTOLA GREGORII VII.

AD EPISCOPOS ASTENSEM TAURINENSEM ET AQUENSEM. AN. 1079.

Pervenit ad nos quod Bonifacius marchio, germanus Manfredi et Anselmi nuper interemptorum, eiusdem Anselmi desponsatam conatur sibi in coniugium copulare. Quod quam sit flagitii plenum, quam a christianae religionis legibus alienum, nemo qui sacros canones novit, potest ambigere.

Impedimentum honestatis publicae ex sponsalibus lex civilis statuerat vel suaserat. Instit. L. I. Tit. X. §. 9... Constat nec sponsam filii nurum esse, nec patris sponsam novercam esse, rectius tamen et iure facturos eos, qui ab huiusmodi nuptiis abstinuerint.... Hoc impedimentum recepit et ampliavit Ecclesia. Proinde Gregorius canones sacros citat, Hoc tamen impedimentum ex sponsalibus quidam Benedictus papa non agnovit cuius responsum affertur in Collectione canonum, quae est Appendix ad Conc. Lateranense III. (v. inf.) si tamen authenticum est illud responsum.

EX CONCILIO IULIOBONENSI

CELEBRATO A GUILLELMO ANGLORUM REGE CUM EPISCOPIS ET PROCERIBUS NORMANNIAE. AN. 1080.

Canon II. De his, qui de parentela sua uxores tenent et uxores parentum suorum, episcopi canonicam iustitiam exsequantur. Rex enim nullum inde sustinet vel tuetur: sed potius episcopos adiuvando admonet ut lex Dei firmiter teneatur.

Iudicium de causis matrimonialibus ad Ecclesiam spectat. Cf. respons. s. c. Alexandri II.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

EX CONCILIO BENEVENTANO, PRAESIDENTE URBANO II.

AN. 1091.

Canon IV. A die septuagesimae usque in octavas Pentecostes (*al.* in octavam Paschae) vel a die Domini Adventus usque in octavam Epiphaniae matrimonia nullo modo contrahantur.

Cf. cn. III. Concilii Salegunstadiensis an. 1022 et cn. LII. Laodicenum.

EX CONCILIO TROIANO, PRAESIDENTE URBANO II.

AN. 1093.

Cum de quibusdam infra consanguinitatis lineam copulatis actum fuisset, tandem consentientibus omnibus hoc super eis capitulum promulgatum est.

Episcopi, quorum dioecesani sunt, eos usque in Pentecostem trina advocatione conveniant. Tunc si duo viri vel tres consanguinitatem iure iurando firmaverint, vel ipsi forte confessi fuerint, coniugia dissolvantur. Si vero neutrum contigerit, episcopi eos per baptismum Christi, per fidem Christi, per Christi iudicium, in vera obedientia obtestentur quatenus palam faciant utrum se, sicut fama est, consanguineos recognoscant. Si negaverint, sibi ipsis reliquendi sunt, ita tamen ut si aliud in conscientia habeant, se a liminibus ecclesiae, a Corpore et sanguine Domini, a fidelium communione noverint segregatos, atque infames effectos, donec ab incesti facinore desistant. Si se iudicio episcoporum segregaverint (*scilicet post incestam unionem*), si iuvenes sunt alia matrimonia contrahere non prohibeantur.

Cf. responsa Nicolai I. quoad huius decreti postremam partem.

EX CONCILIO SZABOLCHENSI

IN HUNGARIA. AN. 1092.

Caput I. Bigamos presbyteros et diaconos et viduarum vel repudiatarum maritos iubemus separari et peracta poenitentia ad ordinem suum reverti. Et qui noluerint illicita coniugia dimittere, secundum instituta canonis debeant degradari. Separatas autem feminas parentibus reddi iubemus suis et quia non erant legitimae, si voluerint, liceat eis maritari.

Cum feminae dicantur non legitimae, patet sermonem esse de iis quae post ordines susceptos acceptae fuerint. Appellantes ergo bigamos agunt Patres de iis presbyteris et diaconis, qui bis coniugium iniverint et alterum saltem post ordinationem statuunt nullum esse coniugium: de

priore vero aliquid oeconomice decernunt cp. III. Cf. quae dicemus sub cp. III.

Caput II. Si quis presbyter ancillam suam uxoris in locum sibi associaverit, venumdetur (*ancilla*) et pretium eius ad episcopum transferatur.

Caput III. Presbyteris, qui prima et legitima duxere coniugia, indulgentia ad tempus detur propter vinculum pacis et unitatem Spiritus sancti (*ne Ecclesiae scilicet tranquillitas turbetur*), quousque nobis in hoc Domini Apostolici paternitas consilietur.

Vel sermo est de coniugio contracto ante ordines susceptos, cuius usus conceditur donec consulta Romana sedes responsum dederit, vel de coniugio contracto post ordinationem, in quo manere permittuntur presbyteri usque dum Romana Sedes quid agendum sit decreverit. Cum hoc alterum sit nimis abnorme, censeo canonem accipiendum priore modo, cum praesertim id proprietas verborum suadeat, nihilque occurrat huic interpretationi repugnans. Sane Patres talia coniugia appellant absolute absque ulla dubitationis significatione *legitima coniugia;* et coniugia post ordinationem contracta, etsi prima non appellassent absque haesitatione legitima, cum ipsi quoque dubitarent an presbyteris usus coniugii liceret, ut liquet ex hoc ipso canone. In primo quidem canone illegitimae vocantur nuptiae presbyteri et diaconi tum secundae tum cum viduis aut repudiatis, ut proinde ille presbyter qui post ordinationem prima vice cum virgine a nullo reiecta nuberet, sanctioni illius canonis non subiaceret. Quocirca videri posset hunc esse casum, quem Patres cn. III attingunt. At satis evidens est id non esse necessarium nam saltem eadem ratione dici poterit Patres loqui de unico coniugio ante ordinationem inito et postea perdurante: etenim et hic casus non attingitur in can. I.

EX CONCILIO NEMAUSENSI, CUI PRAEFUIT URBANUS II.

AN. 1096.

Canon XIII. Puellulae usque ad duodecim annos non nubant.

EX CONCILIO LONDONIENSI CELEBRATO AB ANSELMO.

AN. 1102.

Canon XXII. Fides inter virum et mulierem, occulte et sine testibus de coniugio data, si ab alterutro negata fuerit, irrita habeatur.

Canon XXIV. Ne cognati usque ad septimam generationem copulentur vel copulati simul permaneant.

Idem Anselmus in epistola (l. 3. epist. 158.) an nuptiae consanguineorum sint vetitae et cur, rationem hanc reddit huius prohibitionis. Posito nimirum quod lex nostra sit caritas, quae quo latius divisa dif-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

funditur, tanto uberior dividenti remanet et augetur, subdit: « statuit igitur christiana religio, ut terminis consanguinitatis secundum sanctorum Patrum et canonum decreta usque ad sextum gradum (cf. quae dedimus ex Petro Damiano ad an. 1065) ex omni parte pertingentibus, ad caritatem conservandam suus natalis sufficiat affectus, quem violare etiam apud barbaros nefas ducitur. Ubi vero ille deficit, ibi demum ad caritatem religandam ne subducat se, adnectendum esse vinculum coniugale ad prolongandos terminos hereditatis nostrae, quae est ipsa caritas ».

EX CONCILIO TOLOSANO, PRAESIDENTE CALLIXTO II.

AN. 1119.

Canon III. Eos qui religionis speciem simulantes (*petrobrusiani*) Dominici Corporis et Sanguinis sacramentum, puerorum baptisma, sacerdotium et ceteros ecclesiasticos ordines et legitimarum damnant foedera nuptiarum, tamquam haereticos ab Ecclesia Dei pellimus et damnamus et per potestates exteras coerceri praecipimus.

EX CONCILIO LATERANENSI I. OECUMENICO

AN. 1123.

Canon V. Coniunctiones consanguineorum fieri prohibemus, quoniam eas et divinae et seculi prohibent leges. Leges enim divinae hoc agentes et eos, qui ex eis prodeunt; non solum eiiciunt, sed maledictos appellant: leges vero seculi infames tales eos vocant et ab hereditate repellunt: Nos itaque Patres nostros sequentes infamia eos notamus et infames esse censemus.

Canon XXI. Presbyteris, diaconibus, subdiaconibus et monachis concubinas habere seu matrimonia contrahere penitus interdicimus: contracta quoque matrimonia ab huiusmodi personis disiungi et personas ad poenitentiam debere redigi, iuxta sacrorum canonum definitionem iudicamus.

Vides Patres huius oecomenici Concilii appellare canones praecedentes non rem novam statuere. Cf. cn. VII. Conc. Gerundensis et IV. Trecensis ibique citatos. Certe huc spectabant decreta Pontificum seculi XI, praesertim Gregorii VII contra clericos concubinarios, qui ideo sic vocabantur, quod impares essent nuptiis legitimis contrahendis. Quamvis ergo in hoc Concilio I Lateranensi et clarius quoque in II lex universalis lata sit irritans has nuptias, ea tamen simpliciter nova non erat. Hinc patet quam inepte dictum fuerit quod Bonifacius VIII votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit (Ex Syllabo Pii IX prop. 72.). Nam 1° multo ante Bonifacium nuptiae Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum et Subdiaconorum nullae erant ex Ecclesiae constitutione: 2° quod probabilius Sanchezio videtur (Lib. VII, D. 27,

n. 10), haec obligatio continentiae erat et est ex voto vel expresso vel tacito in ipsa susceptione ordinis; quod Ecclesia ordini annexuit: 3° quamvis vero quis ordinem libere suscipiens votum nollet actu emittere, nihilominus ad continentiam obligaretur, eiusque sequentes nuptiae nullae forent. Haec ante Bonifacium quoque valebant. Cuius ergo rei auctor est Bonifacius! Ipse primus authentice declaravit quod « voti sollemnitas ex sola constitutione Ecclesiae est inventa (C. un. de voto in 6°) ». Quo principio supposito idem Pontifex ad quaestionem ipsi propositam, *quodnam* nempe *votum debeat dici sollemne ac ad dirimendum matrimonium efficax*, respondet (ibid.) « illud solum votum debere dici sollemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod sollemnizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis aut per professionem expressam vel tacitam factam alicui de religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. » qua in responsione non affirmatur primo nec primo conditur ius impedimenti huius dirimentis nuptias eorum qui sint talibus abstricti votis, sed affirmatur tantum haec vota sola quoad effectum dirimendi sequens matrimonium esse sollemnia. Haec autem omnia in ea propositione inepte confunduntur.

EX CONCILIO LONDONIENSI

PRAESIDENTE LEGATO APOSTOLICAE SEDIS. AN. 1125.

Canon XVI. Inter consanguineos seu affinitate coniunctos usque ad septimam generationem matrimonia contrahi prohibemus: si qui vero tales coniuncti fuerint, separentur.

EX CONCILIO LATERANENSI II. OECUMENICO

AN. 1139.

Canon VII. Statuimus quatenus episcopi, presbyteri, diaconi subdiaconi, regulares canonici et monachi atque conversi professi, qui sanctum transgredientes propositum, uxores sibi copulare praesumpserint, separentur. Huiusmodi namque copulationem, quam contra ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus. Qui etiam ab invicem separati pro tantis excessibus dignam poenitentiam agant.

Canon VIII. Idipsum quoque de sanctimonialibus feminis, si, quod absit, nubere tentaverint, observari decernimus.

Cf. can. XXI. Conc. Lateran. I. Iidem duo praedicti canones instaurati in Conc. Rhemensi an. 1148 ab Eugenio III, cn. XVII.

Canon XVII. Coniunctiones consanguineorum omnino fieri prohibemus. Huiusmodi namque incestum, qui iam fere stimulante humani generis inimico, in usum versus est, ss. Patrum statuta et

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sacrosancta Dei detestatur Ecclesia. Leges etiam seculi de tali contubernio natos et infames pronuntiant, et ab hereditate repellunt.

Cf. cn. praeced. Syn. Lateranensis. Idem canon in Conc. Claromontano an. 1130 et in Rhemensi ab eodem Innocentio constitutus fuerat, forte etiam in Conc. Arvernensi, quod anno praecedente idem Pontifex habuit.

Porro auctoritas legum secularium et heic et in Conc. Later. I. ad suadendum affertur non tanquam fons iuris, quod ex Patrum et Ecclesiae statutis dependet.

Canon XXIII. Eos autem, qui religiositatis speciem simulantes, Dominici corporis et sanguinis sacramentum, baptisma puerorum, sacerdotium et ceteros ecclesiasticos ordines et legitime damnant foedera nuptiarum, tamquam haereticos ab Ecclesia Dei pellimus et damnamus et per potestates exteras coerceri praecipimus.

Cf. cn. III. Conc. Tolosani sub Callixto II.

EX CONCILIO CASSILIENSI

IN HIBERNIA PRAESIDENTE LEGATO APOSTOLICO
AN. 1172.

Canon I. Statutum est quod universi fideles per Hiberniam constituti, repudiato cognatorum et affinium contubernio, legitima contrahant matrimonia et observent.

EX CONCILIO ABRINCATENSI

IN NORMANDIA PRAESIDENTIBUS LEGATIS APOST. SEDIS
AN. 1172.

Canon X. Vir ad religionem non transeat, uxore in seculo remanente, vel e converso, nisi ambo vacandi operibus carnis tempus excesserint.

EX CONCILIO LONDONIENSI

AN. 1175.

Canon XVIII. Nullus fidelis, cuiuscumque conditionis sit, occulte nuptias faciat, sed benedictione a sacerdote accepta publice nubat in Domino.

Canon XIX. Ubi non est consensus utriusque non est coniugium. Ergo qui pueris dant puellas in cunalibus, nihil faciunt, nisi uterque puerorum, postquam venerint ad tempus discretionis, consentiat. Huius ergo decreti auctoritate inhibemus ne de cetero aliqui, quorum uterque vel alter ad aetatem legibus constitutam non pervenit, coniungantur, nisi forte aliquando, urgente necessitate interveniente, pro bono pacis coniunctio talis toleretur.

EX DECRETO LUCII III.

EDITO IN CONCILIO VERONENSI AN. 1184.

Universos, qui de Sacramento Corporis et Sanguinis D. N. I. C. vel de baptismate seu peccatorum remissione aut de matrimonio vel de reliquis ecclesiasticis sacramentis aliter sentire aut docere non metuunt quam sacrosancta romana ecclesia praedicat et observat... vinculo perpetui anathematis innodamus.

Cf. cn. XXIII. Conc. Lateranensis II.

EX COLLECTIONE DECRETORUM

SS. PONTIFICUM QUORUM MAXIMA PARS ALEXANDRO III ADSCRIBITUR QUAE COLLECTIO IDCIRCO APPENDICIS INSTAR SUBDI SOLET CONCILIO LATERANENSI III.

Est collectio ignoti auctoris, facta, ut censet probabiliter Mansi aetate Innocentii III. (cf. Mansi in Miscellaneis Baluzii Tom. III. p. 367), quae iam anno 1212 erat in usu. Cf. Hefele op. cit. §. 646. Quaedam praecipua capita solum afferemus.

Ex titulo de Coniugatis et Sponsis.

Caput I. (*Alexander III ad Archiep. Salernitanum*) Post consensum legitimum de praesenti, licitum est alteri, altero etiam repugnante, monasterium eligere, sicut quidam sancti de nuptiis vocati fuerunt, dummodo inter eos carnis commixtio non intervenerit. Et alteri remanenti, si commonitus servare noluerit continentiam, licitum esse videtur ut ad secunda vota transire possit. Quia cum non fuissent una caro effecti, potest unus ad Dominum transire et alter in seculo remanere.

Caput VI. (*Idem ad Archiepiscopos Strigoniensem et Coloniensem*) Coniugatus in monasterium converti desiderans suscipi prohibetur, nisi uxor illius similiter convertatur. Nam cum unum utrinque corpus post coniugii copulationem sit factum, incongruum est partem converti et partem in seculo remanere.

Ex titulo de Sponsalibus et Matrimonio.

Caput I. (*Idem Abbati sancti Albani*) A canonibus habetur ut nullus copuletur matrimonio quod prius polluerat adulterio, et illi maxime, cui fidem dederat uxore sua vivente, vel quae machinata est in mortem uxoris.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Caput III. (*Idem ad Epis. Vigiliensem*) Si puellam infra duodecimum annum aliquis desponsaverit, antequam ad annos matrimonio aptos ambo pervenerint, non possunt a pactione nuptiali recedere et ad aliud matrimonium convolare.

Caput IV. (*Idem ibid.*) Sponsam alterius, si est aetati nubili proxima, nullus consanguineorum aliquando potest matrimonio copulare.

Caput VIII. (*Idem epist. ad Episcop. Salernitanum*) Si legitimus consensus... interveniat de praesenti ita quod unus aliam in suum mutuo consensu verbis expressis recipiat, utrimque dicendo: ego te recipio in meam et ego te in meum, sive sit iuramentum sive non, non licet mulieri alii nubere: et si nupserit et fuerit carnalis copula subsecuta, ab eo separari debet et ut ad primum redeat ecclesiastica districtione compelli: quamvis alii aliter sentiant, aliter etiam a quibusdam praedecessoribus nostris sit aliquando iudicatum.

Ex titulo de coniugendis filiis ante vel post compaternitatem genitis.

Caput I. (*Idem ibid.*) Tolerabilius nobis videtur ut filii vel filiae etiam post compaternitatem geniti simul possint copulari, praeter illam personam, per quam compaternitas contrahitur.

Ex titulo de Sponsalibus secundo.

Caput IV. (*Idem ad Episc. Lucensem*) Sicut simplex votum matrimonium impedit contrahendum, sed non dirimit contractum, ita sine professione et propriorum renuntiatione, habitus susceptio ne contrahatur impedit, sed consummatum nequaquam dissolvit.

Caput VIII. (*Adscriptum Hadriano IV ad Eberhardum Salisburgensem*) Iuxta verbum Apostoli in Christo Iesu nec liber, nec servus est qui a sacramentis ecclesiasticis sit amovendus. Ita quoque inter servos matrimonia nullatenus debent prohiberi et si dominis invitis et contradicentibus contracta fuerint, nulla ratione propter hoc sunt ecclesiastico iure dissolvenda: debita tamen et consueta servitia non ex hoc minus sunt propriis dominis exhibenda.

Cf. en. XXX. Conc. Cabilonensis II. an. 813.

EX SYNODICIS CONSTITUTIONIBUS ODONIS EPISCOPI PARISIENSIS. AN. 1198.

Decretum I. Matrimonium cum honore et reverentia celebretur nec cum risu et ioco nec contemnatur etiamsi secundae et tertiae (*nuptiae*) fiant. Antequam fiat, semper tribus dominicis aut tribus

festivis diebus aeque distantibus, quasi tribus edictis, perquirat sacerdos a populo sub poena excommunicationis de legitimitate sponsi et sponsae, qui debent coniungi. Et ante fidem datam de contrahendo matrimonio et ante haec tria edicta nullus audeat aliquo modo matrimonia celebrare.

Decretum II. Prohibeant firmiter laicis, per excommunicationem, sortilegia fieri, malefici quoque et celantes consanguinitatem et alia impedimenta matrimonii, votum, ordinem, consanguinitatem, affinitatem, disparem cultum, compaternitatem, quae tantum quatuor a matrimonio excludit personas compatrem, commatrem, filiolum et fratrem et sororem suam spiritualem scilicet filium et filiam patrini (excommunicati publicentur).

EX CONCILIO IN DALMATIA PRAESIDENTIBUS LEGATIS APOST. SEDIS AN. 1199.

Canon VI. Sacrosancta Romana Ecclesia, quae mater est omnium ecclesiarum et magistra, decrevit ut nullus christianus usque ad septimum consanguinitatis gradum coniugium contrahere praesumat... Quapropter praesenti decreto statuimus etc.

Canon X. Excommunicamus illos omnes, qui proprias dimiserunt uxores vel de cetero dimiserint sine iudicio Ecclesiae, donec ad ipsas revertantur.

EX CONCILIO LONDONIENSI SEU WESTMONASTERIENSI AN. 1200.

Canon XI. Vir non contrahat cum aliqua consanguinea olim uxoris suae, similiter nec uxor cum aliquo consanguineo quondam viri sui. Et susceptus in baptismo non contrahat cum filia baptizantis vel suscipientis ante vel post genita. Nec contrahatur aliquod matrimonium sine trina denuntiatione publica in ecclesia, neque si fuerint personae incognitae. Sed nec copulentur aliquae personae matrimonio nisi publice in facie Ecclesiae et praesente sacerdote: et si secus factum fuerit, non admittantur alicubi in Ecclesia nisi speciali auctoritate Episcopi.

Videsolam praesentiam sacerdotis requiri, de eius speciali actione nihil dici: clandestina vero coniugia prohiberi quidem, sed non irritari.

Quoad id quod dicitur de coniugio suscepti in baptismo cf. responsum Paschalis II. et Alexandri III. ex titulo de Coniugendis Filiis etc.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

EX CONSTITUTIONIBUS GUILLELMI

EPISCOPI PARISIENSIS AN. 1208

Decretum XIII. Presbyteri de Ecclesiis frequenter denuntient, eos qui matrimonia clandestina contrahunt et qui eis faciendis assistunt, esse excommunicatos.

Decretum XVI. Presbyteri iniungant parochianis suis quod quando matrimonium inter aliquos erit contrahendum, illi qui debent contrahere, confiteantur ob reverentiam sacramenti peccata sua presbyteris suis, priusquam fidem praebeant de contrahendo vel saltem antequam contrahant per verba de praesenti. Presbyteri vero tunc solliciti sint de inquirendo maxime super impedimentis matrimonii.

EX CONCILIO LATERANENSI IV. SUB INNOCENTIO III.

AN. 1215.

Decretum L. Cum prohibitiones de coniugio in secundo et tertio affinitatis genere minime contrahendo et de sobole suscepta ex secundis nuptiis cognationi viri non copulanda prioris, et difficultatem frequenter inducant et aliquando periculum pariant animarum, ut cessante prohibitione cesset effectus, constitutiones super hoc editas, sacri approbatione concilii revocantis, praesenti constitutione decernimus ut sic contrahentes de cetero libere copulentur.

Petrus Blesensis epistola data cir. an. 1180 *de generibus affinitatis* aiebat: « Inveniuntur canones, ex quorum intelligentia triplex affinitatis genus et in eis diversorum distinctionem graduum industria scholaris explicuit. Sed iuxta conscientiae meae iudicium nova haec adinventio et traditio magistralis matrimonio non praeiudicet, cui certos limites lex divina praescribit. » Forte ut notat Guscanvillaeus putabat Blesensis canones, quibus prohibebantur coniugia inter affines secundo et tertio genere, prohibuisse quidem ne fierent, sed non irritasse contracta. Matrimonia prohiberi ob affinitatem primum genus excedentem, censuit et Papinianus (Dig. L. XXIII. Tit. 2. n. 15.) inquiens: « uxorem quondam privigni coniungi matrimonio vitrici non oportere, nec in matrimonium convenire novercam eius, qui privignae maritus fuit ». Nurus scilicet uxoris erat marito nurus loco, et gener mariti erat uxori loco generi.

Gratianus in sua Concordia discordantium Canonum causa XXXV. q. 2ª et 3ª quosdam canones hac super re attulerat adscriptos antiquis Romanis Pontificibus, quorum reapse non sunt. Tertius enim canon tributus a Gratiano Papae Fabiano, est, monentibus correctoribus, Theodori Cantuariensis, in cuius Poenitentiali exstat c. XI. At de alia re prorsus loquitur Theodorus; illudque est quod nos ex ipso attulimus sub responsis Gregorii M. Alter canon duodecimus ibid. adscriptus a Gratiano Iulio Papae,

est eiusdem Theodori eodem in loco, si correctoribus credimus, etsi in editione Petiti, illud expressis verbis non occurrat. Meminisse tamen oportet in Poenitentiali, qui dicitur esse Theodori, quaedam tradi, quae et Ecclesiae doctrinae repugnat ipsiusque Theodori canonibus adversantur. Cf. c. X. Conc. Herudfordiensis sub ipso Theodoro celebrati an. 673 s. c.

Ceterum in superioribus quaedam decreta recitavimus tum Alexandri II tum Paschalis II, imo et Basilii, in quibus de impedimento vigente secundi aut tertii generis affinitatis mentio fit. Cum statutum antiquitus fuerit ut quousque se parentela cognoscit, nuptiae non licerent, affines autem secundo et tertio genere se parentes vocare solerent, facile inductus mos ut inter hos quoque coniugia interdicerentur, etsi non secundum eosdem gradus in singulis generibus.

Impedimentum ex secundo et tertio genere affinitatis sustulit Innocentius III.

Prohibitio quoque copulae coniugalis quartum consanguinitatis et affinitatis gradum de cetero non excedat; quoniam in ulterioribus gradibus iam non potest absque gravi dispendio huiusmodi prohibitio generaliter observari.

Decretum LI. Clandestina coniugia penitus inhibemus, prohibentes etiam ne quis sacerdos talibus interesse praesumat quare specialem quorumdam locorum (*cf. Constit. Odonis. s. c.*) consuetudinem ad alia generaliter extendendo statuimus, ut cum matrimonia fuerint contrahenda, in ecclesiis, per presbyteros publice proponantur, competenti termino praefinito ut infra illum qui voluerit et valuerit, legitimum impedimentum opponat. Et ipsi presbyteri nihilo minus investigent utrum aliquod impedimentum obsistat. Cum autem probabilis apparuerit coniectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expresse, donec quid fieri debeat super eo, manifestis constiterit documentis.

Si quis vero huiusmodi clandestina vel interdicta coniugia inire praesumpserit in gradu prohibito, etiam ignoranter: soboles de tali coniunctione suscepta prorsus illegitima censeatur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium.... Pari modo illegitima proles censeatur, si ambo parentes, impedimentum scientes legitimum, praeter omne interdictum, in conspectu ecclesiae contrahere praesumpserit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INDEX

—

PRAEFATIO . . . . . pag. v

CAPUT I.

DE ESSENTIA MATRIMONII PER SE SPECTATA

THESIS I. *Seposita paulisper ratione sacramenti, matrimonii per se notio eo redit ut sit unio viri et feminae sita in morali potestate mutua in corpus alterius ad carnalem copulam vitaeque individuam societatem* . . . . . » 1

THESIS II. *Plura sunt bona matrimonii eidemque intrinseca, quarum singula quoque seorsim fines esse possunt cur idem contrahatur, licet aliquis inter eos sit finis primarius.* . . . . . » 9

THESIS III. *Haud repugnat essentiae contractus matrimonialis pactum additum eidem servandae perpetuae continentiae: fierique potest ut hoc modo beatissima Deipara et s. Iosephus coniugiun iniverint.* . . . » 17

THESIS IV. *Etsi matrimonii usus bonus sit, illi tamen praestat status virginitatis et caelibatus.* . . . . » 26

THESIS V. *Quamvis secundum naturae ius sit coniugium et aliquibus identidem merito a Deo praeceptum fuerit, non est tamen ex naturae iure ulla obligatio proprie dicta singulis aut communitati facta procurandae prolis.* . . . . . » 31

THESIS VI. *Accessio soluti ad solutam iure naturae est vetita* . . . . . » 38

PARERGON. *Quo tempore nuptiae celebratae sint b. Virginem inter et s. Iosephum* . . . . . » 41

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT II.

DE MATRIMONIO SACRAMENTO

THESIS VII. *Verbo Dei tradito doctrina Catholica continetur, Matrimonium Christianum esse vere et proprie Sacramentum.* . . . . . pag. 50

THESIS VIII. *Verbo quoque Dei scripto ostenditur matrimonium christianum, ratione sui status, coniunctam habere gratiam sanctificantem, huius autem, cum ipsum fit, causam quoque esse, ex verbis solis Scripturarum, adhibita analogia fidei, vehementer saltem suadetur* . . . . . » 62

THESIS IX. *Inania sunt argumenta, quae afferuntur contra doctrinam assertam duabus thesibus praecedentibus.* . . . . . » 70

THESIS X. *Indivisibili nexu vinciuntur in matrimonio christianorum contractus h. e. unio maritalis et sacramentum; quae non sunt duae res, sed duae rationes seu formalitates necessariae eiusdem rei. Quare inter christianos coniunctio viri et feminae, si sacramentum non est, neque est matrimonium; et si matrimonium est, est quoque sacramentum.* . . . » 73

THESIS XI. *Ministri sacramenti sunt ipsi contrahentes matrimonium, quorum contractus, prout est traditio mutua potestatis, haberi potest ut materia proxima, prout est acceptatio eiusdem mutua, ut forma sacramenti. Porro contractus est* sacramentum tantum, *gratia quae confertur,* est res sacramenti tantum, *vinculum quod manet est* res simul et sacramentum. . » 81

APPENDIX . . . . . » 95

CAPUT III.

DE PROPRIETATIBUS MATRIMONII

§. I. De Unitate

THESIS XII. *Polyandria simultanea iure naturae illicita est et irrita. Polyandria et polygamia successiva licita est et per se honesta.* . . . . . » 97

THESIS XIII. *Polygamia simultanea iure divino illicita est et irrita christianis* . . . . . » 105

THESIS XIV. *Comparata polygamia cum iure naturali, eadem non adversatur primis eius praeceptis, quibus quae sunt essentialia praecipiuntur; adversatur autem iis, quibus suadentur quae sunt congruentia.* pag. 110

THESIS XV. *Ratione tandem habita primitivae divinae institutionis, per eam monogamiae certe norma et exemplar praestitutum est eiusque congruentia significata: imo videtur quoque ibi lex eiusdem lata pro omnibus futuris matrimoniis, licet deinceps ab ea lege aliquo tempore sit dispensatum a Deo.* . . . . » 115

§. II. De Indissolubilitate

THESIS XVI. *Distincta indissolubilitate intrinseca et extrinseca, statuimus primo dissolubilitatem intrinsecam permissam simpliciter arbitrio coniugum ex qualibet causa repugnare naturae iuri: quamdam vero determinatam intrinsecam dissolubilitatem repugnare quidem secundariis naturae iuribus non vero primariis.* . . . . . » 125

THESIS XVII. *Traditione catholica constat matrimonium christianum non solum consummatum sed et ratum tantum esse* intrinsece *indissolubile in causa quoque adulterii.* . . . . . » 141

THESIS XVIII. *Vim demonstratae catholicae Traditionis non imminuunt quae magno apparatu ab adversariis proferuntur.* . . . . . » 149

THESIS XIX. *Eadem veritas Apostoli auctoritate demonstratur.* . . . . . » 168

THESIS XX. *Ut ad interpretationem doctrinae a Christo traditae in Evangeliis viam nobis muniamus, praestituimus primo rationes criticas sufficientes haud esse cur interpolatus dicatur textus Matthaei XIX. 3 seqq. sive quoad verba:* nisi ob fornicationem, *sive quoad verba:* et aliam duxerit: *praestituimus secundo in verbis Christi Matthaei V. 32. et XIX et parallelis Marci et Lucae non consilium sed legem perpetuo valituram, abrogato vetere foedere, contineri: proinde Christum his in locis non interpretem legis mosaicae egisse sed legislatorem novi foederis: praestituimus tertio non recte postulari ut testimoniorum Marci et Lacae de hac re interpretatio exigatur ad normam*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

verborum Matthaei propterea quod obscuriora per clariora, pauciora per plura sunt explicanda. pag. 170
THESIS XXI. *Ex verbis Marci et Lucae atque ex verbis Matthaei V. 31, 32 et XIX. 3 seqq. certo colligimus doctrinam Christi de indissolubilitate vinculi coniugalis etiam in causa adulterii.* . . . . . » 175
THESIS XXII. *Ipsa lege primitivae institutionis generatim quodvis matrimonium est intrinsece indissolubile.* » 188
THESIS XXIII. *Ratio quoque bene consulta ostendit quam bene tali indissolubilitate matrimonium sit instructum* . . . . . » 192
THESIS XXIV. *Quod spectat ad extrinsecam dissolubilitatem vel indissolubilitatem docemus primo matrimonium ratum et consummatum neque extrinsece dissolvi posse.* . . . . . » 200
THESIS XXV. *Matrimonium ratum solvitur extrinsece per professionem religiosam, tum solvi potest auctoritate Rom. Pontificis.* . . . . . » 203
THESIS XXVI. *Docemus praeterea matrimonium infidelium etiam consummatum solvi extrinsece posse cum, altero ad fidem converso, alter renuit cohabitare aut non sine iniuria Creatoris aut damno spirituali fidelis, tum posse extrinsece solvi auctoritate Romani Pontificis* . . . . . » 214
THESIS XXVII. *Privilegium paulinum non ad eos solos spectat qui fidem catholicam sequuntur, sed ad omnes qui christianam fidem susceptione baptismi professi sunt.* . . . . . » 224
SCHOLION . . . . . » 226

CAPUT IV.

DE POTESTATE STATUENDI IMPEDIMENTA MATRIMONII CHRISTIANI IN IISQUE DISPENSANDI

PRAENOTIONES. . . . . » 228
THESIS XXVIII. *In can. 4 Trid. (si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia; vel in iis constituendis errasse A. S.) Ecclesiae nomine non reges ac seculi principes, sed sacer principatus significatur: is autem canon dogmaticus est.* . . . . . » 233

THESIS XXIX. *Historice constat Ecclesiam arbitrio suo statuisse impedimenta dirimentia matrimonium christianorum* . . . . . pag. 236
THESIS XXX. *Ecclesiae competit potestas constituendi impedimenta dirimentia matrimonium, eaque ipsi competit iure proprio* . . . . . » 254
THESIS XXXI. *Etsi secularis Princeps ius habeat ferendi leges circa conditiones et effectus civiles matrimonii, non tamen consequitur ius habere leges ferendi circa ipsum matrimonium Christianum.* . . . » 263
THESIS XXXII. *Ecclesia sola ponere potest impedimenta matrimonium Christianum dirimentia: h. e. potestas civilis nullum ius insitum sibi habet statuendi impedimenta dirimentia, quae afficiant ipsum vinculum matrimonii Christiani* . . . . . » 265
THESIS XXXIII. *Infirma prorsus sunt argumenta, quae tum ex rerum naturis tum ex historia tum ex doctorum auctoritate congerunt adversarii contra assertam veritatem* . . . . . » 278
THESIS XXXIV. *Potestas Ecclesiae constituendi impedimenta matrimonio christiano non solum ad catholicos, sed per se ad haereticos quoque porrigitur* . » 291
THESIS XXXV. *Potestas dispensandi in impedimentis dirimentibus ecclesiasticis Romano Pontifici ipsique soli iure proprio competit. Etsi vero eidem posset competere potestas dispensandi identidem in iure aliquo divino, non est tamen consequens hanc potestatem ad impedimenta quoque se extendere quae sint iuris positivo-divini vel iuris naturalis. Idem Rom. Pontifex potest revalidare matrimonium cum dispensatione, ut aiunt, in radice, cuius dispensationis a Principe quoque seculari rationem haberi decet quoad effectus civiles, etsi forte ad id proprie non teneatur* . . » 294
APPENDIX. *Conspectus Decretorum et Canonum ecclesiasticorum in re matrimoniali.* . . . . . » 305

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Pag.	Lin.	ERRATA	CORRIGE
41	36	Tob. 10-17	Tob. VII. 10-17
46	21	qua	quo
63	38	qua	quia
156	23	viro	vero
325	3	meritricis	meretricis
356	22	Ticinensen	Ticinensem
379	18	genelali	generali

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPILLA ALFONSINA
U. A. N. L.

Esta publicación deberá ser devuelta antes de la última fecha abajo indicada.

BV835
P3 44993

AUTOR
PALMIERI, Dominico

TITULO
Tractatus de matrimonio christiano.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS